
3 1761 06141303 5


UNIV.
OF TORONTO
LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/opusculavariiarg02wytt

DAN. WYTTENBACHII

OPUSCULORUM

TOMUS SECUNDUS.

DAN. WYTTENBACHII

OPUSCULA

VARII ARGUMENTI,

ORATORIA, HISTORICA, CRITICA,

NUNC PRIMUM CONJUNCTIM EDITA.

TOMUS SECUNDUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS.
AMSTELODAMI,
APUD P. DEN HENGST ET FIL.
MDCCCXXI.

10654
2/12/90

S E R I E S

OPUSCULORUM

QUAE VOL. II. CONTINENTUR.

Dis-

Disputationes duae praemio ornatae.



DANIELIS WYTTENBACHII

EPISTOLA

AD

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE.

EX EDITIONE

SPECIMINIS CRITICI IN PLATONEM

HEUSDII,

Praef. pag. XXV.

Quod roganti Tibi receperam, mi Heusde, me tuo libello aliquid literularum et judicii de locis a Te tractatis additurum: ecce, ubi ad rem ventum est, nil habui quod adderem. Nam quum de animadversionibus tuis inter nos ageremus, Tuque, instar illius apud Platonem nostrum Theaeteti, iis judicii severitatem adhiberes, falsum quodque et *ἀνεμιαῖον* abjiceres, nec nisi, si quid probabile et *γόνιμον* videretur, retineres; non profecto opus est, ut nunc eas denuo recenseam, et singulis meum judicium, *pulcre*, *bene*, *recte*, apponam. Ergo primum hoc literarum nobis argumentum periit. An igitur, ut saltem tuae voluntati meo-

que promisso satisfaciam, hoc ipsum unum ad Te scribam, me non habere quod scribam? Aliis hoc sit concessum, a nostra quidem abhorret conjunctione, cui numquam vel sermonis vel epistolae materia defuit. Ergo et alterum hoc mihi ereptum est scribendi genus. Et tamen scribere me cogit et tua voluntas et mea fides. Ecquod tandem nobis argumentum superest? Superest unum certe, idque minime tenue aut leve. Tu ipse, mi Heusde, Tu mihi hujus epistolae eris argumentum. Te quum dico, dico ingenium animumque tuum, dico commune nostrum optimarum Literarum et Platonis studium. Quibus de rebus cogitanti quamvis indiserto copia scribendi deesse nequeat. Quo certius hoc mei de Te judicii documentum Tibi accidere debet; quod, quum libri tui ubertas mihi de eadem re docte disserendi facultatem praeripuerit, malim indoctius et amantius, *ἀμαθέστερον καὶ φιλικώτερον*, quam nihil ad Te scribere.

Sextus hic annus est cum ad me Amstelodamum venisti incensus studio Literarum, earumdem cognitione sensuque jam imbutus Rotterodami in schola Cl. Nodelli, elegantissimae doctrinae viri: ostendebas Te Platonis amore captum, ad cujus intelligentiam ut Tibi adjutor essem, candide me modesteque rogabas. Hoc primum mihi novum et inexspectatum accidebat, adolescentem modo ex puerili disciplina prodeuntem, Platonis et cognitione tinctum et studio ardentem, ad me ve-

ni-

nire: Platonis, inquam: quem quotusquisque non modo discentium, sed docentium, legit, aut si forte inspexit, non continuo relinquit? Nam discentium quidem iste dudum est mos, ut si paucos Graecos versus, paucas Latinas Elegias didicerint, jam haec ubique crepent, sibique docti videantur. At vero Tu, in hoc etiam similis Platonici Theaeteti, οἷον ἐλαίου ῥεῦμα ἀψοφητὶ ῥέοντος, sine strepitu, sine vento, quid scires, quid nescires, ingenue prae te ferebas. Ex quo in primis judicavi, Te vere a Platone captum esse, et, ut ipsius dictione utar, τὸν Πλάτωνα τὴν ἀληθῆ σεῦ εἰλῆφθαι λαβήν, Platonem verâ Te ansâ apprehendisse. Hunc enim qui legunt, intelligunt, in ejusque se doctrinam ac praecepta insinuant, hi profecto primam omnium legum sibi imponunt τὸ γνῶθι σαυτόν· huic perpetuo et volentes parent: hujus ad adventum et imperium omnis ex animo expellitur expurgaturque vanitas, arrogantia, superbia. Unde fit, ut homines vani et ventosi Platonem nec diligant, nec intelligant. Tu propositum iter ingressus, cum in meas de Graecis Literis scholas ventitabas, tum domi assidue Platonem tractabas; ut facile animadverterem, Te eum in dies magis et diligere et intelligere. Ita biennium traductum. Interea multa, quae rerum mearum statum mutarent: obiit Ruhnkenius: vel hujus necessitudo, vel mei fati necessitas, me migrare Lugdunum coëgit. Tu adhuc annum Amstelodami mansisti, inchoatum opus urgens,

 do-

domi legens relegensque Platonem, caeterum in Jurisprudentia operam dans Craso, in Philosophia Swindenio, clarissimis nuper meis collegis, et utrique cum Athenaei Amstelodamensis, tum suae disciplinae, doctori celeberrimo. Tum ipse Lugdunum ad nos venisti.

Mihi vero, mi Heusde, quum temporum meorum varietas et stationis commutatio, multa ἀβούλητα attulerit, quae nunc narrare nil attinet: τὰς γὰρ ἐν μέσῳ σιγῶ τύχας, κατ' Εὐριπίδην· cujus et hoc mihi subjicere soleo, Ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν, ὡς εἶ σοφή — · in his igitur unice me consolatur conscientia recte factorum, servati officii, et restitutae in hac nostra Academia disciplinae Literarum, quae jam per aliquot annos prostrata jacuerat. Disciplinam dico scholas, discipulos, horumque studia et progressus: quae non numero censentur, sed pondere: quamquam et numerus, pro hujus saeculi ingenio, probabilis est. Et in his, qui pondere censeantur, discipulis Tu quoque in primis mihi es, mi Heusde. Sed Literarum studiosi alii aliud propositum habent: alii eas, ut adjumentum aliarum doctrinarum, adhibent: alii ad ingenii ornatum: alii ad animi oblectationem: alii alia de caussa: paucissimi ipsarum unice caussa et amore, et ut in ipsarum studio vitae tabernacula ponant. His equidem semper soleo auctor esse, ut studia adolescentiamque suam aliquo scripto in optimam partem ad civium notitiam commendent. Quod et Ciceronis est

prae-

praeceptum, et his ipsis diebus, ut nosti, a nobis in schola de Officiorum libris tractatum. Quamquam enim subinde fit, ut adolescentes vani et ventosi modestis doctisque adolescentibus et laudem et laudis praemia praeripiant: est illa non laus, sed opinio et error exigui temporis: magna est vis veritatis, quae diu latere nequit: maxima est virtutis efficacitas, quae sui cultores certissimo doctrinae conscientiaeque fructu beat. Sed ostendenda est virtus, et ad publicam notitiam producenda. Etenim si cognita virtus nonnumquam negligitur, quid ignoratae virtuti fiet? Et, ut isti ventosi non nisi *τὸ δοκεῖν* consectantur, hi modesti unice *τῷ εἶναι* contenti sunt: ita, quamvis modestus virtutis cultor, virtutis muneri sic satisfaciet, ut *τὸ δοκεῖν* ne prorsus negligat, sed *τῷ εἶναι* addat, et qualis est, talis haberi velit. Ita et superiore anno recte fecit Lyndenus noster, documento progressuum suorum, Disputatione de Panaetio edenda ac defendenda: qui quum et generis nobilitate et opibus omnia summa consequi posse videretur, tamen externa ista bona adeo levia ducit, ut in his nihil, omne decus in animi bonis ponat. Et nunc Tu recte facis prodendo tuo Specimine, mi Heusde: qui, nec ipse illorum inops subsidiorum, iis posthabitis, omnem vitae suavitatem laudemque ex Platonis optimorumque veterum lectione petis. Et communis noster amicus, vester condiscipulus, Sluiterus, dum ipse similis editionem documenti meditatur,

ante paucos hos dies in Daventriensi cathedra positus, ipse documentum exstitit, suum adhuc meritis constare honorem.

Caeterum nostros de Platone sermones, Amstelodami inchoatos, Lugduni instauravimus: quum Tu quotidie Platonem tereres, non huc illuc vagando, sed unoquoque dialogo ab initio ad finem perlegendo, perlecto iterando, singularum deinceps sententiarum nexu indagando, teque omni mente et cogitatione in philosophi dicendi disputandique consuetudinem insinuares, itaque veram scripturam multis in locis, quamvis obliteratam, perspiceres, plurimaque librariorum menda corrigeres. Quae Tu inventa ad me deferens, materiam adferebas de qua jucunde colloqueremur, non solum *συμφιλολογοῦντες*, sed etiam *συμπαθοῦντες* et *συνενθουσιῶντες*, quum dictionum, sententiarum, imaginum, suavitate, veritate, sublimitate in admirationem Platonis abriperemur. Est profecto divinus scriptor Plato, neque *divini* cognomen temere ei venit. Nullus enim est ex erudita antiquitate scriptor, in quo major sit ubertas et copia earum virtutum, quibus legentes in quemdam divinitatis sensum auferantur: aut, si qui sunt, qui in ejusdem laudis ac similitudinis societatem venerint, hi ab ipso Platonis fonte fluxerunt.

Mihi vero nostri sermones saepe in memoriam revocarunt adolescentiae meae tempus, quo ille in animo meo sensus et recentior et acrior vigebat: quem nunc usus et aetas vel refrigerarunt, vel ra-

tio-

tione coercuerunt. Ego vix dum adolescentiam ingressus eram, quum mirificus me caperet et quasi δαιμόνιος amor Platonis: cui legendo quum omne meum tempus impenderem, tum in primis otia captabam, quibus per anni tempestatem in sylvas montesque excurrerem, et *nunc viridi membra sub arbuto stratus*, *nunc ad aquae lene caput sacrae*, promerem, non ut ille *veteris pocula Massici*, sed librum Platonis, in ejus me lectionem conjicerem ac penitus demitterem. Ibi tum fieri solebat, ut, quemadmodum ipse in alto editoque positus in circumjacentia infra me loca veluti parva et humilia prospiciebam, sic Platonis genio repletus purior leviorque in coelestes regiones sublimis evolare viderer,

Ut mihi jam summam sapientia panderet arcem,
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possem contemnere curas.

Sed hoc somnium, saepe mihi inchoatum, quamvis breve, quippe mox abruptum corporis admonitione, animum e coelo in terram detrahentis, tamen ita crebrum refertumque fuit mirabilium visorum sensuumque varietate, quae veluti mysteria, nemo, quamvis initiatus, oratione enarrare, nemo profanus, quamvis enarrata, intelligere possit, initiatus ab initiato paucis verbis admonitus continuo sentiat. Igitur et Tu sentis, mi Heusde. Et mihi satis sit, hoc dedisse recordationi somnii illius et frequentis et mirifici, tamquam anticipationis et gustus verae et a corporis vincu-

lis solutae vitae: atque, ut cum ipso Platone loquar, (Phaedro p. 346. D.) ταῦτα μὲν οὖν μνήμῃ κεχαρίσθω δι' ἣν πόθῳ τῶν τότε μακρότερα εἴρηται. Interea dum in hac vita sumus, hujus vitae officia ne negligamus. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat*, ut est in Graecorum proverbio: per eamque aliis prodesse studeat. Qui in Platone plus aliis videt, ad hujus intelligentiam studiosis prosit: et profecto egregium vitae munus susceperit. Hoc tuum est, mi Heusde.

Equidem ipse adolescens δαιμονίῳ illo Platonis amore incensus, eum aliquando edere constituebam: mox Julianum, Synesium, denique Plutarchum eodem amore et edendi proposito complectebar: nec dubitabam quin studium meum vitaeque spatium vel quatuor edendis his scriptoribus suffecturum esset. Veni deinde ad Ruhnkenium, qui me a reliquis ad unum Plutarchum convertit: Platonis editionem ipse cogitabat: in caeteris scriptoribus unus omnium Plutarchus maxime emendatricem explicatricemque interpretis operam et desiderare et mereri videbatur: et brevi animadvertere coepi, hunc tantam habere materiam, quae meam quidem vitam operamque omnem consumere posset, sive operis magnitudine, sive virium mearum tenuitate, sive temporum iniquitate. Quinque sunt anni, quod Ruhnkenius noster diem obiit: quatuor, quod Lugdunum migravi. Horum quinque annorum quotam partem putas me Plutarcho tribuere potuisse? Sex menses, ne hos quidem

dem continuos. Hoc sex mensium spatio confeci Animadversiones in Moralium paginas priores centum, a libello De Educatione ad Consolationem Apollonii. Et hucusque profeceram his ipsis diebus, quum ecce, denuo belli tempestas intonat, post brevem pacis usuram nondum recreata patria, immo tamquam primae quietis dulci somnio lactata et mox excussa. Igitur Plutarchus meus rursus commeatu cum Oxoniensibus excludetur. Sed hoc, et omnino meum omne negotium, leve est prae patriae damno: quod quis tandem bonus civis non lubens vel suo incommodo redimat? Utinam, qui populis praesunt, Platonem legerent! mallent profecto *ἀδικεῖσθαι* quam *ἀδικεῖν*, injuriam ferre quam inferre aut referre: et, siquidem bellum est malum, ut nemo dubitat, mallent philosophari, quam bellare: studerent suo ipsi exemplo ratam facere et implere nobilem illam Platonis vaticinationem, (Republ. V. p. 466. B.) *ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταυτὸν ξυμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία — οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα, ὦ φίλε Γλαύκων, ταῖς πόλεσιν· δοκῶ δὲ οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει.* At nos, qui non regimus, sed regimur, in hoc certe philosophemur, ut pareamus rectoribus nostris, cum hominibus, tum supremo omnium rectori Deo: quidquid nobis praeter nostram culpam acciderit, ut ab illo immissum, aequa mente accipiamus, semperque in

promtu habeamus illud Cleanthis: Ἄγου δέ μ', ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ Πεπρωμένη, Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.

Et quandoquidem quod quis agat, nil superest quam suum cuique officium, age, et nos nostrum agamus, et ego me protinus ab hujus temporis cogitatione ad recordationem adolescentiae institutamque scriptionem referam. Igitur ego illa aetate cogitans Platonis editionem, solebam mihi ipse justae editionis formam designare; quam Tibi, jam depositum a me hoc opus suscepturo, cognoscere non inutile sit.

Editoris munus duabus constat partibus, *emendatione* et *interpretatione*. Hoc nunc verbo monuisse satis est; quandoquidem de utroque officio uberius exposuimus alibi, et nuper in Praefatione ad Plutarchum. Nunc aliud volo. Nam mihi adolescenti accidebat, ut, quum utrumque officium Platoni adhiberem, tamen multas eorum partes non perspicue cognoscerem: sentiebam, mihi aliquid deesse ad eorum accuratam cognitionem: nec, quale hoc esset, intelligebam. Venit mihi tandem in mentem, totum argumentum in suas partes distribuere. Haec me distributio sponte ad singularum cognitionem partium ducebat, mentis involutam notionem explicabat, ut jam intelligerem quid illud esset quod mihi defuisset, multaeque novae et judicandi et inveniendi viae mihi aperirentur. Erat autem distributio a simplici manifestoque hoc principio ducta, omnem emendatio-

nis

nis interpretationisque sylvam duobus locis contineri, altero *in ipso scriptore*, altero extra eum *in aliis scriptoribus.*

Ipsum scriptorem bifariam dicimus: primo *ipsum hominem*, quis, quando, ubi, quibus parentibus, qua gente, patria, vitae actione et factis fuerit: deinde, *ejus scripta.* Prioris generis cognitionem saepe etiam ex Literaria Historia percipiunt homines, qui ipsa scriptoris scripta numquam legerunt; quomagis ea nobis et primo loco, et diligenter, tenenda erit. Alterum genus, quod *ipsa scripta* continet, in quorum lectione et accurata intelligentia nobis finis omnis nostrae operae positus est, in tribus cernitur partibus, *dictione*, *materia*, *forma.*

Atque, siquidem ita naturâ comparatum est, ut a verbis ad res proficiscendum sit, primum *dictioni* studebimus: consuetudinem scriptoris, cum in singulis verbis, tum in constructione caeterisque partibus orationis, figuris, sententiis, exemplis, comparationibus, notabimus, indicibus consignabimus, ut paratum habeamus Lexicon, cujus ope scriptorem secum ipsum conferamus et ex ipso interpretemur: quae prima et certissima omnis intelligentiae est via, et totius grammaticae interpretationis fundamentum. Qua in re saepe officium desideravi Editorum, qui suis editionibus nulla verborum Lexica addunt, itaque eas tam necessario intelligendi judicandique subsidio carere sinunt. Habent pleraeque Latinorum editiones Scriptorum:

Grae-

Graecorum paucae: caret Plato: et Aristoteles aliquid amplius desiderat quam Sylburgianos indices, quamquam laudandos caeterum, ut omnia hujus viri. In Hippocrate exemplum dederat A. Foesius, egregio opere Oeconomiae Hippocrateae: quod utinam secuti essent editores Galeni: qui quum propter librorum multitudinem et doctrinae varietatem copiosissimis et verborum et rerum indicibus opus haberet, utrosque adhuc exspectat. Poterat et Wesselingiani Herodoti quamvis magna commendatio tamen augeri addendo locupletandoque Lexico Herodoteo Aemylii Porti. Igitur Platonis quoque editor glossarium Platonicum conficiet, verborum dictionumque, cum eorum, quae in philosophia, tum eorum, quae in reliquo linguae usu versantur. Et prouti Ciceronis in hoc genere duo exstant subsidia, Thesaurus Nizolii et Clavis Ernesti, ita Platonicum glossarium utriusque dotes habeat, immo superet etiam, copiam illius, hujus diligentiam. Atque hujusmodi singularibus Scriptorum Lexicis paulatim materia congeritur, unde posteri aliquando Stephanianum Graecae Linguae Thesaurum expleant, vel certe augeant: qui quandocumque et quicumque exsistent, certe non solis hisce singularibus Lexicis freti opus aggredientur, *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*, Stephani compilatores, ad eum reprehendendum promti, ad imitandum infirmi: sed vere Grammatici ex heroico illo Stephani genere et aevo, magnas ipsi suas

suas ingenii doctrinaeque vires ad materiam locupletandam digerendamque adferent.

In hac lectione necesse est multae se legenti offerant cogitationes, quibus vel sententiae difficultas expediatur, vel scripturae vitia emendentur: etiamsi unice *dictionis* rationem habuerit. Sed, hac finita lectione, releget scriptorem; nam saepius legendus est. Et priora quidem inventa cum corriget, tum confirmabit: nec dictionis rationem umquam negliget: caeterum, jam ad *materiam* quoque animum propius attendet. Haec universe duplex est, vel *philosophiae*, vel *reliquae doctrinae*, quae pertinet ad historiam, antiquitatem, mores, leges, instituta, opiniones, artes ac disciplinas omnes in omni vitae genere versatas. Philosophiam Platonis cognoscet ex ipso Platone: cavebit sibi ne judicium ipse suum occupet eique inculcet aliquod compendium Philosophiae Platonis, qualia feruntur et Veterum quaedam, veluti Apuleji, Diogenis Laertii, Alcinoi, et plura recentiorum de *philosophiae historia* Scriptorum. Nunc ipsum Platonem leget: illa compendiorum adminicula relinquet minutis illis et acutulis μετεωροσοφένακι, sublimis scilicet sapientiae captatoribus: qui quum sibi et philosophi et nescio quid videantur, tamen desiderant, saepe etiam postulant ab iis, qui Platonem diligenter tractant, ut breve compendium ejus philosophiae conscribant, circumcisis omnibus ambagibus; nam eum habere tam multa a proposito aliena, ut magni laboris sit

sit ad sententiae cognitionem pervenire. Equidem memini me aliquando in istiusmodi flagitatores incidisse. Et Tu fortasse quoque incideris, mi Heusde. Nec desunt qui istorum desideria probent. Vidimus aliquando viros doctrinae tuendae socios, certamen ac praemium proponere disceptandae quaestioni, quomodo poëta Belga, id est, homo Belgica lingua versus scribens, vel scripturus, Graecae linguae expers, ad Homeri intelligentiam pervenire possit. Haud mirer si aliquando proponatur, quomodo philosophus Belga, Graecae linguae expers, ad Platonis intelligentiam pervenire possit. Tu, si forte in certamen descendes, videbis quid respondeas. Ego non descendam. Sed inter nos respondeam, neque Homeri, neque Platonis scripta, quemquam intelligere nisi Graecae linguae accurate intelligentem. Si nil nisi facta quaerimus, ut in historia, possit sane scriptor in vulgarem linguam verti: sed ita, ut pereat omne orationis lumen et acumen, omnis affectus sensusque dictionis, omnis gratiae venustatisque flos: quae omnia singulis verbis et constructione continentur, nec alia in lingua pariter exprimi possunt: veluti ex magno intervallo pulcri corporis non nisi universam faciem extremis quasi lineis designatam videmus: peculiares pulcritudinis partes, os, oculos, obtutum, lineamenta, vultum, colorem, animi morumque significationem, non videmus. Neque adeo facta ipsa recte intelligere possumus, sine cognitione opinionum, instituto-

rum,

rum, morum, omnium omnino rerum illius aetatis. Neque vero nos invidemus hujusmodi interpretationes hominibus Graecae linguae et antiquitatis ignaris: sed eosdem inde de scriptoribus rebusque Graecis judicare, vel ridemus, vel miseramur, certe miramur, qui ignorantiam ignorantia cumulent, nec vereantur prodere se nescire, quid sit judicare. *At*, inquiunt, *quaerimus nucleum, non putamina.* Vos vero, ut pueri, nucibus luditis: quasi vero ista similia sint: aut quasi ad nucleum nisi per putamen aditus sit: aut quasi id, quod vos putamen vocatis in scriptore, id est, vestitus et forma orationis, non item sit pars sententiae et nutrimenti. Et vero, cum ipse Plato est poëta, tum multa assumsit a poëtis, ut a nemine intelligatur, nisi Graece legatur. Neque tamen omnis Graece doctus intelliget Platonem. Ad linguae accuratam cognitionem accedat oportet proprium quoddam legentis ingenium, studium, judicium: quibus instructus esse debet Platonem vel intellecturus, vel editurus. Hic igitur philosophiam ejus cognoscere studebit, ut primo cujusque dialogi et argumentum et consilium perspiciat: deinde tres antiquae philosophiae partes distinguat, et unicuique suum ac proprium det locum, Logicae, Ethicae, Physicae: subjectas singulis partes discernat: Logicae, Dialecticam, Oratoriam, Poëticam, Grammaticam, Criticam: Ethicae, locos de Principiis, Virtutibus, Finibus, Officiis, Summo Bono: Physicae, de rebus

Di-

Divinis, Humanis, Animo, Corporibus et commune fundamentum Metaphysica. Platonis de philosophia sententias quasque in hos locos digeret: expletis singulis locis, sententias in iis notatas inter se comparabit, ordinabit, et ad quamdam doctrinae rationem disponet. Reliqua materia multiplex, nec solum caeteras, praeter philosophiam, disciplinas, sed omnem historiam et antiquitates, omnium in omni vita rerum varietatem, sacrarum, civilium, bellicarum, domesticarum, complectitur: quae ipsae in Excerptis suo quaeque loco notandae sunt. Hanc ego rationem in Platone mihi sequendam designavi breviter adolescens: postea in Plutarcho factitavi, non sine magno meo quidem fructu. De uno etiam indice monendum generis historici illius, quo continentur nomina propria hominum, non modo Scriptorum, sed aliorum qui vel colloquentes inducuntur, vel alia quacumque caussa memorantur. Horum nomina et res, cum ex Platone, tum aliunde, colligendae, et ad quamdam notitiae perspicuitatem constituendae sunt: veluti in Prosopographia Codicis Theodosiani factum a magnis viris Jac. Gothofredo et D. Rittero. Habet haec opera magnum momentum cum ad auctoris intelligentiam, tum ad multos historiae locos explendos.

Tertium eorum, quae in ipso scriptore cernuntur, est *forma*. Plato usus est *forma dialogorum*. Hac offenduntur minuti philosophi com-

pen-

pendiorum angustiis assueti: eamque puerilem, non virilem esse rationem dictitant. Imperite, ut omnia. Non intelligunt quid in docendi via sit virile, quid puerile: et dialogum confundunt cum catechismo. Nunc videmus istos viriles scilicet philosophos suam sapientiam libellis conscribere, ubi magister breviter, ut ignorans, interrogat, discipulus docte et copiose respondet. Inepte, profecto, nec naturae convenienter. Nisi forte dicant, interrogationem magistri nil aliud esse, nisi titulum capitis. Quid igitur attinebat hoc *dialogum* vocare, quod potius inculcamentum vocandum erat. Videmus eosdem istos, quum in reprehendendis contemtoribus suis faceti et festivi esse volunt, colloquia scribere, inficeta quidem illa et horrida, nec enim aliter possunt: sed colloquentibus antiqua nomina imponentes, subito sibi suisque germani Socratici videntur: a doctis ridentur, ut ille in proverbio asinus ad lyram saltans. Ne igitur aut dialogum pro puerili lusu, aut puerilem stultitiam interrogando respondendoque distinctam pro dialogo habeamus. Sed hoc docendi genus quam ob caussam et qua ratione Plato usurpaverit, accuratius exponendum videtur; si forte reprehensores isti aliquando rectius judicare discant.

Ante Platonem qui dialogos scripserint philosophi, incertum est. Alexamenum Tejum primos scripsisse Socraticos dialogos prodidit Aristoteles libro perdito de Poëtis, unde hanc men-

tionem retulerunt Athenaeus XI, p. 505, C, et Diogenes Laertius, III. 48: qui idem primum dialogos fecisse perhibet Zenonem Eleatem, sed nullo ille auctore: *διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην.* Plato an Xenophon prior Socraticos sermones ediderit, quaeri possit. Sed haec nunc exquirere nil attinet. Illud inter omnes constat, Platonem primum omnes philosophiae partes adhuc dispersas complexum, uno doctrinae vinculo ligasse, dialogorum formâ consignasse, eamque formam ad artis rationem et verisimilitudinem communis vitae excoluisse. Nam, ut aliarum rerum, ita philosophiae primi scriptores fuerunt poëtae, ligata certe oratione scripserunt. in quibus ne memoremus Orpheum, Musaeum, Hesiodum, quorum sub nominibus spuria ferebantur carmina: certe germana fuerunt Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis. Sed hoc scribendi genus, quippe adstrictum necessitati modorum, quum excluderet facultatem subtiliter disserendi, definiendi, argumentandi; factum est, ut philosophi paulatim prosa scriptione uterentur. Et antiquissimorum quidem in hoc genere, quos aliquid scripsisse constet, Pherecydis, Anaximandri, Anaximenis, Anaxagorae, Zenonis Eleatae, Gorgiae, Melissi, Protagorae, Prodici, aliorum, libri ita perierunt, ut ne tantum quidem supersit unde eorum de oratione judicetur. Aliquanto plures exstant reliquiae Heracliti, qui legentibus sententias magis divinandas, quam intelligendas, ob-

objecit. Multae sunt Pythagoreorum Disputationes, Logicae, Ethicae, Physicae, cum disserendi diligentia et orationis gravitate. Haud paucae ad nos venerunt, non quidem disputationes, sed breviores sententiae, Democriti: cujus de omni philosophia, excepta Logica parte, fuerunt libri, insigni orationis ornatu; ut essent qui hoc nomine eum et Platonem, potius quam Comicos, in poëtis habendos censerent: quod est apud Ciceronem, Oratore, 20: *Itaque video, visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum: apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.* Sed Plato nullam fecit Democriti mentionem: quamquam poterat per aetatem. Hujus silentii quaecumque fuerit caussa, certe in orationis ornatu consectando, habuit quorum exemplum sequeretur, Democritum et Pythagoreos: et aliquanto plus hac etiam in re vidit. Vidit prosam philosophiae orationem nimio intervallo a poëseos similitudine avulsam, propius denuo ad eam revocandam esse. Hoc effecit dialogo adhibendo: itaque philosophiae institutioni motum vitamque adjunxit: nec disserendi diligentiae quidquam detraxit: immo accuratius eam ad humanae captum naturae accommodavit. Exemplo in primis ei erant sermones magistri sui Socratis: exemplo poëtae, tragici,

comici, mimici. Igitur et poëseos genera in dialogorum varietate apparent. Alii enim, ut epicum genus, sunt διηγηματικοὶ, narratione continentur, interposito *inquam* et *inquit:* alii δραματικοὶ, in quibus colloquium agitur, non narratur: alii ad tragoediae sublimitatem assurgunt, alii ad comoediae similitudinem et vitae quotidianae exemplum compositi sunt. Hoc debebat cogitare, excellentis ille ingenii doctrinaeque scriptor Dionysius Halicarnasseus, sed idem in Platonem iniquior, vetere oratorum erga philosophos odio, in primis Platonem, cujus, et alibi, et maxime in Gorgia, judicium de civili eloquentia, omnibus deinceps et oratoribus et rhetoribus sedit alta mente repostum. Hic ergo Platonem in genere *tenui* summis laudibus afficit, in *sublimi* ut puerilem reprehendit: ejusque caussae documentum adfert dialogum Phaedrum, in quo utrumque genus exstat: illud egregie, hoc perperam, tractatum affirmans. Quod, nisi invidia occupatus, affirmare nemo possit. Quis enim integro judicio ad illius libri lectionem accedens, non sentiat omnia apta inter se et continuata eodem verisimilitudinis nexu, omnia in utroque genere cum argumento, loco, tempore, re ipsa, pariter convenire tantum, quantum in ficto colloquio fieri potest; ut legentis sensus nusquam quidquam vel ineptum, vel absurdum, vel intempestivum offendat, sed ubique Platonem, κεκηλημένος καὶ συνενθουσιῶν, delinitus codemque divinitatis spiritu af-

fla-

flatus, sequatur. Sed Tu Dionysii locum, jam antea Tibi lectum, in tuo ipse exemplo relege; est enim longior quam qui hic apponatur: exstat in *Epistola ad Pompejum* Cap. II, p. 203. ed. Hudson: et partim repetitus in *Judicio de Demosthene* Cap. VI, VII, p. 271: et eumdem locum jam posuerat in parte nunc perdita operis *de Oratoribus Atticis*. Tanti ei videbatur istam Platonis reprehensionem ubique inculcare.

Et quod dixi, Platoni exemplum colloquii etiam poëtas praebuisse: certe utrumque genus jam philosophiae adhibuerant scenici, tragicus Euripides, comicus Epicharmus. Et mimorum scriptorem Sophronem diligenter lectitavit Plato; quo magis dialogos ipse suos ad verisimilitudinem et communis vitae speciem formaret. Quam quidem laudem mirifice explevit. Differunt enim hujus dialogi ab aliis et Socraticorum et aliorum omnium philosophorum dialogis tantum, quantum viva corpora a statuis. Nam ut Xenophon sententiam Socratis verius sinceriusque tradat: certe Plato rationem Socraticam disertius exprimit: dico ironiam, urbanitatem, facetias, imaginem quotidianae consuetudinis ac sermonis, tum illam disserendi viam accommodatam vel ad errores vanorum hominum confutandos, vel ad studia discentium juvanda, et, quasi obstetricis instar, ex parturientibus eorum ingeniis notiones involutas eliciendas. Porro, dialogus Platonis habet fere justi magnitudinem dramatis, partes, descriptio-

nem, ingressum, progressum, digressiones, exitum: habet interrogandi respondendique vices ita probabiles, ut ex ipsa humana natura expressae videantur, nil de industria quaesitum appareat: habet sensum affectumque, jocandi viam urbanam, venustam, verecundam. Et credibile est, jam ipsius Platonis aetate lectionem librorum ejus frequentatam multum valuisse ad conversionem veteris comoediae, ut sal Atticus, quem *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae, Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est*, multum quidem et acrem, sed acerba suffusum bile, gerebant, paulatim per mediae poëtas comoediae, tum novae in primis Menandrum, ab his labibus purgaretur, et ad germanam Atticam festivitatem elegantiamque redigeretur. Plato in plerisque omnibus suis scriptis dialogi formam tenuit, exceptis Epistolis et duabus Orationibus, Apologia Socratis et Epitaphio: quamquam et hujus principium et caussa repetitur a colloquio Socratis cum Menexeno. Qui postea fuerunt philosophi multum ex illa dialogi frequentia remiserunt: velut Speusippus, qui Platoni in Academia successit, teste Diogene Laertio, IV, 4, 5, καταλέλοιπε πάμπλειστα ὑπομνήματα, καὶ διαλόγους πλείονας, *reliquit plurimos commentarios, et complures dialogos*: non, ut vulgatus interpres reddit, *complura commentaria, et dialogos plurimos*: neque enim πλείονα plura sunt quam πάμπλειστα· valet hujusmodi hyperbole apud eos, qui oratorie loquun-

quuntur, in significanda praecipue amoris magnitudine: veluti illud fuit, quod in clausula librorum de Officiis vidimus: *Vale, mi Cicero, tibique persuade, esse te mihi quidem carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.* Plinii minoris, quem primis his feriarum diebus relegi, Panegyrici, 86, 6: *ut maximo fructu suscepti, ita majore depositi officii gloria fruitur.* 92, 5: *principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit.* Epistolarum II, 6, 7: *quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius iunguntur.* V, 18, 1: *Neque enim dubito esse amoenissimam villam, in qua se composuerat homo felicior antequam felicissimus fieret.* In Laertio qui proprie loqui solet, alia est ratio. Subjicit enumerationem dialogorum, et ὑπομνημάτων multitudinem numero versuum 43475 definit: quo in loco notandum est, ὑπομνήματα esse *libros nondum ad editionem expolitos*, et in his quoque censendos esse τοὺς ὑπομνηματικοὺς διαλόγους. Sed et hujus et deinceps reliquorum, excepta parte librorum Aristotelis et Theophrasti, ac nonnullis Epicuri et Chrysippi fragmentis, reliquorum igitur ad Ciceronem usque philosophorum scripta perierunt, nec tantum ex iis servatum est, unde eorum de oratione et forma judicetur. Ex horum numero complures fuisse qui dialogos scriberent, credibile est. Et nominatim quidem omnes recensere, non est hujus loci: sunt certe, quorum dialogi

memorentur, praeter Socraticos: *Heraclides Ponticus*, apud Ciceronem, Attic. XIII, 19: *Dicaearchus*, apud eumdem, Tusc. I, 10: forte *Aristo Chius*, apud eumdem De Senectute, 1: *Clearchus*, in Eusebii Praep. Evang. IX, p. 409, ex Josepho contra Apionem I, 22: *Stilpon*, apud Diogenem Laertium II, 120, et Suidam.

De Aristotele diligentius dicere juvat; quod hunc locum brevius attigi in Praeceptis Philosophiae Logicae III, 1, 9, et meam sententiam a nonnullis non recte intellectam animadverti. Ac primum quidem ex Ammonio, Hermiae filio, cui debemus accuratissimam librorum Aristotelis distributionem, in Commentario ad Categorias propositam p. 4. edit. Ald. eam descriptionis partem, quae ad dialogos pertinet, Latine et summatim apponamus. Igitur secundum formam usumque scripta Aristotelis bifariam dividebantur „ ut essent, vel *συνταγματικὰ*, id est, opera composita, descripta, absoluta ad editionem aliorumque cognitionem: vel *ὑπομνηματικὰ*, quae Latine dicantur *commentariensia* aut *commentaria*, quae nondum ad editionem conformata, tantummodo adversaria et materiam scribendi libri continerent. *Συνταγματικὰ* duplicis fuerunt generis: alterum, *αὐτοπρόσωπα* et *ἀκροαματικὰ* dicta, in quibus e sua ipse persona disserens ad germanos auditores *ἀκροατὰς*, sententiam suam explicabat per accuratissimas demonstrationes, ac difficiliores illas intellectu aliis „ ho-

„ hominibus: alterum διαλογικὰ et ἐξωτερικὰ dictum, in quibus sub alieno nomine, veluti Plato factitaverat, alienam personam agens, suam „ sententiam exponit non accuratis demonstrationibus, sed facilioribus rationibus ad communem multorum captum comparatis." — Haec ita sunt accipienda, non ut omne ἐξωτερικὸν genus dialogis conscriptum fuerit, sed ut omnes dialogi ἐξωτερικοῦ generis fuerint. Eodem valet testimonium Simplicii in Commentario ad Aristotelis Physica, Libr. 1, p. 2, lat. 2: Διχῇ δὲ διῃρημένων αὐτοῦ τῶν συγγραμμάτων, εἴς τε τὰ ἐξωτερικὰ, οἷα τὰ ἱστορικὰ καὶ τὰ διαλογικὰ, καὶ ὅλως τὰ μὴ ἄκρας ἀκριβείας φροντίζοντα, καὶ εἰς τὰ ἀκροαματικὰ, ὧν καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ πραγματεία, ἐν τοῖς ἀκροαματικοῖς ἀσάφειαν ἐπετήδευσε, διὰ ταύτης τοὺς ῥαθυμοτέρους ἀποκρουόμενος, ὡς παρ' ἐκείνης μηδὲ γεγράφθαι δοκεῖν· quibus in verbis ultimis ἐκείνης mutandum in ἐκείνην, id est, *per illam*, *propter illam obscuritatem.* Nosti enim hunc usum Praepositionis παρὰ cum Accusativo. Locum sic reddam: „Quum „ autem Aristotelis scripta bifariam dividantur, „ in *exoterica*, veluti historica, dialogica, et „ omnino ea, in quibus non summa demonstrandi diligentia adhibetur: et in *acroamatica*, ex „ quibus et haec Physica sunt; in acroamaticis „ obscuritati studuit, per hanc inertes a se rejiciens, ita ut propter hanc ipsam obscuritatem „ ne scripta quidem videantur." Illud ἀποκρουόμενος plane convenit cum Ciceronis dicto ad Tre-

batium in Topicis, 1: *Sed a libris (Aristotelis) te obscuritas rejecit.* Et quum de his, quae ad nos servata sunt, Aristotelicis scriptis dissentiant homines docti, quae sint scripta in acroamatico genere censenda, quae in exoterico; minus incertus erit census secundum perspicuitatem: quo quidem censu pleraque scripta in genere acroamatico vel hypomnematico erunt habenda. Neque dubium est, quin hypomnematici generis major etiam fuerit obscuritas; si quidem hoc genus nec ab initio ad editionem et perspicuitatem conformatum ab Aristotele, deinde cum hujus ac Theophrasti libris in Asiae urbe Scepso situ ac putredine corruptum, ita Athenas, inde Romam venit: ibique primum editum est ex laceris istis ac derosis voluminibus. Equidem in hypomnematico genere quoque censeam libellum, qui hodieque exstat, *de Poëtica*, inchoatum illum ad modum commentarii, postea tribus libris περὶ ποιητῶν ab Aristotele conscriptum et editum, nunc perditis. Sed de ista calamitate librorum Aristotelis ac Theophrasti, luculenta exstant testimonia Strabonis XIV, p. 906, et Plutarchi in Sulla, p. 468, B: nec plura dicere attinet. Illud non est praetereundum, libros Aristotelicos ac Theophrasteos per illam Romae factam editionem jam Ciceroni ejusque aequalibus innotuisse: ac deinde frequentatos fuisse, exotericos quidem usque ad exstincta veteris philosophiae studia jussu Justiniani Caesaris, ac deinceps: acroamaticos etiam diutius per

per totum Medii Aevii spatium, subinde non modo a Graecis tractatos, sed ab Arabibus et Latinis in suas utrisque linguas conversos et insano studio cultos. Igitur qui hodieque exstant libri Aristotelis in genere Logico, Ethico, Physico, longe maximam partem sunt acroamatici: exoterici perierunt plurimi, in his etiam Historici veluti De Rebuspublicis, et Dialogi. Et ex his adeo non nisi duo servati sunt longiores loci, nec tamen satis ad Aristotelici formam Dialogi cognoscendam: alter, ex Eudemo, cui libro argumentum fuit περὶ ψυχῆς, servatus a Plutarcho in Consolatione ad Apollonium p. 115: alter ex illo περὶ εὐγενείας, sed forte spurio, relatus a Stobaeo Serm. LXXXIV et LXXXVI. Et si qui alii Aristotelis dialogos memorant, breviore sane defunguntur mentione, quam ut inde horum cum Platonicis aliisque Socraticis dialogis similitudo aut dissimilitudo definiatur. Nam aut verbo eos attingunt: veluti Dio Chrysostomus Orat. LIII, p. 553, C: — Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ καὶ τιμῶν· hinc nil aliud colligatur, nisi Aristotelem multis in dialogis *de Homero* disseruisse: non item, hoc fuisse ipsum illis dialogis nomen et argumentum. Themistius Orat. XXIII, p. 295, D, meminit Aristotelis dialogum nomine *Corinthium*, inque eo inductum agricolam Corinthium, qui Platonis Gorgiam legisset. Plutarchus Adversus

sus Colotem p. 1115, B, narrans Aristotelem ubique Platonis sententiam de ideis exagitasse, scribit: Τάς γε μὴν ἰδέας, περὶ ὧν ἐγκαλεῖ τῷ Πλάτωνι, πανταχοῦ κινῶν ὁ Ἀριστοτέλης, καὶ πᾶσαν ἐπάγων ἀπορίαν αὐταῖς, ἐν τοῖς ἠθικοῖς ὑπομνήμασιν, ἐν τοῖς Φυσικοῖς, δια τῶν ἐξωτερικῶν διαλόγων, Φιλονεικώτερον ἐνίοις ἔδοξεν ἢ Φιλοσοφώτερον ἔχεσθαι τῶν δογμάτων τούτων, ὡς προθέμενος τὴν Πλάτωνος ὑπερείπειν Φιλοσοφίαν· ita corrigendus hic locus: quem in nostra editione ita posuimus, ut pro διαλέγων daremus διαλόγων ex antiquis codicibus: caeterum ἔχεσθαι pro ἐκ, et ὑπερείπειν pro ὑπεριδεῖν corrigendum moneremus. Ne vero aliquis per hanc Plutarchi mentionem inducatur in eam opinionem, ut putet, duplex fuisse genus dialogorum Aristotelis, *exotericum* et *esotericum*; nam eadem ratione quis colligat, Aristotelem tantummodo in ethicis et physicis *commentariis*, ὑπομνήμασι, non item in ethicis et physicis συντάγμασι, *editis libris*, illam Platonis sententiam reprehendisse. Falso. Nam dixit Plutarchus Aristotelem hoc factitasse πανταχοῦ, deinde amplificandi caussa quaedam genera librorum Aristotelis recenset: nec opus erat omnia recensere genera; neque exigenda est ab eo, tamquam a jurato teste, absoluta omnium generum enumeratio et quasi confessio. Quamquam frequens est haec iniquitas et ἀκρισία etiam apud eos, qui se Criticos haberi volunt.

Cicero denique, qui bis Aristotelicorum orationem dialogorum memoravit, ejus vix unam partem

tem significavit; et hanc quoque tam breviter, ut alter alteri locus repugnare videatur. Sed operae pretium est, ipsos apponere locos, si forte eorum contentione aliquid huic argumento lucis eliciamus. Igitur in Epistolis Ad Div. I, 9, §. 67, scribit ad Lentulum: *Scripsi igitur Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo De Oratore: quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles; abhorrent enim a communibus praeceptis, et* (ita recte Ernestus reposuit pro vulgato *ac*) *omnem antiquorum, et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur.* Hoc loco nil apparet dilucidius posse dici: *Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam* dicit ipsa eloquentiae praecepta ex his duabus principibus scholis sumta: quarum laudes praedicat ipse De Inventione II, 2. *Aristoteleo more in disputatione ac dialogo*, significat ipsam disserendi ac dialogi formam: cujus formae certe ea pars Ciceroni cum Aristotele communis est, quod scriptor non ex sua ipse persona loquitur, sed alios loquentes inducit: veluti Cicero in libris De Oratore Crassum, Antonium, Catulum, Caesarem, disserentes facit: atque item Aristotelem factitasse, ex illis Ammonii verbis colligi debet: — διαλογικὰ δὲ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραφεν, ἀλλ', ὥσπερ ὁ Πλάτων, ὑποκρινόμενος ἑτέρων πρόσωπα. — Nam et Plato nusquam in suis ipse libris suo nomine loquitur. Altero loco contrarium videtur asserere Cicero, Attic. XIII, 19, quasi libros

bros De Finibus more Aristoteleo scriptos affirmet, eos De Oratore contra: *Sunt etiam De Oratore nostri tres, mihi vehementer probati: in eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Julius frater Catuli, Cotta, Sulpicius: puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent: in quo sermo ita inducitur caeterorum, ut penes ipsum sit principatus: ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem.* Hic locus, ut ex Epistolis ad Atticum, corruptissimo omnium Ciceronis operum, cedere debet priori loco, ut operis multo magis emendati, praesertim confirmato auctoritate Ammonii. Nec difficile est excogitare mutationis aliquid, quo haec verba cum illis in consensum redigantur. Nos quidem istud aliis relinquimus: neque enim ii sumus, qui omnem mutationem emendationis instar censeamus. Igitur hoc unum tenemus: in ista duorum locorum repugnantia auctoritatem prioris graviorem esse reputandam. In reliquis *ἐπέχομεν.*

Caeterum diversitatem dialogi Aristotelici a Platonico insignem notat eruditus ac disertus ecclesiae doctor, Basilius cognomine Magnus, in Epistola CLXVII, Tom. Opp. III, p. 187, C: — *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν*

ἥ-

ἥψαντο τῶν πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Πλάτων δὲ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ λόγου ὁμοῦ μὲν τοῖς δόγμασι μάχεται· ὁμοῦ δὲ καὶ παρακωμῳδεῖ τὰ πρόσωπα· Θρασυμάχου μὲν τὸ θρασὺ καὶ ἴταμον διαβάλλων· Ἱππίου δὲ τὸ κοῦφον τῆς διανοίας καὶ χαῦνον· καὶ Πρωταγόρου τὸ ἀλαζονικὸν καὶ ὑπέρογκον· ὅπου δὲ ἀόριστα πρόσωπα ἐπεισάγει τοῖς διαλόγοις, τῆς μὲν εὐκρινείας ἕνεκεν τῶν πραγμάτων κέχρηται τοῖς προσδιαλεγομένοις, οὐδὲν δὲ ἕτερον ἐκ τῶν προσώπων ἐπεισκυκλεῖ ταῖς ὑποθέσεσιν, ὅπερ ἐποίησεν ἐν τοῖς Νόμοις. Ex hoc loco, non satis intellecto, fluxit pervulgata opinio, Aristotelem primo dialogos scripsisse, deinde scribere desiisse, quod Platonis et Xenophontis copiam et venustatem aequare non posset. Quam opinionem, ut probans, repetiit vir, quamvis magnus, J. A. Ernestus in notula ad Ciceronis, l. c. Attic. XIII, 19, nulla tamen alicujus auctoris facta mentione. Latinus interpres Basilii εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων, reddit: *mox rectam tractationem rerum aggressi sunt:* perperam, certe ambigue; quasi hic sit sensus: *mox relicta dialogorum scriptione, se ad alteram disserendi formam, quae res ipsas simpliciter et continua disputatione persequitur, retulerunt.* Atqui Basilius loquitur de forma dialogorum Aristotelis ac Theophrasti, quae non, ut Platonis, dramatico artificio ab initio ad finem deducta et personarum morumque notatione distincta erat: sed ipsum argumentum statim adgrediebatur: qualem in Xenophontis item dialogis exstare videmus,

mus, iis quidem, qui in Memorabilibus Socratis consignati sunt.

Sequitur, ut de iis dicamus emendandi interpretandique fontibus, qui extra Auctorem ex aliorum lectione Scriptorum proficiscuntur. Igitur aliorum Scriptorum triplicem sequemur distributionem; ut eos spectemus primum *universe*, deinde *peculiariter* in duplici aetate; altera eorum, qui post Auctorem, altera eorum, qui ante eum fuerunt. Atque totus hic locus, quamvis late patens, omnem antiquorum Graecorum Latinorumque scientiam monumentorum complectens, nunc brevi admonitione contentus erit.

Et primo quidem, qui Platonem cum fructu perlegere velit, nemo ad eum accedit, nisi lectis poëtis, Homero, Hesiodo, Pindaro, Tragicis, Aristophane, et ex prosae orationis scriptoribus certe Xenophonte. Lecto demum Platone, reliquos omnes persequetur: in iisque, ut item in Platone factitaverat, duplex cognitionis genus colliget, *linguae* et *rerum*. Ad utrumque recte perspiciendum adhibebit etiam recentiorum libros, cum Grammaticorum et Criticorum, tum Antiquariorum. De illis plura dicere nil nunc attinet. De his unum satis sit monuisse, horum delectum accommodandum esse ad argumenta ea, quae Plato, vel tractavit, vel attigit. Igitur et omnis historia tenenda est, et formae civitatum, leges, mores, instituta, consuetudo in omni vitae genere, cum publico, tum privato: et artes a Graecis cultae, cum

cum mathematicae, tum aliae, sive bellicae sive civiles, musicae, gymnasticae, similes, cognoscendae sunt ad eum certe modum, qui valeat ad Platonis frequentes in his argumentis locos interpretandos. Nam de philosophia, quae est proprium et perpetuum Platoni argumentum, quid moneamus futurum editorem? Et monuimus supra, eam ex ipso Platone colligendam esse. Neque vero colligere eam poterit, nisi ipse adferat aliquam philosophiae cognitionem exercitationemque jam antea perceptam. At cujus philosophiae, antiquae an novitiae? Utriusque, si fieri possit: sin minus, certe antiquae, ut magis conjunctae cum Platone. Sed volo in primis dialecticam: cujus expers τυφλοῦ πορεία oberrat, ut ipse dixit Plato: volo item physica et mathematica, volo etiam ethica: sed haec omnia hactenus, quatenus vel explorata vel verisimilia sunt, et ad vitae usum conducunt: nam quae supra hunc modum ad intelligibilia abstractaque, uti vocant, rerum principia adscendere se profitetur metaphysica doctrina, magis historice quam dogmatice assumenda, ut magis videamus quid alii statuerint, quam ut ipsi aliquam statuendi necessitatem suscipiamus. Igitur is, quem quaerimus, Platonis interpres, philosophiae, veluti aedificii, partes ac membra ita teneat, ut sciat quae sit eorum magnitudo et quasi supellex, ut judicare possit, qui in iis vel instruendis, vel amplificandis operae pretium, qui secus fecerint, quid actum, quid agendum, sit.

Et hujusmodi cognitione satis munitus, non se moveri, aut a proposita via deduci patietur clamoribus magistellorum novissimae cujusque sectae, vaticinantium, suam demum sectam solam et unice veram esse, hanc tenendam, si quis Platonem interpretari velit. Tale memini esse saeculum ineuntis meae adolescentiae. Intereram sermoni doctorum hominum: incidebat mentio Aristotelis: erant qui dolerent, eum contemtum jacere, nec nova editione ornari: horum aliquis, *Atqui novus*, inquit, *Aristotelis editor debet simul et Graecae linguae et philosophiae bene peritus esse: is nunc unus est J. A. Ernestus.* Tum alius, isque juratus Wolfianus, *Immo*, ait, *Ernestus Graecae quidem linguae peritissimus est, sed philosophiae ignarus.* Mirantibus reliquis temeritatem hominis, et commemorantibus, quos de philosophia libros scripsisset Ernestus; *Enimvero*, inquit iste, *Ernestus subinde Wolfium reprehendit, quem cum ratione nemo reprehendere potest; igitur prodit se aut non legisse Wolfium, aut non intellexisse; utrumvis sit, peritus philosophiae haberi nequit.* Hic alii acutiores indoctam hominis simplicitatem ridere: unus eum leniter admonere: *Heus tu*, inquit, *o bone; philosophiae peritum non eum dicimus, qui unius alicuius magistri sectam cognovit, in eamque juravit: sed eum, qui plurimas, quoad ejus fieri potest, cognovit, iisque tractandis et censendis judicium ac delectum adhibuit. Et in aliis disciplinis eamdem ratio-*

tio-

tionem tenemus. Veluti in Medicina, Jurisprudentia, atque adeo in Theologia, ut item in Philosophia multae deinceps fuerunt sectae: si quis igitur, ut hoc utar, in Medicina, recentissimi alicujus et famigeratissimi medici methodum amplexus, hanc solam dictitet veram, reliquas ignoret et contemnat, is ineptus sane sit et a prudentioribus rideatur. Ipsa quaeque doctrina manet: sectae nascuntur et pereunt ut homines. Recte ille et vere. Ita fuit, ita et nunc esse videmus, ita erit. Semper novitatis cupidi erunt homines. Et quod de musica dixit Homerus, Od. A, 351:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

item de aliis valet studiis, valet de philosophia, quam Plato noster τελειοτάτην μουσικὴν appellavit. Quot quantaeque fuerunt in Graecorum philosophia sectarum varietates? Quot quantaeque in quavis secta novae sectae, tamquam ex majore rivo minores rivuli? Harum nulla fuit tam tenuis et exilis, quin ultimus quisque ejus doctor a discipulis admiratoribusque suis victor aequalium ac priorum omnium, et solus veritatis inventor ferretur. Medio Aevo in Scholastica philosophia fuerunt Realistae et Nominalistae: utrorumque multae sectarum subdivisiones: uniuscujusque sectae antistes supra quam humanis honoribus celebrabatur: alius erat doctor *Angelicus*, alius doctor *Seraphicus*, alius doctor *Irrefragabilis:* alii

aliis nominibus, omnes deorum instar, colebantur. Sed erat haec divinitas brevissimi temporis: dejecto priore deo, novus inducebatur: qui, quum suam aetatem explevisset, item desertus, novo ipse deo locum fecit. Et recentiore aevo eadem fabula, aliis actoribus, deinceps repetita est: viderunt eamdem agi majores nostri, vidimus ipsi, videbunt posteri. Spectatores prudentes fabulam agi sciunt: imprudentes, tamquam puerili in scena, veram rem videre se putant, moventur, insaniunt, clamant nunc demum veritatem ostensam patefactamque apparere. Adeo verum est quod dixit Cicero de historia, *eam nescire, idem esse, ac semper esse puerum.* Et isti omnino dupliciter pueri, ut in proverbio est, δὶς παῖδες, reperiuntur. Primum, historiam ignorantes philosophiae, a novissimae cujusque sectae auctore capiuntur: deinde, prouti pueruli, simiarum instar, viros imitantur, sic isti illius auctoris verba crepant. Sed missum faciamus istud *imitatorum servum pecus.*

Videamus peculiariter de scriptoribus, qui ante et post Platonem fuerunt. Adhuc quidem posterius magis genus, ut copiosius et paratius, adhibitum est, cum a Criticis, tum a Philosophis. Nosti enim quanto studio postera omnis erudita Graecorum Latinorumque aetas legerit triveritque scripta Platonis: non modo omnium sectarum Philosophi, sed Grammatici, Rhetores, Historici, caeterique omnes, ut quisque maxime dicendi cogitandique elegantiam consectabatur. Habes in mani-

nibus Timaei Lexicon Vocum Platonicarum, cum commentario Ruhnkenii nostri, cujus Tu rationem tuo hoc in libello laudabiliter secutus es. Et ut in omnibus illis scriptoribus frequentes sunt Platonis loci, vel ad verbum appositi, vel imitando expressi, qui valeant ad Platonis cum scripturam emendandam, tum sententiam interpretandam: ita in primis ratio habenda est philosophorum, non solum Platonicorum, sed reliquorum inde ab Aristotele ad extrema fere Byzantina tempora omnium; quippe in quibus multi adhuc latent tales loci, nondum a novissimis interpretibus animadversi et excussi. Neque hoc ita dico, quasi Platonis de philosophia sententiam velim cognosci censerique ex posteriorum commentariis Philosophorum. Unam spectamus grammaticam rationem, quid scripserit senseritque Plato: vere nec ne senserit, suum cuique judicium relinquimus. Quot enim sunt hominum capita, tot sunt diversa judicia: et ad judicandum fere inclinare solent capita inania historiae philosophae, et unius alicujus magistri decretis occupata.

Superest, ut de iis moneamus Scriptoribus, qui ante Platonem fuerunt, quos a novissimis hujus editoribus interpretibusque parum adhuc cognitos adhibitosque animadvertimus. Sunt vel solutae orationis scriptores, vel poëtae, vel philosophi, vel utrumque: eorumque scripta vel supersunt, vel perierunt. In citandis auctoribus primus frequens esse coepit Aristoteles: neque tamen infrequens

quens fuit Plato. Hunc multa e prioribus sumsisse, nulla eorum facta mentione, non solum est probabilis conjectura, sed certa res multis documentis ac testibus confirmata. Ergo ratio duci debet diligens priorum Scriptorum: cum philosophorum, nec modo eorum, qui resensentur a Diogene Laertio, sed aliorum ab Aristotele memoratorum, in primis eorum qui carmina scripserunt, Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis, Epicharmi: tum vero, Historicorum, Sophistarum, Oratorum, aliorumque omnium. Sed plerorumque quum libri perierint, nec nisi leves reliquiae in aliorum scriptis sparsae lateant; has ipse quisque interiorum Literarum studiosus colliget. Nam quae adhuc sunt collectae, et paucae sunt et paucissimorum: et qui hac laude in primis fertur libellus H. Stephani, *Poësis Philosophica* inscriptus, ut inchoatus, eadem laborat inopia: quem ut aliquis doctus homo augeat suisque numeris expleat, et omnino ut omnium perditorum Scriptorum reliquiae congerantur, et sub suo cujusque nomine digestae vulgentur, vehementer optamus; quo facilior expeditiorque reddatur fontium cognitio, sine qua omnis interpretandi labor vanus et inanis est. Caeterum in iis, quae exstant integra, scriptis, promta ac parata, certe minus difficilis, est observatio. Homericae quidem et Hesiodeae imitationes cuique Platonem legenti sponte in oculos incurrunt: aliae magis latent, veluti ex Lyricis, Tragicis, Comicis, expressae. Equidem in hoc

hoc genere complures imitationes nondum, quod sciam, a quoquam animadversas, annotare me memini: et credibile est, multo plures me fugisse. Et profecto ita se res habet, ut maximum Criticae feliciter tractandae momentum positum sit in cognitione fontium, unde scriptor quisque et res et verba hauserit; quippe ignoratis fontibus, plurimorum locorum et sententiam et venustatem latere necesse est.

Sed haec pleraque Te ipsum, mi Heusde, jam re et usu expertum esse, multis in tuo libello documentis comprobasti: et mea haec scriptio magis pertinuit ad Te admonendum, quam ad docendum. Tu igitur, qui Platonis ornandi stadium ita ingressus sis, ut primum hoc specimen edideris non modo tironi decorum, sed neque veterano poenitendum; fac reliquum cursum gnaviter persequaris, ut tua ex opera fructus et ad Te laudis, et ad multos doctrinae, perveniat uberrimus. Vale. Scripsi Lugduni Batavorum, d. VII Julii, A. MDCCCIII.



EPISTOLA

AD

BOSCHIUM.

EX EDITIONE

PARTIS UNDECIMAE

BIBLIOTHECAE CRITICAE.

HIERONYMO DE BOSCH,

AMICO ERUDITISSIMO, VETERRIMO, OPTIMO,

S. P. D.

DANIEL WYTTENBACH.

Urbis amatorem Boschum salvere jubemus
Ruris amatores: —

Ohe! jam versum abrumpere cogor. Ecce, mi Boschi, hanc ad Te epistolam scribere instituens, hoc Horatianum exordium nactus, et ut mire opportunum apponere pergens, protenus offendo in proximis,

— — *hac in re scilicet una*
Multum dissimiles: at caetera paene gemelli.

Ne-

Neque enim gemelli, nec hac in re una multum dissimiles, sed in aliis multis sumus. Jam deinceps,

Fraternis animis: quidquid negat alter, et alter: Annuimus pariter, vetuli: —

convenit in nos hoc, *Fraternis animis vetuli:* at non item alterum: neque enim quidquid alter, negat et annuit alter: sed, ut multis in rebus consentimus, ita in multis rursus dissentimus. Et tamen, et Tu me amas, et ego Te: et vetus est hic amor: nec, nisi ita esset, hanc ad Te publice epistolam scriberem. Quamquam et aliae mihi hujus scriptionis caussae fuerunt. Quae tandem illae? Primum: Tu vis Tibi tale quid a me scribi: idque saepe mihi et significasti et declarasti. Deinde: ego volo; intelligo enim, me Tibi tale quid debere; quandoquidem Tu mihi politissimum tuum carmen *de hominum aequalitate* ante hos duodecim annos dicasti. Sane, ex illo tempore saepe observavi et quaesivi, si quid in mearum proventu Musarum haberem, quod Tibi donarii loco reponerem. Nihil reperiebam. Nam *Plutarchus*, qui mihi unum et perpetuum opus erat, Oxoniensi Academiae debebatur. Et si quae alia erant subita et subseciva, haec ad alios spectabant. Fuit in his, liber *Selectorum ex Historicis Graecis:* hujus praefatio pertinebat ad lectores discipulosque meos. Fuit *Vita D. Ruhnkenii* nostri: quae ipsius manibus integra illibataque servanda

videbatur. Et quod nuper repentino impulsu, et quasi ipsius Platonis instinctu, ad ejus Phaedonem edendum me conjeci: nolui Tibi librum inscribere, cujus nobis non esset commune studium. Neque vero privatus fuit infrequens proventus, in antiquis Scriptoribus vel ad meum usum ita relegendis, ut mihi viderer multis locis ad intelligentiam et emendationem profecisse: vel interpretandis ad discipulorum institutionem: quo in genere Horatianos quosdam libros, veluti illum De Arte Poetica, Epistolam ad Augustum, alios, quosdam item Virgilianos, tum Ciceronianos De Officiis, de Legibus, De Oratore, De Divinatione, De Senectute, De Amicitia, Paradoxa, ne dicam de Orationibus et Epistolis: hos igitur libros in scholis meis interpretatus sum ad eum modum, qui fere novae editionis instar esset. Ex his quum ante biennium, illum De Senectute Tibi inscriptum edere constituissem, Tuque illam spem lubens praeciperes, mox intellexi, si quidem non modo aliis, sed ipse mihi, satisfacere vellem, apparatu variarum lectionum ex antiquis libris opus fore ampliore, quam quem ipse tempore tam multis laboribus occupato colligerem. Itaque hoc editionum aut abjecimus consilium, aut certe in posterum rejecimus: et si quid in scholarum nostrarum dictatis novae lucis inesset, totum hoc in Bibliotheca Critica, si quando eam instauraremus, prodere decrevimus. Huc accedebat Hengstius noster, subinde flagitans ut sibi

Bi-

Bibliothecae Criticae Volumen Tertium ne inchoatum relinquerem, sed additis duabus Partibus explerem. Agnovi caussae vim et honestatem: promisi me, si quando aut Plutarchei operis perpetuitate, aut aliorum studiorum satietate, ut fieri solet, defatigatus, materiae novitate et variandis laborum vicibus animum alia scriptione recreare vellem, materiam scriptionis Bibliothecam Criticam sumturum. Sed hoc ejusmodi erit, ut, si forte, expleto hoc Volumine, in eodem scriptionis genere pergere velim, non me rursus in eamdem quadripartiti Voluminis explendi necessitatem concludam, sed integrum mihi reservem judicium de Partium numero; ut in postrema quavis Parte, tamquam finito opere, desinere liceat. *'Αλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός*; tam diu intermisso et vix resumto penso, novum etiam animus somniat? Atqui cum exceptione haec dicuntur, *nisi quid acciderit:* et, ut omnia nostra, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.*

Caeterum, resumta subito per hoc feriarum otium Bibliothecae Criticae scriptione, Tui mihi continuo, mi Boschi, in mentem venit. Age, inquam, faciamus, ut eadem opera duplex nomen solvamus: et librum diu studiosis hominibus debitum absolvamus, et eum Boschio inscribamus: et quidni Boschio eodem jure Tertiam Partem, quo Primam Fonteinio? praesertim meliore conditione. Nam ut Fonteinium, tamquam communem parentem, paterno honore coluimus, ita me

et

et Boschium caritas et familiaritas quasi fraterna junxit: et debeo ei vicissim munusculum: et contentus erit eo, quod dabo: nec novum reponet, cui ego rursus novum et ipse reponere debeam. At Fonteinio scripsi gratuita pietate: nil ei debebam: nec mihi rescripsit, sed opus imposuit, Theophrasti editionem. Haec est illa in superiore hujus Bibliothecae Parte (*) mihi dicta adoptiva et indotata filia: quam dictionem nonnulli perperam acceperunt. Nosti, auctore Herodoto, I, 93, Lydis morem fuisse filias prostituere, ut, corpore quaestum facientes, dotem sibi futuri matrimonii colligerent. Ab hac ratione mea pietas abhorrebat: quamquam non dissimile in aliorum scriptis edendis subinde usurpatur. Ego adoptivam filiam prostituere nolui: nemini eam venditavi, nec utendam concessi: nullam ejus floris partem nec ipse delibavi, nec aliis delibandam permisi: integram virginem, pudice, liberali septam custodia servavi: nec nisi in adolescentum doctorum, eorumdemque castorum et modestorum, conspectum et colloquium eduxi; si forte aliquis eorum in matrimonium sibi eam expeteret. En! inquam, haec est adoptiva mea filia, quae dotem quidem non habet eam, quae vulgo dos dicitur, sed aliam longe majorem: quae nunc nondum apparet, apparebit autem, si ad eam colligendam studium et laborem contuleritis: colligenda est per Graeca-

(*) [Cf. Vol. III. Part. II. p. 103—106.]

tarum Romanarumque Literarum scientiam, cum ex Veterum libris, tum apparatu et commentario patris formando et expoliendo: ita vobis puella magnam gloriae dotem adferet: ego vobis dux et adjutor operis ero. Adhuc nemo fuit, qui ejus amore caperetur: nec tamen desunt, qui prae se ferant, se conditionem non repudiare, sed deliberare. De quibus, si, quod nolim nec fore opinor, spes nos defecerit, puella ad Teleobaptistas se abituram minatur, ubi alatur et fortasse, quamvis vetula, in matrimonium collocetur.

Tecum, mi Boschi, alia mihi caussa est: non metuo ne Tu quoque adoptiva me filia ferias. Scribo hanc ad Te epistolam, ut duplici officio defungar, ejusque debiti conscientia, quasi onere, animum levem et religione solvam antequam ad plures abeam: quod Socrates in Phaedone dixit, *ἀσφαλέστερον εἶναι μὴ ἀπιέναι πρὶν ἀφοσιώσασθαι.* Sed et ipsa per se amicitia hoc a me sive munus sive monumentum postulabat. Quae si, secundum Veteres, virtus est, nec virtus sine prudentia esse potest, prudentiae autem est se ipsum noscere; da Te mihi parumper, mi Boschi, redi mecum in memoriam priorum temporum nostrorum, ut cognoscamus a quibus initiis profecta nostra amicitia, quibus officiis culta et confirmata, et adhud floruerit, et in posterum se tueatur.

Annus erat MDCCLXXI quum ego adolescens, hac in Academia Literis studens, principum ingenio doctrinaque virorum, Ruhnkenii et Valckenarii, consuetudine et amicitia fruens, nec aliud ni-

si finito anno reditum in patriam cogitans, cathedram Literarum et Philosophiae in Amstelodamensi Remonstrantium Collegio, commendatione duumvirorum nostrorum mihi oblatam, eorumdem hortatu accipiebam. Uterque hujus mihi stationis opportunitates praedicabat, in his urbem frequentem Literis et studiosis earum hominibus, quorum plerisque meum adventum haud ingratum fore, certe Petro Fonteinio et Hieronymo Boschio: illum multae lectionis senem, Theophrasti Characteres edere parantem, me sibi adjutorem expetiturum: hunc juvenem Literarum amore ardentem, lubentur mecum in earum studio versaturum: *et Boschius facit bonos versus*, ajebat Valckenarius, *et prosam orationem melius scribit quam solent vulgo, qui versus faciunt: en! librum, quem modo edidit*, G. *Hooftii Carmina Juvenilia:* erat enim liber prae manibus: inspicio, video praefationem pure et eleganter scriptam: continuo de Te bene sperare coepi.

Mox Amstelodamum excurro, habitationem aliasque commorationi necessarias res prospecturus. Quibus prospectis, Fonteinium adeo: qui me comiter excipit, erga hominem non ante visum propriam sibi gravitatem humanitate temperatam obtinet: gratum sibi meum adventum esse, gratam consuetudinem fore: quaerere de meis studiis et Plutarcho, ego de illius Theophrasto: ille mihi narrare de Hemsterhusio, ego illi de Ruhnkenio et Valckenario: tum mittit qui Te arcessat in vicinia ha-

habitantem. Pergo narrare seni. Tu advolas, alacer, fervidus, antiquo more candidus, simplex, apertus, insignis ad benevolentiae effusionem, ad sententiam pronunciandam promtus: alloquens ut diu cognitum: „ *Salve, mi Wyttenbachi, gaudeo te ad nos venisse, spero nos amicos et familiares fore, spero Literis una operaturos.*" „ *Et tu,* inquam, *mi Boschi, salve, et spero ita fore, ut ais.*" Tum Tu de studiis tuis narrare, Homero, Hesiodo, Theocrito, hos te legisse, sed ad Homerum rediisse, hunc iterum et saepius et semper legendum esse: et intonas illud, hunc esse, *a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis.* Ego, cui hic impetus et sonus plane novus accideret, „ *Agnosco te,* inquam, *mi Boschi, plenum Homeri numine: et rite facis: nam, ut Aratus carmen suum ab Jove orsus est,* Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, *ita Quinctilianus praecipit initium studii Literarum ab Homero ducendum esse: haec semper regia via fuit: quam tu viam secutus, quantos progressus feceris cognovi nuper ex libello tuo, quem vidi apud Valckenarium: qui ait, te bonos versus facere, et prosam orationem melius scribere quam vulgo soleant, qui versus faciant: et sane mihi videris Ciceronem, Nepotem, Terentium diligenter lectitasse.*" Ad haec Tu: „ *Ain' tandem, hoc Valckenarius dixit? ain' tandem, hoc tu judicas? atqui sunt hi auctores, quos quotidie lego, ad quorum exemplum stilum ipse meum formare studeo: tu vero, an etiam versus facis?*"

„ *Non-*

„ *Nondum*, inquam." „ *Quare nondum?*" „ *Quia nondum alia satis didici.*" „ *Tu alia nondum satis didicisti? quaenam illa?*" „ *Et prosae scriptionem*, inquam, *et alias multas Literarum partes.*" „ *Et tamen*, inquis, *pulcrum est versus facere!*" „ *Est omnino*, inquam, *pulcrum, pulcros versus facere; nec modo pulcrum, sed paene divinum; quod poesis in altum evolat sublimis, prosa autem, ut vocatur, ita est pedestris oratio, et humi incedit: me quidem nemo inducet, ut divinitatem appetam, antequam humanitatem satis perceperim.*" Fonteinius placide subridens, „ *Ita est*, inquit: *suum cuique judicium in his studiis servandum est: qui bonos versus facere potest, faciat; est enim egregium: qui non potest, ne faciat: est enim non modo malum poema, sed mediocre etiam, intolerabilis res, judice Horatio: mediocribus esse poetis, non homines, non Dî, non concessere columnae: in aliis rebus mediocritas fertur: prosa scriptio, quamvis mediocris, toleratur: quare? quia cogimur prosa uti: versus facere nemo cogitur: mediocres versus non nisi in pueris et adolescentibus ferendi sunt, quibus pensi loco datur haec exercitatio, utilis sane ad numerorum modorumque cognitionem faciliorem, ad studium excitandum, ad ingenium exhilarandum: semper equidem ita judicavi, bonum poetam esse non posse, nisi cui, praeter ingenium et linguae scientiam, etiam doctrinae copia adsit, cujus varietate doceat et delectet: tali demum homini con-*

ce-

sedatur versus facere, si valeat componendi facilitate, nec totos dies in pariundis paucis versibus desudet, sed ad Ovidii similitudinem accedat, cui sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos: igitur inter eruditissimos etiam viros et in poetarum lectione versatissimos plurimi fuerunt, qui a poematibus pangendis abstinerent: veluti nostrates J. F. Gronovius, J. Perizonius, T. Hemsterhusius, et qui nunc sunt, L. C. Valckenarius, et D. Ruhnkenius: exteri, ut puto, J. A. Ernestus, et R. Bentleius quamvis omnium μετρικώτατος. Ad haec Tu videbaris, et dum loquebatur, et quum desierat, quaedam objicere velle, sed senis verecundià te ipsum cohibere: denique, „ *Sit ut vultis*, ajebas: *nunc a te peto, Fonteini, ut mihi Wyttenbachii copiam facias, eumque hanc vesperam mecum esse sinas, si quidem vult et vacat.*" „ *Et volo*, inquam, *mi Boschi, et vaco.*" Ita Fonteinio salvere diximus, ad Te concessimus.

Ibi Tu quasi liberior et Tibi redditus, naturae obsequebaris tuae, tuorum mihi bonorum cognitionem impertiebas, clausos adhuc sapientiae thesauros recludebas; ut mihi Socratis in mentem veniret, quem Alcibiades, apud Platonem in Convivio, cum statuis Silenorum comparavit, quae bifariam apertae intus habere deprehenduntur ἀγάλματα θεῶν, deorum signa. Ostendebas mihi annotationes tuas in Homerum, Hesiodum, Theocritum: ostendebas, in Ciceronem, Terentium, Horatium, alios: quas ego mirans accurate et ad

grammaticam diligentiam factas „ *Nae*, inquam, *mi Boschi, licet jam tibi impune versus facere; qui nil remittis ex grammatica severitate; quod multis, qui versus faciunt, accidere videmus.*" Reliquum tempus ad focum, inter Socratica pocula, id est minuta et rorantia, et literatos sermones traduximus. Erant haec inter nos deinceps perpetua: „ *En illum Homeri locum prorsus divinum! En tibi illum in alio genere non minus divinum! Quid hunc dicis, longe omnium divinissimum, quem Virgilius plane divinitus reddidit? Ah! Virgilium mihi dicis: quem nemo, nisi qui Homerum edidicit, intelligere potest: quem ego quum puer tanto studio et admiratione legissem, ut nil perfectius, nil mihi magis intellectum putarem Virgilio, magis etiam admirari et intelligere coepi, postquam Homerum legissem. Sine Graecis Literis nulla est salus in Latinis, dimidium et lucis et suavitatis abest, et plane illud Homericum accidit,* "Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς." Haec fere simul ambo et communiter celebrabamus. Tum ego: „ *Recte ais: nam quid ipsi Latini Scriptores sine Graecis Literis fuissent: Cicero, qui nunc in aliorum Latinorum jactura unus nobis instar multorum est, quem et in oratoribus Demostheni et Isocrati, et in philosophis Platoni et Xenophonti opponimus, quo nec doctrinae copia, nec orationis perspicuitate, suavitate, gravitate, quid excellentius esse potest, numquam ad hanc laudem pervenisset, nisi a Graecis Literis* om-

omnia illa bona in Latinas Literas transtulisset." Hic Tu: „*Noli, de Cicerone secus quid dicere: quem ego dies noctesque lego, nec ejus lectione umquam satiari possum: ut hoc in Epistolis eleganter dixit! ut illud in Orationibus festive! ut rursus illud egregie! Dii boni! qui ita scribit, hunc ipsum Deum esse oportet.*" „*Est ita*, inquam, *optime Boschi: nemo omnium me magis tecum consentit in amore Ciceronis: nec eum sola doctrina, sed natura etiam valuisse ajo: nec sine utriusque praestantia et conjunctione tantam divinitatem consequi potuisse: est illud ipsum quod Plato dixit in Phaedro* (p. 354, C.) εἰκὸς, ἴσως δὲ καὶ ἀναγκαῖον, ἔχειν ὥσπερ τἄλλα· εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσῃ ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσῃ· *tria esse, quibus quis aliquo in laudis genere, item in eloquentia, magnus fiat, naturam, doctrinam, exercitationem: doctrinam appellans* ἐπιστήμην, *scientiam, artem, rationem ac viam, quam alii methodum et theoriam dicunt.*" Tum Tu: „*Apage, mi Wyttenbachi, omnes methodos ac theorias! quibus hodie quoque multi, qui se philosophos esse volunt, nos poetas alligare cupiunt: nil est impudentius illis hominibus, qui nec Latinam linguam, nec versus facere, sciunt, et tamen de his judicant, et secundum leges ab ipsis latas nos censere et regere audent.*" „*Omnium rerum*, inquam, *etiam optimarum, perversus usus fieri potest: sed Cice-*

ronem quoque nosti illa tria quasi fundamenta ponere eloquentiae: et de hac ipsa methodo et arte egregios illos rhetoricos libros scripsisse, De Oratore, Brutum, Oratorem, alios." „*At ego te*, inquis, *ipso Cicerone auctore confutabo, qui in his egregiis De Oratore libris alicubi affirmat, naturam atque ingenium vim ad dicendum afferre maximam.*" „*Credo equidem*, inquam; *maximam dicit, non omnem, ut artem et exercitationem excludat: et ego te confutabo auctore Horatio tuo, qui dicit, doctrina vim promovet insitam.*" „*Vah! Horatium mihi opponis? quem recte meum dicis, quem in oculis fero, quem de manibus numquam depono! quasi vero is illo loco, vel de eloquentia aut poesi, aut aliarum rerum scientia, ac non de virtute loquatur, vel doctrinam aliam dicat quam educationem et institutionem: tunc putas Horatium carmina sua composuisse secundum praecepta alicujus philosophi aut grammatici, ac non ista ista vincula bonitate naturae contemsisse, et ingenii impetu in altos nubium tractus evolasse?*" „*Ego, mi Boschi*, inquam, *in judicio de Horatio, ut de aliis magnis Scriptoribus, sequor Platonem meum: dico, Horatium natura valuisse, tum doctrinam et exercitationem assumsisse, ita magnum poetam exstitisse: item judico de Virgilio, et omnibus magnis poetis: de Cicerone in eloquentia, et de omnibus magnis oratoribus: et item de aliis generibus: nam, quod dixisti de praeceptis artis, Horatium iis studuisse res ipsa*

et

et ejus Ars Poetica loquitur: jam vero eum Graecis Literis non modo excultum, sed repletum fuisse, et totum a Graeco fonte manasse, et singuli versus et tota poemata produnt: igitur, ut in ejus Carminibus sublimitatem et majestatem, in Satiris et Epistolis sapientiam et urbanitatem miror, ita video unde haec fluxerint: agnosco in illis Lyricos Graecos, Alcaeum, Pindarum, Sappham: in his Socraticos, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Bionem: in utrisque omnem Graecorum eruditionem: quis enim hujus ignarus Horatium intelligat? sed exercitatio ac doctrina extrinsecus veniunt, ingenium intrinsecus ab ipsa natura insitum adesse debet: cujus nisi tamquam agri bonitas subsit, exercitationis ac doctrinae quamvis bona semina frustra in eo seruntur, ac pereunt." „*Plane tecum*, inquis, *sentio: modo ne in doctrinae instrumentis numeres ista compendia rhetoricae et poeticae, non dico antiquorum aut ad antiquam rationem scribentium, sed novissimorum jejune et misere philosophantium.*" „*Non faciam*, inquam; *modo tu mihi vicissim concedas, hodieque item comparatum esse ut antiquitus, neque posse quemquam ulla in Literarum scientia et facultate magnum existere, nec bene prosam scribere, nec bona poemata pangere, nisi ad naturalem ingenii facilitatem accedat exercitatio et doctrina, id est, ut Veteres perpetuo legamus, et saepe multumque scribamus, nostraque scripta sedulo cum Veterum scriptis comparemus ad eorum-*

 que

que exempla conformemus." „Atqui hoc ipsum est quod et ego factito, et alios factitare hortor: jam nuper aliquot impuli adolescentes ad haec Literarum studia capessenda: hi tui discipuli erunt." „Macte virtute: qui tantopere de Literis mereris: sane audivi, te hac in urbe haud dissimilem Socrati item obire et adolescentes ad bona studia incitare: sed de Socrate fuerunt qui dicerent, eum fuisse ad προτρέπεσθαι ἱκανώτατον, non item ad προαγαγεῖν, efficacissimum ad impellendum, minus efficacem ad producendum, id est, ad leniter ducendum, et quasi docendum: sic enim Cicero ad Varronem accommodavit Acad. I, 3: philosophiam, inquit, multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum. Tu fortasse, mi Boschi, utraque facultate vales: ego impellendi facultate parum valere me fateor." „Haud equidem, inquis, miror: nam videris mihi aliquantum frigere, me pro eo, quantum in Literis profecisti, earum amore ardere." „Unusquisque, inquam, suo more ardet: alius vehementius, ut tu: alius lentius, ut ego: velim modo istud, quantulumcumque mihi est ardoris, cum aliis communicare possim: nam semel incensum haud desperem in ardore servare, docendo et doctrina, tamquam oleo, infundenda: quare, mi Boschi, etiam atque etiam te rogo, ut istud disciplinae munus mecum quasi partiaris: tu primas partes easque breviores, sed tamen primas, suscipias impulsoris, seu mavis incensoris; ego secun-

das,

das, doctoris, motum regentis, et ardorem alentis: sed narra mihi, sodes, quomodo quem incendas: juvat hoc scire et proderit ad meum mihi munus recte tuendum." „*Vide*, inquis, *quomodo agam: adolescentulos studiis destinatos moneo, ut attendant quod sit momentum studiorum; sine Literis Graecis et Latinis nullam esse in ullo genere salutem: ostendo exempla, homines qui hac via ad summam gloriam venerunt, et rursus, qui, neglecta eadem via, inglorii et contemti manserunt: fidem et auctoritatem mihi facio apud audientes: credunt: tunc pulcrum aliquem poetae locum iis praelego, ut moveantur et attenti reddantur: hunc iis locum interpretor, verborum vim aperio, constructionem necto, sententias declaro, manifeste et significanter: ecce, illud, quam venustum! en hoc, quam sublime! viden' hanc imaginem, quasi picturam oculis subjectam! sentisne? Locum ita pertractatum, denuo iis praelego: et plerumque ita afficiuntur, ut cum poeta in altum evolent, nec relinquere eum velint donec perlegerint."* „*Nae tu*, inquam, *Boschi, philosophus es, licet te esse nescias et nolis."* „*Quid ita?"* „*Quia adolescentibus alas addis, eosque volare doces: lege Platonem in Phaedro, docentem hoc esse philosophiae proprium munus, excolere et instruere alas animi, quibus ex his terrenis rebus ad coelestia evolet: sed cedo, locos quos adolescentibus pro alarum quasi remigio adhibes?"* „*Ha! Veteres philosophi: hi alti fuerunt atque isti ho-*

die dicti philosophi, qui de Veteribus judicant, nec eos legerunt." „ *Sic est: sed cedo illos versus quibus tu adolescentes ad studia incitas."* Hic Tu, mi Boschi, recitabas ejusmodi locos, ea voce et vultu, ut facile agnoscerem Te ad recentes juventutis animos movendos haud parum valere debere. Caeterum ex alio in alium locum incidebamus, qui nobis quasi manum injiceret, nosque retineret vel admiratione pulcritudinis, vel dubitatione de vera sententia et scriptura. Itaque continua deinceps nobis invicem erant haec: *Ut hic mirificus est locus! Ut illud egregie dictum! Hoc vero ita, ut nil supra! Quomodo tu hunc locum interpretaris? ego sic. Criticus aliquis ita correxit. Immo corrigere voluit, et locum corrupit. Non amo istam mutandi libidinem"* — Ita sermones nobis ad multam noctem fluxerunt. Aderant duo quidam tui familiares, haud indocti, qui nos libenter audirent.

Abii a Te ita ἐπᾳδόμενος, ita Tui amore captus, ita affectus, ut me a neminis umquam congressu affectum abiisse memineram. Tum reputans apud me quid illud fuisset, quo me tantopere cepisses, etiam aliud, praeter studium Literarum, reperisse mihi videbar. Nam erat hoc quidem validissimum ad amorem invitamentum, studiorum communio. Placuerat mihi, quod Tu, quamvis versus faciens, tamen prosae et Ciceronis esses studiosus: Tibi, quod ego, quamvis non faciens versus, tamen poetis multum tribuerem. Quos

Tu

Tu legeras auctores, hos et ego legeram: igitur loci, quos alter proferret, alteri non erant ignoti: et erant ejusmodi, ut nostrum utrique placerent: haec nobis fuit materia συμπαθείας, quae est pars amoris. Tu Graecarum Literarum eras cupidissimus: ego aliquantum in iis profeceram. Tu me amare videbaris; hoc amorem erga Te mihi faciebat; ut est proverbium, ἔρως ἀντέρωτα τίκτει. Huc accedebat, quod Tu bonus homo eras, et me item esse haud dubitares: dicerem, *et ego item bonus eram*, nisi de seipso haec professio speciem levitatis habere putaretur: magnum enim quoddam hoc est, *bonum hominem esse*, et vere dicitur χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι· ab aliis tributam sibi hanc laudem accipere licet: eruditum se esse, et ipsum profiteri, puerilis est vanitatis: nec, ab aliis tributum accipere, invidia caret. Certe amicitia, nisi inter bonos, esse nequit.

Migravi Amstelodamum, eodem anno exeunte. Statim et quotidie una fuimus, et in studiis, et in omni vitae consuetudine. Mox tertius nobis accessit studiorum socius Matthias Temminkius, vir optimus, Wesselingio doctore eximia Literarum et Historiae scientia eruditus, novam editionem Aethiopicorum Heliodori moliens. Hic nobis plane erat, *mitis sapientia Laeli:* cujus cum lenitate tuus fervor, nescio quomodo, congruebat. Ita tres, magna voluntatum consensione, sodalitium junximus, et sermonibus de omni Literarum genere, tum vero lectione Sophoclis, Euripidis, et

Aristophanis frequentavimus. Hanc rationem per biennium tenuimus. Temminkium respublica sibi asseruit: cujus compluribus muneribus magna in temporum varietate, magna fide functum, nunc Leida nostra fovet in otio literato et pio senescentem; omnibus literatis optantibus, ut Heliodoro suo, aut ipse, aut per alium, publicam lucem impertiat.

Neque vero alterum reticeamus sodalitium, quod a diebus Martis, quibus singulis habebatur, *martiale* cognominare solebamus, non quidem illud unice nostris Literis earumque commentationibus, sed universe doctis et jucundis confabulationibus dicatum, et peramanter junctum: cujus, nobiscum tribus, quinque alii fuerunt sodales.

Fuit Fred. Guil. Boersius, vir ad omnem elegantiam natus, Ruhnkenii nostri disciplina ad politiorem Literarum scientiam excultus, clarus docta disputatione *De Anthropologia Stoicorum:* quibus dotibus accessit multiplex lectio, et hominum, cum in patria, tum apud exteros, usus: animorum observatio: sermo utilium et jucundarum rerum commemoratione frequens, idem perfacetus, sine offensione et acerbitate: immo in omni congressu urbanitas, et cum benivolentiae significatione amabilitas. Difficillimis reipublicae muneribus ac negotiis magna cum laude spectatus, communi rerum conversione afflictus, temporum iniquitatem sua ipse constantia vicit: nunc animum

mum ingeniumque vetere Musarum commercio recreat et sustentat.

Huic conjunctissimus, ingenio et temporum fortuna persimilis, Nicolaus Paradysius, medicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, jam tunc juvenis eleganti Literarum et Latinitatis judicio valebat: usu et ratione medicinae excellens assumebat historiam artis, ut sciret quid antiquae esset doctrinae, quid recentioris: Veterum et simplicitatem sequeretur et auctoritatem tueretur, eamque ab novatorum calamistris et cincinnis integram servaret: similis *hac in re scilicet* Tibi, mi Boschi, antiquum obtinens: caeterum sermo, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ex audiendi silentio et cogitandi acumine existebat subtilis, perspicuus, suis partibus nexus, interspersus leporibus et aculeis. Nunc ex vetere sodali novus collega, saepe mihi sodalitii illius dulcedinem et narrat et refert. Sed pergo ad caeteros.

Henr. Const. Cras, eodem, quo ego, tempore, privatus item, Leida Amstelodamum ad ornandam cathedram vocatus: quae fortunae communio primum notitia nos, tum consuetudine et amicitia conciliavit: ad Jurisprudentiam docendam duo magna adferebat, quibus eam et firmaret et ornaret, adjumenta: alterum, usum Ciceronis, indeque ductam Latinae orationis bonitatem: alterum, Philosophiae cognitionem; ut inter principes Jurisprudentiae et ad ejus laudis similitudinem pervenerit, quam Servio Sulpicio tribuit Cicero (Bruto 40, 41.): et eloquentiae assumserit tantum ut

Ju-

Jurisprudentiam facile tueretur: et artem adhibuerit omnium artium maximam, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, quo vera et falsa dijudicarentur, et quae quibus positis essent, quaeque non essent consequentia. Huc accedebat comitas blanda et sermocinatrix, ut et vulgo libenter audiretur, et perspicue intelligenterque docendo indiscentium animos facile influeret; unde factum est ut, cum sua ipse fama, tum discipulorum habitis editisque disputationibus, Athenaeum nostrum celebraret.

Jam in vicino nostro, tuo postea in graphiario munere collega, Henrico Calkoenio multa erant naturae bona: sensus veri pulcrique acer: animus risus et hilaritatis socius, ut eum numquam in vita plorasse diceres: certe dissimillimus Heraclito, haud dissimilis Democrito, ineptias vulgi ridens: at miseris succurrere discens, in eoque officio nec operae, nec rei ipse suae, parcens: igitur quum magno fori usu patrocinium caussarum tueretur, omnium consensu laudem non modo prudentiae et fidei, sed et beneficentiae et liberalitatis adeptus est. Ipse quoque civilibus mersus undis, maluit sua constantia munus amittere, quam inconstantiae opinione suscipienda retinere — *justissimus unus Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi. Dis aliter visum!*

Denique Abr. Ar. Meerschius, meus in Schola Re-

Remonstrantium collega, fuit sane multis vir ingenii dotibus ornatus, idemque, ut in materiae varietate, perdoctus. Nam ipse antea Literas et Philosophiam docuerat, tunc Theologiam et Historiam Ecclesiasticam docebat; ut utriusque cathedrae partes cognitas habere deberet, et haberet ad eum certe modum, quo et discentibus satisfaceret, et apud alios homines docti Professoris existimationem tueretur. Natura ei eam sermonis facultatem, eum vultum oculorumque significationem tribuerat, ut dictis suis multum vel gratiae vel auctoritatis addere posset: praeterea in scribendo, scribebat autem Belgice, ejusmodi valebat compositionis proprietate, qua argumenta ab aliis jam tractata, sua ipse doctrina et ratione ita retractaret, ut nova et ipsius ingenio nata viderentur. Nam et sale abundabat et festivitate: quibus quum frequens uteretur, subinde quoque abuti putabatur. Aliquot ante obitum annis, oculorum visu captus, calamitatem patienter tulit: quod magnum profecto fuit in homine, qui vitam in Literis ac libris transegisset, semperque aliquid scriberet, quod vel suo, vel alieno, vel nullo nomine ederet. Hic unus è nobis fatum jam suum implevit: sit illi κουφὴ κόνις! Reliquis nobis Deus O. M. et mutuam benevolentiam servet, et reliquam vitam exitumque facilem duit!

Igitur cum illis frequens nobis fuit consuetudo: at nobiscum duobus invicem quotidianus usus: eramus unum amicorum par: seria, joca, publi-

blica, arcana, omnia communia. Ita biennium fuit: quum Tu in graphiario munere et alia vita constitutus, melius laxiusque habitatum in aliam domum migrares, in qua et contubernali locus superesset. Volebas me Tecum habitare: ego non nolebam: et alii ita oportere judicabant: feci. Ibi tum intellexi, amorem nostrum tantum fuisse, ut contubernio augeri non posset. Antea ita mihi persuaseram, Te mei, et me Tui simillimum esse: quod certissimo argumento erat, me Tui amore caecutiisse: si quidem proverbio fertur, amorem caecum esse, et amantes caecos reddere: nam eramus multum dissimiles. Quod ego primo anno ne somniabam quidem, postea deinceps magis magisque animadvertere coepi. Non ego nos ipsos tunc mutatos esse dicam: quamquam alia vita etiam inscientibus alios mores adfert. Vetus est dictum, opposita juxta se invicem posita magis apparere. Tu fervidus: ego lentus. Tu versus factitabas: ego prosae studebam. Tu sublimis in altos nubium tractus tendebas: mihi satis erat, si humi tuto incedere possem. Tu multorum, et in dies plurium, eras hominum: ego paucorum, et in dies pauciorum. Tu amicorum tuorum etiam inimicos amabas; ego contentus eram, si solis amicis satisfacerem. Tu subito videbas, quid verum esset: mihi ad judicandum tempore opus erat. Tu aliorum animos perspicere Te ajebas: ego dubitabam, an me ipse satis nossem. Mitto caetera. Et tamen decem annos una habitavimus. Nam alia erant, in quibus congrueba-

bamus: nisi plura, certe efficaciora ad conjunctionem, quam illa ad disjunctionem: virtutis et doctrinae amor in primis: in quo semper, ut è diverticulis in communem viam coeuntes, una progrediebamur. Et si quando tunc et postea meus *ἁπλοῦς τῆς ἀληθείας μῦθος* durior ad sensum tuum accideret, Tuque ei duriorem *μῦθον* opponeres; serius ocyus tamen meam *ἀλήθειαν* agnoscebas ac requirebas: qui semper usurparem, ut amicitiae legem, illud ad Antipatrum a Phocione dictum, *Οὐ δύναταί μοι καὶ Φίλῳ χρῆσθαι καὶ κόλακι.* Nec soluto contubernio decrevit amicitia: immo increvit etiam; praesertim quod subinde ad primi illius biennii integritatem, quasi ad auream Saturni aetatem, revocaretur. Et viguit adhuc, ut communi illo virtutis doctrinaeque amore, sic mutua benevolentia, mutuis officiis: quorum et ego Tibi sum testis, et Tu mihi; ut iis commemorandis utriusque nostrum modestiae vim facturus videar; cujus, ut omnium virtutum laus in medio cernitur, ea nobis est communio, ut neque in altero nimium, neque in altero parum sit. Et semper laudavimus illam Ciceronis sententiam in libro De Amicitia egregie proditam: *Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium: quae meminisse debet is, in quem collata sunt: non commemorare, qui contulit.* Rursus nil me dicere de tuis in me collatis officiis, nec noster amor patitur, nec argumentum hujus epistolae, quam amicitiae nostrae dicavi. Quae igitur illa sunt? Primum om-

omnium, quod, dum juvenes fuimus: nam nunc provectior aetas a juventutis erroribus nos, credo, liberavit: Tu meas ineptias tulisti, ut ego tuas. Deinde, quod mihi multis partibus prodesse studuisti. Recens me cognitum, ut ipse amabas, ita operam dabas ut alii amarent, quibus me conciliasses: meas laudes praedicabas, meaeque existimationis, ut ipse soles dicere, bucinator eras. Et si quando aegrotarem, quod propter caeli et aeris novitatem haud raro fiebat, tanta me diligentia et sollicitudine invisebas, tractabas, curabas, ut nil amantius excogitari posset. Neque mihi ipsi tantummodo, sed et disciplinae favebas meae, neque desinebas adolescentes hortari, ut ei se darent: eoque majorem percipiebas laudis et voluptatis fructum, quo majore meae scholae frequentia discipulorum florerent. Porro quum res mea ageretur, in decernenda mihi nova, in Athenaeo Amstelodamensi, Philosophiae cathedra, tuum inter caeteros amicos in primis eminuit studium, agendo et omnibus viribus contendendo. Cumque aliquoties Amstelodamo ad alias stationes invitarer, Tu continuo me convenisti, suadens, hortans, flagitans, ne obsequerer. Et hac postrema Leidensi conditione mihi oblata, ut rursus mihi praesto fuisti! docens, monens, postulans, ne luculentam stationem, urbem gratam et quasi adoptivam patriam, multos mei et amantes et studiosos relinquerem: nec prius meis rationibus concedens, quam intellecto conditionis hujus momento ad caus-

sam

sam familiae Ruhnkenianae obtinendam. Quod si tunc praevidissemus, id quod ne per somnium quidem sperare poteramus, Te post paucos menses Curatorem hujus Academiae fore, alia omnia evenissent: caussam illam per Te a Curatorum Collegio et Senatu Reipublicae obtinuissemus: nec aliis ingratum fecissemus mutanda statione, nec Amstelodamensis vitae suavitates desiderassemus. Sed hoc ita dico, ut me neque consilii mei, quo honestatem voluptati et utilitati anteposui, nec stationis Leidensis suis item laudibus commendatae, umquam poeniteat.

Nunc nos Leida habet, Te Curatorem, me Professorem: Te Amstelodami, me Leidae habitantem: longius etiam a vetere convictu disjunctos, eadem animorum benevolentia conjunctos. Tu subinde Leidam venis. Adventus tuus omnibus jucundus, multis fructuosus est. Ego ejus fructum et jucunditatem in usurpatione veteris nostrae consuetudinis et benevolentiae pono. Contentus mea sorte, quamvis modica, nil amplius opto, quam ut ea mihi constans et perpetua sit:

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paulum sylvae super his foret: auctius atque
Dî melius fecere. ——

Sed rursus aliquantum in his offendo: quippe quae nondum plane ex votis, nec nisi partim, nedum *auctius*, obtigerunt: attamen

bene est: nihil amplius oro,
Maja nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

Veteres Deorum immortalium erga mortales homines beneficentiam tribus muneribus censebant: primo, ut essent datores bonorum: deinde, eorumdem conservatores et custodes: denique, averrunci, *ἀποτρόπαιοι κακῶν, βασκανίας καὶ φθόνου,* malorum, calumniae et invidiae, comitum virtutis et fortunae. Mihi servent, quae dederunt in triplici bonorum genere, animi, corporis, et rerum externarum: in externarum rerum magna parte Dii averruncos Professoribus dederunt Curatores.

Et quod Curatorii tui muneris mentionem feci, si qui fuerunt, qui haud scio an fuerint, qui hunc Tibi honorem inviderent; nec invidia illorum obesse Tibi potuit, et Tu apud omnes recte sentientes eam confutasti doctrina, virtute, benefactis. Doctrinam quid memorem tuam? *τόγε δὴ καὶ ἴδμεν ἅπαντες·* nec repetam, quae supra dixi de tua adolescentis in Literis facultate. Hanc maturior aetas auxit, multisque documentis ad publicam notitiam prodidit: cum disputationibus quibus propositum praemium apud Societates Eruditas retulisti: tum largo cultissimorum poematum proventu, in quibus nemo nec antiquitatis colorem, nec orationis Latinae elegantiam, nec lumina doctrinae, nec modorum concinnitatem desideret:

tum

tum denique Hugonis Grotii, immortalis viri, Latina interpretatione metrica Anthologiae Epigrammatum edenda, eique ipso contextu Graeco cum tuis annotationibus addendo, doctis, ut cum Catullo loquar, et laboriosis. Et quo ipse ardes Literarum amore, eodem alios incendere studes, has in omni sermone laudans et celebrans: unum liberalem ingenii cultum in Graecis Latinisque Literis positum: unam hanc esse studiorum salutem: ab his profectum alia omnia facile consequi: recentiorum linguas non nisi ad vitae necessitatem referri: novitiorum argutula et frivola in discendi ratione commenta omni modo cavenda et arcenda ab juventutis institutione: veterem viam tenendam, unde Erasmos, Scaligeros, Grotios, et totum illum heroum apud Batavos chorum exstitisse. Ita multos adolescentes ad nostrarum studia Literarum impulisti, eaque in primis Amstelodami frequentasti. Omnino virtutem, ut est, in actione ponis: odisti ignavas linguas: valere jubes ratiocinatores illos, qui non ipsi discunt, sed subtiliter disputant quomodo discendum sit. Tu ad rem ipsam properas:

eia!
Quid statis? — Atqui licet esse beatis.
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude:
Incipe! qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.

Haec Tu, cessantibus, quasi

Jupiter ambas
Iratus buccas inflet:

Socratis, Antisthenis, Diogenis instar, cum adhortationis vehementia, *παῤῥησίᾳ*, *εὐθυῤῥημοσύνῃ*, *τραχύτητι*· libere loquens: scapham scapham appellans, aspere: sed salutari asperitate: quam, ut ex lenissimo mitissimoque animo profectam, quisque Tibi ignoscit. Si porro interrogant, quomodo incipiendum sit: *More majorum*, inquis, *en ita ego feci!* Atque sic in caeteris vitae partibus veterem sequeris morem, vestitu, cultu, habitu; ut qui Te videat, vetera florentis tempora reipublicae cogitet. Nam ex reipublicae commutatione Tu, quum posses, privati commodi nil cepisti: immo jacturam fecisti muneris graphiarii salario ad minorem modum redacto: gratia, qua valebas, usus es ad afflictis bene faciendum. Haec enim inter caeteras virtutes in Te eminet. Hujus Tu tanto studio ardes, ut si quid alii bene fecerint, hoc Te fecisse malis: et si quod Tibi bene factum cum aliis commune sit, id proprium Tibi esse cupias. Haec est illa virtus, quae cernitur in officiis erga alios, quam Veteres uno Justitiae nomine appellarunt: omnibus bene velle, omnibus bene facere: neminem laedere, nemini nocere: suum cuique tribuere: miseris succurrere: *non sibi soli natum se putare: partem nostri vindicare sibi patriam, partem amicos: non vivi cum perfectis hominibus, sed*

cum

tum iis in quibus bene agitur, si sint simulacra virtutis: neminem omnino esse negligendum in quo aliqua significatio virtutis appareat: colendum autem ita esse quemque maxime, ut quisque maxime his lenioribus virtutibus sit ornatus, modestia, temperantia, et ipsa justitia. Et beneficia erga alios tua per omnem vitam multa et varia exstiterunt. De quibus ut nil dicam, et ut omittam ea, quae Tu in munere Curatorio communiter cum Collegis tuis, Viris Illustribus, cum in universam Academiam, tum in singulos complures Professores contulisti: in tuos quantum contuleris, ego Tibi sum testis: in his, ut patrem, matrem, duas sorores, fratrem, et vivos tutatus sis ac foveris, et mortuos pie dolenterque luxeris. Sinas me duorum ex his nominatim mentionem facere, natu minorum, sororis Judithae, et Gregorii fratris: quorum mihi Tecum communis in vita fuit amor, communis in obitu luctus.

Illa erat integrum naturae opus, ut animo ita sermone et cultu, sincera, aperta, ab omni simulatione et artis affectatione abhorrens: nativo decore, puellari candore et simplicitate, affabilitate et comitate, amabilis: similis Tibi, insigni benivolentiae laude et significatione; unde fiebat, ut eam unam in caeteris tuis maxime amares. Solebat cum marito jam ab aliquot annis, apud me rusticari: quod quum item hilariter, suo more, fecisset anno MDCCXCIII, domum redux gravi morbo intra paucos dies apud Te obiit. Qui tunc,

mi Boschi, tuus fuit, qui meus, dolor? Scripsi continuo ad Te, consolari Te studens, monens ut egregias illas consolatorias epistolas Ciceronis, Senecae, Plutarchi, quas quondam illaesi et integri admirati essemus, relegeres nunc ubi ad rem ventum esset: caeterum quantocyus ad me venires, ut una lugeremus. Venisti: comites Tibi erant Gregorius et Nieuwlandius, uterque heu! jam nobis ereptus: qui tunc mecum Te lugentem sustentabant, post a nobis una lugendi erant. Nieuwlandius, mox sequente anno: Gregorius ante hos duodeviginti menses: illius manes honoravimus in Vita D. Ruhnkenii: huic in hac ipsa epistola satifaciemus. Sed redeo in illud tempus.

Veneras ad nos cum lacrymis: has nostrum alloquium abstergebat. Nos Te a recentis cogitatione casus abducere tentabamus: Tu eam consectabaris: quaerebas, quibus locis soror ambulare, morari, delectari consuevisset. Haec Tu loca repetebas, illius vestigia relegens, pedem ponens ubi ipsa posuisset: arbores, quas ipsa amasset, spectans et contrectans: prata, unde flores collegisset, obiens, lustrans, indeque aerem captans; si forte aliquam dilectae animulae auram adhuc in his terris vagantem spiritu ipse tuo exciperes. Ita te tractabas, tibique satisfaciebas: et prope confirmatus domum redibas. Ibi vero ipsa domus luctum renovavit: solitudo, vacuitas, absentia cari capitis, ejus imago ac desiderium, ubique occurrebat: hoc loco, hoc solita erat agere, illo illud: hoc tem-

tempore hoc, illo illud: quaevis pars domus, quaevis hora diei recordatione veteris consuetudinis novum vulnus infligebat, rivos lacrymarum excutiebat, Teque ad tantum luctum incendebat, ut alii tuae valetudini metuerent. Omnes tunc ad Te consolandum venerunt amici, omnes amicae: multi etiam viri docti: ipse ad me scripsit Leida Ruhnkenius, ut Te suo nomine, suisque verbis ab ipso adscriptis, consolarer. Sed quum omnium consolationem vinceret magnitudo doloris, Tuque illi jam jamque succumberes: ecce! divinitus medelam attulit tua Musa, spe melioris post hanc vitae, et divinae providentiae commentatione: Teque ipse consolatus es scripta in obitum sororis elegia, plena doloris, plena amoris: ut ipse dolorem amor sedasse videretur.

Gregorii mors minus acerba nobis accidit, quod minus immatura censeretur; quamquam fuit mihi cum eo non minus vetusta, quam Tecum, amicitia. Tu mihi eum paucis annis me minorem in disciplinam commendaveras: qua ille sex annos utens, in studiis non quidem ardebat, sed tamen calebat, Platonis et Xenophontis Convivia edere cogitans, jamque commentarios annotationum conficere instituens: deinde paulatim refrixit, sive quod diutius apud parentes aleretur et mollius foveretur, sive aliam ob caussam: taedium certe eum cepit studiorum; ut aliquando illos commentarios in ignem conjiceret, et videns prudensque combureret. *Ibi omnis effusus labor*: nostraque

spes simul cum fumo evanuit. Tamen, *quo semel erat imbuta recens testa servavit odorem:* retinuit amorem, non ut scriberet, sed ut legeret: veluti lectitabat Homerum, Euripidem, Aristophanem, Lucianum, Ciceronem, Virgilium, Horatium, alios: ex recentioribus in primis Muretum, Ernestum, Ruhnkenium, elegantiam et Latinitatem admirans, cujus haud ineptus erat judex. Taceo alia hominis bona, quae Tu item pie et polite cecinisti in elegia funebri manibus ejus dicata. Reliqua vita inde ab aliquot annis ejusmodi fuit, ut labefactata valetudine, amici ei non tam vitam longam, quam facilem exitum optarent: qui ei obtigit subitus, d. II. Februarii superioris anni.

Nos vero, optime Boschi, ita vivamus, ut amici nos nostri diutissime vivere cupiant. Cumque multorum nostrorum etiam juniorum funera fragilitatis nos nostrae et mortalitatis saepe admonuerint, reliquum, quodcumque superest, spatium ita exigamus, ut ne *dubitemus virtutem extendere factis.*

En! epistolam diu Tibi debitam: quae si longior et loquacior fuit, Tibi imputabis: si quid praeterea aliud in ea Tibi aliisve displicuerit, rursus Tibi imputabis: utcumque bene aut secus meritus fuero, hoc totum tuum erit. Tu me dormientem ad scribendum excitasti et impulisti: semel quidem excitatus et impulsus, facere non poteram, quin meo more scriberem et excurrerem: aut dormire me sivisses, nec excitasses. Accedebat

bat argumenti, quod est de amicitia nostra, ubertas et suavitas, quae me inducebat, ut plura etiam, quam initio constitueram, scriberem. Tum, haud absurdum putabam, scribendi tarditatem longitudine scriptionis compensare, et quasi debitam pecuniam cum duodecim annorum foenore referre. Denique est hoc amantium, ut, quos amant, haud facile alloqui ordiantur: semel orsi, haud facile desinant. Veluti Socrates sermones et congressus cum Alcibiade diu intermissos repetens dixit apud Platonem p. 25, D: *ὅρα δή· οὐ γάρ τοι ἂν εἴη θαυμαστὸν, εἰ, ὥσπερ μόγις ἠρξάμην, οὕτω μόγις καὶ παυσαίμην.* Sive communibus nostris deliciis, Horatio, utar,

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Injussi numquam desistant.

Neque vero solis cantoribus hoc est vitium: sed et scriptoribus, et oratoribus, et Professoribus. Hinc longae epistolae, longae orationes, quas Tu minime omnium amas. Et jam ipse Horatius nos monet, prouti orsi sumus in ipso, ita in ipso desinere, et ut antea semper, ita nunc suum illud erga se usurpare,

Prima dicte mihi, summa dicende Camoena.

Vale. Scripsi ruri d. XIV Julii a. MDCCCV.

DE OBITU VILLOISONI.

EX BIBL. CRIT. P. XI. p. 127, sqq.

Villoisonum, heu! nuper nostrum, modo nobis ereptum, silentio praeterire, nec recens nos dolor, nec ipse hic liber patitur. In quo si antea aliorum obitus doctorum hominum retulimus, de Villoisono non referre, nefas sit: quocum nobis quamvis absente vetus studiorum officiorumque necessitudo intercedebat. Trigesimus hic est annus, quod me in Parisiorum urbe studiorum communio compluribus doctis hominibus, in primis Villoisono, Sanctocrucio, Larchero, ad mutuam benevolentiam conciliavit; quae postea ad amicitiae constantiam evaluit: cum duobus illis, propter aequalitatem aetatis, quotidiana tunc familiaritate floruit. Erant enim non solum eruditissimi homines, ut sermoni materia numquam deesset: sed et modesti et jucundi, et, quod praecipuum est, viri boni ac probi: et me amabant, et amorem multis officiis comprobabant, nec ea commemorando aut exprobrando,

quae

quae est multorum stultitia, confutabant. Unum tamen fuit in quo gloriaretur Villoisonus, et vere gloriari posset, se mihi periculose aegrotanti vitam servasse, quod medico me commendasset, eidem et suae artis et nostrarum Literarum peritissimo, A. G. Lorryo, qui et per artem me dextere, et propter Literas amanter curaret. Ac Lorryi quidem in me beneficium, ut vivente ipso testificatus sum in hac Bibliotheca Vol. II, P. III. p. 106., ita nunc, utroque mortuo, utriusque beneficium gratus celebro. Horum igitur virorum erga me humanitatem gratiorem reddebat nativa et popularis illa urbanitas; ut et tunc, et postea, de eruditis Gallis usurparem illud, quod apud Platonem Leg. I, p. 572, C, Lacedaemonius Megillus de Atheniensibus celebrari dixit, *ὡς ὅσοι τῶν Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ, διαφερόντως εἰσὶν τοιοῦτοι· qui ex Atheniensibus sint boni, eos excellenter esse bonos.* Tales erant illi viri, et in his Villoisonus, cujus tota vita constabat bene faciendo. Quotidianum ei opus erant studia doctrinae et officia erga alios. Studiorum fructus in scriptis editis apparuerunt, et scriptorem principibus Literarum asseruerunt. Officia erga alios cernebantur, cum epistolis ad absentes, tum sermone et congressu cum praesentibus: utrique generi quantum operae temporisque tribuerit, incredibile dictu est. Nullus dies abibat, quin aliquot epistolas scriberet; quippe quarum commercium cum plurimis et civibus et exteris colebat. Et quum una sit in hoc nostro ter-

ra-

rarum orbe urbs Parisiorum, quam spectatum plurimi undique confluant hospites et peregrini, horum nemo erat, qui quidem non prorsus esset ab omni doctrinae cultu alienus, quin Villoisonum adiret: nemo eum adibat, cui non aliquid consilii et operae ad rerum hominumque cognitionem impertiret. Nulla fere ars erat, quin et eam factitantes aut docentes, et eam sibi suisve requirentes, Villoisoni commendationem expeterent; unde fiebat, ut, Socratis instar, communis esset docentium discentiumque conciliator, et gratuitus institutionis moderator. Omnino, qui magis officiosus, magis ad promittendum benignus, in promissis faciendis diligens et industrius fuerit, fateor me cognovisse neminem. Ita tunc vivebat. Insigni Literarum scientia, Graecarum, Latinarum, Orientalium, jam puer celebratus: vigesimo aetatis anno collega Academiae Inscriptionum Parisinae additus, mox duas praelegit Disputationes, alteram *de Ludis Nemeis*, alteram *de Aera Graecorum vulgari*. Tum Apollonii Lexicon Homericum edidit, a. 1773: indeque se ad Eudociae Violetum ornandum dedit. Quod dum ageret, frequentes in eo libro loci ex Cornuti *de Diis* libello, ad hujus editionem suscipiendam eum impulerunt. A quo eum proposito, Ruhnkenii admonitio avertit. Magna deinceps secuta est et privatim et publice vicissitudo. Editis Longi Pastoralibus Parisiis anno 1778, Venetiam profectus, quatuor ibi annos consumsit codicibus scri-

ptis

ptis bibliothecae S. Marci excutiendis. Cujus operae fructum prodidit, cum in libro Anecdotorum Venetorum Gr. duobus voluminibus formae 4, a. 1781: quorum priore, Eudociae Violetum, sed sine destinato Editoris commentario, exstat: tum in primis in lucem protracta Iliade, cum Scholiis veterum Grammaticorum adhuc ignotis, optimarum rerum plenis ad cognitionem criticae historiae carminum Homericorum: unde ad hoc studium retractandum, quasi signo sublato, viri eruditissimi, Heynius et Wolfius, consilium sibi quisque ceperunt faciendarum editionum, quae nunc maxime celebrantur. Villoisonus inde Germaniam obiit: apud Ser. Ducem Saxo-Vinariensem, principem et ipsum eruditissimum, et eruditorum hominum fautorem, sibi jam antea Parisiis cognitum, in aula Vinariensi, a. 1782 et 1783, gratus acceptusque hospes commoratus est: ibique Epistolas Vinarienses conscripsit, editas Turici a. 1783. Reversus Parisios, mox anno 1784 majus iter Constantinopolim et in Graeciam suscepit: iisque perlustratis, multarum rerum nemini antea animadversarum cognitione auctus, in patriam rediit a. 1787. Proximo anno editio Iliadis, de qua diximus, prodiit Venetiae: ipse gravissimum luctum suscepit obitu uxoris, nullis relictis natis, quacum per undecim annos conjunctus fuerat. — Hucusque, rerum ejus testes, habeo epistolas ab ipso ad me scriptas. Secuta sunt tempora sanguinolenta et optimo cuique perniciosa. Horum initio,

tio, anno 1790, ut homo nobilis et popularium insidiis petitus, voluntario exilio sese aggregavit nobilitati Confluentiam profugae. Mox has partes improbans, Parisios redux, incidit in medium belli civilis incendium et proscriptionis terrorem. Cui se subducens, in Aurelianorum urbem concessit, ibique septem annos occulte vixit in Literarum studiis, bibliothecam fratrum Valesiorum, Henrici et Hadriani, tractans, eorumque adversaria excerpens. Denique sedatis rebus Parisios rediit, parva patrimonii parte velut ex naufragio servata; sperati annui vectigalis viginti et quatuor millium librarum, non nisi sextante. Adolescens, rebus florentibus, docendi munera, quae illi ut prae caeteris digno vel destinabantur vel offerebantur, ut aliena moribus nobilitatis recusabat: provectior aetate, rebus lapsis restituendis, eadem ante hos fere tres annos, socius Instituti Francici allectus, accepit: primum, *Linguae Graecae Novae*, deinde, *Linguae Graecae Veteris*. Quo temporis spatio aliquot scripsit libellos Gallica lingua, in Millini Horreo Encyclopaedeutico, ni fallimur, editos: qui fere continentur quatuor Epistolis ad eruditissimum Akerbladium, Suedicae Legationis in Gallia comitem ab Actis: quarum tres sunt de Inscriptione illa Rosetana, nuper in Aegypto reperta: quarta, de signo duorum leonum ejusque inscriptione, quondam Athenis a Venetis Venetiam translato. Nemo enim, quod sciamus, fuit, qui Graecarum Literarum omnis aevi, antiqui, medii, et novi, simul tanta scien-

scientia valeret. Epistolarum nostrarum vices, diu intermissae, ante sex hos annos instauratae, satis frequentes fuerunt. Ad postremam nostram respondendi officium desiderantes, perculit nos tristis de ejus obitu nuntius: isque et eo magis inopinatus, quod aliquot ante menses eum optime valere ex ipso et aliis cognoveramus: et eo magis acerbus, quod optimus vir, quem ipsae Musae caedibus civilibus subtraxerant, et suo sinu absconditum servaverant, et sanitate corporis ad longae spem vitae confirmasse videbantur, inexspectato hepatis morbo nobis ereptus est: et tunc occidit, quum fructum doctrinae suae et ipse percipere, et aliis docendo impertire, coepisset: et post diuturnas calamitates aliquam facultatem nactus esset, qua adventanti senectuti subsidium ac levamentum prospiceret. Obiit d. XXVII Aprilis hujus anni, aetatis quinquagesimo quinto. Reliquit multa commentariorum volumina: de Palaeographia: de itinere et peregrinatione sua per Graeciam, rebusque ac monumentis ibi a se repertis: Annotationes in complures Graecos Scriptores: Excerpta adversariorum Valesianorum. Quae ne in heredum manibus pereant, sed publico usui vindicentur: et ut vitae rebusque viri, qui doctrinae et virtutis caussa plurimis et civibus et exteris flebilis occidit, scriptor doctus ac disertus obtingat: id vero vehementer optamus. De rebus ejus et scriptis, adhuc vivo ipso, prodidit Saxius noster in Onomastico Literario Parte VIII. p. 381. — Ao. MDCCCV.

D E

DE OBITU SANTENII.

EX BIBL. CRIT. P. XI. p. 135, sqq.

Et Santenio quondam nostro locus debetur in hac Bibliotheca, quam ipse elegante symbola censurae Tibullianae ornavit (*): et fuit nobis Literarum amore conjunctus, inde fere ab illo nostro Leidensi studiorum anno: et admonet nos mentio Villoisoni nostri, cui conciliavimus eum Parisios invisentem tunc, quum nos ibi degebamus. Natus Amstelodami, usus disciplina P. Burmanni Secundi, condiscipulus et amicus Boschii nostri, item poeseos Latinae studium laudemque consectatus est. Hinc Leidam veniens, Jurisprudentiae operam dedit, ducibus Voorda et Pestelio: Literis Graecis et Latinis, doctoribus Valckenario et Ruhnkenio, quorum utrique in primis carus fuit. Et hodiernarum assumsit Literarum cognitionem, non modo Belgicarum, sed et Gallicarum, quin et Germanicarum et Britannicarum, in eum certe finem, ut ad saeculi sensum politus videretur. Omnino, ea in eo erat elegantia ingenii ac doctrinae,

(*) [Bibl. Crit. Vol. I. P. III. p 53—88.]

nae, ut omnium judicio ei deberetur vel cathedra academica, vel praefectura et institutio filiorum regiorum aut principalium, vel certe lautum aliquod et cum illa elegantia congruens civile munus. At fortuna indignis etiam favens, Santenio, quamvis digno, semper adversa fuit. Accedebat valetudo incommoda, studiis inimica, fere medico et gymnastico victu regenda. Accedebat casus patris, rebus nondum compositis, mente labefactati, filio non solum patrimonii spem adhuc ostensam adimens, sed necessitatem etiam senis alendi imponens. Quo hic officio γηροτροφίας ita functus est, ut omnes, quum antea ejus eruditionem agnovissent, nunc pietatem amarent. Vendidit rerum suarum et librorum quantum potuit, eamque pecuniam ad patris curationem alimoniamque contulit. Hoc unum, si nil aliud, bene factum ei omnium potentiorum civium animos adjungere, eumque ad luculenti muneris adeptionem commendare debebat. Nequicquam. Nil profuit pietas: nil profuit commendatio quamvis diligens et perpetua Ruhnkenii, Valckenarii, aliorumque summorum virorum. Igitur acquievit in opere voluntario Repetitoris: adolescentes, more Academico, in Jurisprudentia gradum Doctoris petentes, scholis repetendis, disputationibus thesibusque commentandis, ad probationem instruxit. Sed multo etiam latius hoc in genere patuit industria Santenii. Nam, juventute continuo ad Graecas Latinasque Literas hortanda et instituenda,

da, earum studia frequentavit; itaque, et de ipsis Literis, et de Academia egregie meritus est. Quidquid ei ab illo quasi alieno negotio superesset otii, hoc suis ipse Musis tribuebat: maxime, carminibus pangendis, de quorum laude inter omnes constat: sed et severioribus et criticis studiis. Quo in genere exstat Propertii editio, quam a P. Burmanno Secundo institutam, ejusque obitu intermissam, ipse suscepit ac perfecit. Exstat Catulli Elegia ad Manlium, in novae editionis specimen adornata, memorata nobis superiore hujus Voluminis III, Parte II, p. 128. Sunt ejus Notae Prosodiacae in Mureti Carmina, editionis Ruhnkenianae, Tomi IV, p. 30 praefationis. Sunt Animadversiones in Hieronymi Balbi Carmina, in editione operum hujus, quam Vindobonae curavit a. 1792, Josephus de Retzer, ad quem Ruhnkenius epistolam scripsit in eodem libro editam, laude Santenii insignem: quam cum illis Animadversionibus denuo edidit eruditissimus vir, C. D. Beckius, in Commentariis Societatis Philologicae Lipsiensis, Volumine II, p. 145. Sunt alia. Exstabit etiam, ut speramus, Terentianus Maurus, quem eruditissimo commentario illustrare ingressus, jamque ad medium opus progressus, moriens docto amico absolvendum reliquit. Nam quod eum rogaveram, et Ruhnkenius, ut ad criticae et stili exercitationem utile, ei suaserat, ut socium se mihi Bibliothecae hujus scribendae adjungeret; ejus collatio intra unam Tibullianam cen-

censuram substitit. Caeterum, studiorum industriaeque suae, praeter laudem et vitae suavitatem, hunc in primis fructum percipiebat, quod res suas ad honestam mediocritatem restituisset, in qua ad aliis bene faciendum voluntati facultas non deesset. Fuit enim in ipso animus beneficus, liberalis, ab adulatione alienus, et cum libera contumacia, magis sui judicii tenax, quam alieni sequax. Ita factus, et jam in Burmanniana disciplina abalienatus a partibus eorum, qui reipublicae gubernacula tenebant, accedente indignatione repulsarum et deceptae spei fautorum, magis etiam adversarias partes secutus est. Neque tamen minus vulgo ab omnibus diligebatur. Res mutata est ineunte anno 1795, non solum publica universe, sed et privata peculiariter multorum. Santenius a sua secta, jam victrice, in novum Senatum Leidensem lectus, et in Collegio Curatorum Academiae constitutus est. Hanc ad suum judicium reformare instituens, de rebus hominibusque nonnullis durius consulens, complurium etiam suae sectae hominum animos offendit. Quamquam fuit haec non tam ipsius culpa, quam temporum: quorum tanta erat vis, ut non modo homines ab aliis alios, etiam conjunctissimos, disjungerent: sed singulis quoque errorem objicerent, eos sibi ipsis dissimiles, ex mitibus duros, ex lenibus asperos redderent. Tempora rursus mitigata, ut nunc sunt, cum sponte ad naturae suae bonitatem clementiamque reduxissent. Nam

nec placabilitas ejus vindictam cupiebat, nec liberalitas privatum commodum quaerebat. Duo illa munera, honorifica quidem, at minime lucrifica, integre et laboriose administravit, nec valetudini parcens: cui superveniente pleuritide consumtus est, die 10. Aprilis, anni 1798, aetatis quinquagesimo et tertio. Haec nos scripsimus, ut rationem haberemus et laudum optimi viri, et nostrae cum eo conjunctionis. Qui de ejus doctrina, scriptis, et rebus, plura cognoscere cupiunt, legant J. H. Hoeuffii praefationem ad Santenii Poemata, edita Leidae a. MDCCCI: et Saxii nostri, doctrina et aetate venerandi senis, Onomasticum Lit. Part. VIII, p. 408. Ao. MDCCCV.

PROLEGOMENA

EX EDITIONE

PHAEDONIS PLATONICI.

PRAEFATIO.

Et subita haec editio, et brevi opere confecta, nec nisi ad instantem paratumque scholae nostrae usum composita, haud sane longam praefationem postulat; certe non eam, quae vel in auctoris laude praedicanda, vel in editoris consilio excusando, consumatur. Ecquis enim adeo expers humanitatis est, ut ignoret Platonem ab omni aevo celebratum esse non intelligendi solum, sed etiam dicendi, gravissimum auctorem et magistrum, id est, eumdem et philosophiae et eloquentiae principem? et quis, qui hoc non ignorat, dubitabit, quin adolescentes optimis studiis destinati, lectione tanti auctoris imbuendi sint? Itaque, ex quo Graecas Literas docui, subinde mihi in scholis Platonem interpretandi argumentum sumsi; si quidem idonei mihi obtingerent discipuli, qui, non contenti pervulgato ac puerili Graecae linguae modo, altius spectarent; cum orationis elegantia, disserendi quoque diligentiam consectarentur, ejus-

que consectandae laborem ferre possent, atque adeo per dialecticae subtilitatem ad ethicae humanitatem, et physiologiae divinitatem, percipiendam contendere vellent. Hujusmodi discipulos quum mihi nuper nactus viderer, proposui iis interpretationem Platonici libri. Quod illi propositum quum grati lubentesque accepissent, ecce copia exemplorum deerat. Ibi tum statim decrevi unum aliquem dialogum edere, sive ego ipsius numine Platonis instinctus, sive studiis optimorum adolescentum abreptus; qui mearum ipse rerum veluti ignarus, et immemor veteris ac perpetui Plutarchei oneris, novum etiam et extraordinarium onus edendi Platonici dialogi susciperem: praesertim intelligens idem mihi eventurum, quod in Selectis Historicorum evenisset, ut gratificandum esset librario aliquid additamenti et annotationis postulanti, quo libellus ad alios etiam, extra meam scholam, lectores commendabilior redderetur. Itaque has in Phaedonem, ut illas in Selecta, annotationes ab aequis judicibus ita velim accipi, non ut elaboratas et locupletes, sed ut subitas ac tenues, accommodatas tamen explicandis Platonicae disputationis dictionisque locis difficilioribus, eoque nomine tironibus certe utiles, nec veteranis fortasse inutiles.

Et tunc quidem continuo Graecum opus nudum, quem contextum vocant, typis exprimendum curavi, ut scholis nostris exempla suppeterent: annotationes, praefationem, aliasque partes per aestivas ferias scribere destinabam. Sed propositum primo

Bi-

Bibliothecae Criticae scriptio intercepit: tum prodita ibi Vol. III, P. III, p. 175, exspectatio subsidiorum à viris doctis impertiendorum. Cujus exspectationis qui fuerit eventus, quia haec scribens nondum sciebam, quum sciero dicam in exordio annotationis: ubi simul meas, quas ipse attuli, copias declarabo. Nunc illa exspectatio ne nos diutius moraretur, praefationem et reliquas editionis partes eadem, qua Graecum contextum, festinatione absolvere institui. Atque huc pertinet illud, quod initio dixi, editionem hanc brevi opere confectam esse. Nam intervallum utut longum fuerit, tempus tamen operis exiguum fuit.

Quod vero Phaedonem maxime sumsi, haec ratio fuit. Quaerebam unum dialogum eum, ex quo potissime Plato cognosceretur, certe in omnibus eloquentiae virtutibus, perspicuitate, suavitate, gravitate: cujus argumentum et momento, et materià, et ratione, discentium fructui captuique maxime conveniret: qui denique personarum actionisque varietate ac dispositione, tamquam dramatis verisimilitudine, in ipso dialogorum genere excelleret. Jam qui omnes has dotes afferrent, quorumque adeo in hoc delectu rationem habere possem, duo erant, Convivium et Phaedon: illud comoediae, hic tragoediae finitimus: quorum utrum sumerem, optio difficilis erat. Nam, ut caetera paria, aut non multum diversa, essent; Phaedon movebat gravitate et affectu: Convivium alliciebat facilitate, festivitate, et vero subsidiis, quibus

editionem instruerem; quippe qui adolescens hunc et Phaedrum dialogum edere destinassem, postea, deposito quamvis edendi consilio, tamen subinde quaedam ad eos annotassem. Et Phaedonem et Convivium diversis temporibus aliquando in schola discipulis interpretatus eram: et his Phaedon magis placuerat, quam Convivium. Cujus discriminis caussam hanc verissimam deprehendisse videor; quod Convivium ad placendum quidem lectores magis exercitatos postulat. Nam quum utriusque dialogi descriptio, cum totius personis ac sermonibus distributio et oeconomia, tum singularum partium quasi luminibus exornatio, mirabiliter ad vitae speciem verisimilitudinemque conformata sit: haec tamen in Phaedone magis est aperta ad intelligendum recentibus ac rudibus, magis omnium hominum communis, quam propria solis Graecis: in Convivio eadem fere continetur more interiore Attico, et omnino Platonico, festivitate, urbanitate, ironia, suavitatibus non modo salis et condimenti instar adspersis, sed per totum libri tenorem aequabiliter fusis: quarum vim ut subtilem ac lenem, nec scurrilem et crassam, suo quisque lector sensu per usum lectionemque plurium Platonis dialogorum exercitato percipere potest: doctor, quamvis intelligens, ad inexercitatorum sensum explicare non potest. Porro, quod materia Convivii *de Amore et Pulcro*, materiam Phaedonis *de Animorum immortalitate*, facilitate et perspicuitate superat: sunt istae Phaedo-

tionis partes ita obscurae, ut tamen ab intelligente doctore ad intelligentiam discentium, verborum significatione, argumentationumque nexu ostendendo, explicari possint; modo illi naturâ non ad omnem dialecticam et philosophiam prorsus hebetes et plumbei sint. Sic enim se res habet, ut *intelligentiae* materia sint verum et falsum, eaque doceri rationibus possint: *sensûs* autem materia sit pulcrum et turpe, gratum, et ingratum, omnino quidquid placet aut displicet; quod nisi sponte et ultra ad sensum accidat, tum demum percipitur, quum ad intelligentiam usus et exercitatio accesserit. Nisi forte quis putet, sensum ita esse excitandum in discipulis, ut magister suo judicio acclamet, *Ecce! quam venustum!* Admonitio adsit, quae valeat ad observationem, rationem, et usum. Acclamatio desit, facillimum negotium; quod ab imperitis magistris ad dissimulandam ignorantiam factitatum, similes illis fert discipulos, rerum ac doctrinae inanes, vana sapientiae opinione plenos.

Ergo vicit apud nos Phaedon, et hoc sane in censu vincere debebat. Nam sive argumentum spectamus, ecquod majus graviusque esse potest, ecquod humanum animum aut propius attingere, aut vehementius sollicitare, quam cogitatio de futura sui post hanc vitam conditione et immortalitate? Sive colloquentium personas, tempus, locum, intuemur: Socrates philosophiae parens, ad mortem condemnatus, ultimo vitae die in carcere cum amicis ac discipulis solita comitate ac mentis tran-

quillitate, de hoc argumento sic disserit, non ut ad mortem, sed ad beatam vitam cum diis immortalibus degendam se abire demonstret. Sive caeteras, tamquam dramatis, partes consideremus, omnes hae partes, actiones, sermones, initium, progressus, exitus, eam habent rerum ac dispositionis veritatem, quae legentium animos incredibiliter capiat, teneat, et vario deinceps affectu verset, sollicitudinis, commiserationis, admirationis, benivolentiae, atque in rem praesentem ipsumque in locum auferat, ubi ipsi in carcere Socratem et loquentem audire, et morientem videre videantur; ut hic dialogus non modo justae tragoediae numerum obtineat, sed omni quamvis flebili tragoediâ efficacior sit ad communicationem affectus ac doloris, quippe nullum poëticum ornatum desiderantis, nullis verborum vel numeris constricti, vel fuco obliti, ab omni artis suspicione remoti, sua ipsius natura valentis, ex sola rerum personarumque veritate nati: et in quemvis non inhumanum lectorem conveniat, quod Cottam dicentem facit Cicero De Nat. Deor. III, 33: *Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari soleo, Platonem legens.*

Nam istud quidem per est putidum et obsoletum, quod vulgo crepant, illa immortalitatis argumenta longe abesse à demonstrationis evidentia et firmitate, ipsumque Ciceronem Tuscul. I, 11, sic judicasse. Quasi vero nil probandum sit, nisi quod ad illam evidentiam firmitatemque demonstra-

si possit. Aut quasi locus de immortalitate illam demonstrationem capiat, quae ratione mathematica uno argumento certo conficiatur, ac non ex multis probabilibus colligatur argumentis, quorum conjuncta vis ad eum gradum augeatur, qui satis valeat ad persuadendum, post mortem bonis bene fore. Aut quasi Cicero id, quod volunt, ex sua ipse, ac non ex discipuli persona dixerit: quem quum admonuisset, *Evolve diligenter Platonis eum librum, qui est de animo; amplius quod desideres, nihil erit:* eumdem respondentem facit: *Feci mehercule, et quidem saepius; sed, nescio quo modo, dum lego adsentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio illa omnis elabitur.* Hanc discipuli confessionem Cicero sine notatione praetermittens, ita disserere pergit, ut qui locum de immortalitate animorum non modo persuasionis, sed et demonstrationis capacem judicet, cum aliorum philosophorum, tum Platonis ex aliis libris, argumenta adferens. Neque vero Plato in Phaedone omnes expromsit immortalitatis rationes, quas in aliis libris exposuit; quippe quarum et numerus major, et explicatio longior futura videretur pro modo, tempore, ac persona Socratis. Nos quidem, quando Platonis rationes omnes, cum aliis in libris, tum in Phaedone, proditas, singulatim notavimus in Disputatione anno MDCCLXXXIII ad judices Teylerianos scripta, *de quaestione, quae fuerint veterum philosophorum à Thalete et Pytha-*

gora usque ad Senecam sententiae de vita et statu animorum post mortem corporis; operae pretium, et hujus editionis lectoribus gratum, nos facturos existimavimus, si ei ex illa Disputatione caput, quod est de Platone, adjiceremus.

Hactenus de materia. Sequitur, ut de dictione Platonis moneamus: quoad quidem haec quaestio ad ejus vel perspicuitatem vel obscuritatem pertinet. Constat enim, antiquos fere Platonis dictionem divinis laudibus affecisse, et ejusmodi ferri effata haud pauca, quale illud apud Ciceronem Brut. 31: *Quis enim uberior in dicendo, Platone: Jovem, ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui.* Quod item memorat Dionysius Halicarnasseus in Judicio de Demosthene Cap. XXI, p. 289: *ἤδη δέ τινων ἤκουσα ἔγω λεγόντων, ὡς, εἰ καὶ παρὰ θεοῖς διάλεκτός ἐστιν, ἣ τὸ τῶν ἀνθρώπων κέχρηται γένος, οὐκ ἄλλως ὁ βασιλεὺς ὢν αὐτῶν διαλέγεται Ζεὺς, ἢ ὡς Πλάτων·* sed hic quidem, ut plerique alii rhetores, hoc effatum explodens, et Platonis in dicendo divinitatem multis exceptionibus circumscribens. Illud certe, cunctis approbantibus, affirmamus, Platonis dictionem in omnibus tribus eloquentiae dotibus, perspicuitate, suavitate, gravitate, quamvis egregiam et prorsus admirabilem, hujusmodi tamen esse, ut aliquando perspicuitati obsit gravitas: quam ubi vel augere studet in rebus magnis, aut addere parvis, accidit interdum, ut audacia tralationum, verborum trajectione, compositionis inconsequentia, tragicam grandita-

tem

tem affectans, tumorem et obscuritatem contrahat. Quod vitium in paucis libris est frequens, veluti Legibus, Timaeo, Epistolis: in pluribus minus frequens: in plurimis prorsus abest, ubi perspicuitas et ipsa sibi constat in docendo ac narrando, et suavitatem gravitatemque illustrat in delectando et commovendo, et eum servat orationis candorem coloremque, qui sit apertus, simplex, sincerus, limpidus, *puroque simillimus amni*. Quo in genere laudis ac perspicuitatis censendi etiam sunt Phaedon et Convivium: quorum si quaedam partes vitiosa obscuritate affectae sunt, hanc verius librario quam auctori tribuemus. Sed Phaedonis dictio convenit etiam captui tironum; quippe simplex et uniusmodi, usitata Atticis, communis colloquentibus hujus dialogi personis. Convivii dictio paulo magis exercitatos lectores postulat; quippe varia et multiplex, pro numero et varietate disserentium, quorum cujusque non modo ingenium, sed etiam propria dicendi forma et character exprimitur. Quod etsi non magnopere difficultatem objicit ad intelligendum quid dicatur, ita obest ad observandum quomodo et quam diverse dicatur: nec animadverti potest nisi à sensu auribusque tritis notanda varietate generum orationis.

Et hae igitur mihi rationes Phaedonem ad praesentem scholae meae usum commendabant: et accedebat illa cogitatio, posse quasdam argumentationes intactas praetermitti, si forte ad quorumdam auditorum facultatem modumque difficiliores acci-

de-

derent. Et noveram magistros, qui sic factitassent: et me ipsum semel fecisse memineram: neque quidquam discipulos ad delectationem dialogique integritatem desiderasse.

Est enim hoc Phaedonis tamquam iter; ut introitus et exitus sint narrationis quasi amoena vireta: medium, dialecticae veluti dumetum, necessarium quidem illud, nec prorsus tenebricosum et impervium, sed raro ac sublustri et lumine interspersum, et tramite patefactum: at dumetum tamen: in quo verendum esset, ne tirones rerum obscuritate ac disputationis subtilitate defatigati, scholas desererent. Quem metum augebat ipsius exemplum Platonis, cui hoc accidisse, legimus apud Diogenem Laertium III, 37, ut, dialogum Phaedonem in auditorio recitans, solus relinqueretur, omnibus deinceps abeuntibus, uno Aristotele excepto. Sed ad istam compendiariam epitomen quominus nunc descenderem effecit reputatio studii facultatisque plerorumque discipulorum, qui constantes et permansuri viderentur; quosque illo cognitionis et laudis fructu defraudari, iniquum esset; quippe in epitomes facilitate, remanentibus omnibus, praestantium laus et constantia non eminuisset: at eadem his integra servabatur, servata libri integritate: et erat haec quasi obrussa futura, qua, ut auri, sic ingenii probitas cognosceretur, et, ut Homerice dicam, quasi λόχος, ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν· Ἔνθ' ὅ, τε δειλὸς ἀνὴρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη· neque proponebatur Ἴση μοῖρα

ρα μένοντι· . Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Nec spem nostram exitus fefellit. Major meliorque auditorum pars ab initio ad extremum per longam illam disputationis subtilitatem et rerum obscuritatem studiose fideliterque perseveravit. Talium igitur discipulorum studiis me vel per temporis operisque mei dispendium consuluisse, neque antea umquam poenituit: neque nunc, edito Phaedone, extraordinarii laboris poenitet; quo magis haec est libri materia, in qua non modo ingenium ad veri pulcrique judicium excolatur, sed per hanc ipsam culturam animus ad exemplum Socratis, ad sui cognitionem, et rerum divinarum humanarumque scientiam, convertatur: indeque profectus, ad omnem virtutem instruatur: temperantiam in moderandis cupiditatibus et affectibus: justitiam ac beneficentiam erga alios: fiduciam divinae providentiae et gubernationis: fortitudinem in vincendo dolore, ferundis aliorum injuriis, tolerandis vitae calamitatibus, contemnenda denique morte. Qui profecto ex omni Literarum studio fructus et discenti et docenti longe est uberrimus. Scripsi Lugduni Batavorum d. XXIV. Decembris a. MDCCCVI.

DISPUTATIONIS

DE QUAESTIONE, QUAE FUERIT VETERUM PHILOSOPHORUM, INDE A THALETE ET PYTHAGORA, USQUE AD SENECAM, SENTENTIA DE VITA ET STATU ANIMORUM POST MORTEM CORPORIS,

SECTIO V.

DE PLATONE.

Omnium, non solum eorum qui ex Socratis scholâ prodierunt, sed omnino Antiquorum, plurimum in philosophiâ excelluit, plurimumque famae et auctoritatis nactus est PLATO, Atheniensis. De quo viro uberius copiosiusque exponendum est, propter duas caussas. Primum enim, hic est Plato, qui ex omnibus philosophis maximum studium in Animorum Immortalitate demonstrandâ illustrandâque posuit. Deinde ipsius scripta ad nostram venerunt aetatem; ut de doctrinâ placitisque ejus eo plura certioraque documenta proferre possimus. Quod quidem secus fuit in iis, quos adhuc memoravimus, philosophis; quippe quorum, exceptis paucissimis, scripta perierunt; ut eorum sententiae non nisi ex raris vestigiis ac reliquiis, multo labore collectis et digestis, verisimiliter constitui possent.

Sed videamus summatim doctrinae principia, à quibus Plato ad Animorum Immortalitatem pro-

fe-

factus est. „ Tria sunt rerum principia eaque aeterna, *Deus*, *Ideae*, *Materia*. Materiam vago et incerto motu fluctuantem Deus in ordinem redegit, ad Idearum exemplum conformavit, et Mundum ex eâ composuit: Mundo *Animam* (ψυχὴν), Animaeque *Mentem* (νοῦν), indidit (vid. Timaeo p. 517. A. B.). Haec Anima mixta est ex Materiâ bipertitâ; alterâ, *simplici et immutabili:* alterâ, *corporeâ*, *dividuâ*, *et mutabili:* est eadem Anima per totum Mundum extensa, et, quamvis creata à summo Deo, tamen intelligens ac divina, et quasi secundus Deus (vid. ib. p. 528). Porro, summus Deus opifex Deos coelestes creavit, qui sunt astra ignea (p. 530. C. D.): immortales, non quidem suâ naturâ, sed summi Dei voluntate. Deinceps, summus Deus effecit Animas Animalium, eâdem ratione, quâ effecerat Animam Mundi, non tamen ita perfectas ut Deos coelestes, sed secundo ac deteriori gradu; quippe quae minorem partem haberent Materiae illius simplicis et immutabilis (vid. p. 531. A. B. seq.). Has Animalium Animas idem summus opifex Deus Diis coelestibus distribuit; ut ipsi illis Corpora fabricarentur, iisque Corporibus illas includerent: in quibus si bene vixissent, redirent quaeque in naturale suum astrum: sin minus bene vixissent, iterum in generationem abirent, viri in muliebria corpora, post mille annorum spatium redirent, et ipsae sibi vitas eligerent; ubi fieri, ut humana quoque Anima in bruti Corpus migret, atque in

brutorum genere per multas deinceps generationes maneat, donec pravitatem, quae ei ex corporeâ contagione, ignis, aquae, aëris et terrae, adhaeserit, penitus effugerit, atque ita in primum statum, in quo fuerat quum ex summi Dei officinâ prodiret, restituatur (vid. ibid. p. 531. seq.)."

Haec breviter, sed ad nostrum propositum satis, ex dialogo, *Timaei* nomine inscripto: ubi Plato sententiam suam de rerum principiis et ortu explicat. Videamus jam peculiares de Immortalitate disputationes; ita quidem, ut eas à fabulis distinguamus. Nam tribus dialogis, Gorgiae, libro ultimo de Republicâ, et Phaedoni, Plato ejusmodi epilogos adjecit, ubi de conditione Animarum apud inferos ex populari opinione et poëtarum fabulis exponeret. Quos locos nil attinet referre; et si quid habent ex propriâ et interiore philosophi doctrinâ, hoc postea notabimus. Illud et in primis et maxime quaerendum, quibus rationibus et argumentis Plato Animorum Immortalitatem conficere ac demonstrare studuerit. Quae quidem argumenta in pluribus prodita sunt dialogis, Timaeo, Menone, Phaedro, decimo de Republicâ, et maxime in Phaedone.

Arg. ex Timaeo. Et in Timaeo quae exstant, modo protulimus. Sunt vero illa non conclusionibus demonstrata, sed probabili explicatione ad doctrinam de rerum principiis et ortu accommodata. Quare progrediamur continuo ad reliqua.

Arg. ex Menone. In Menone p. 16, F, G. seq. ostenditur, om-

omnem disciplinam esse recordationem: homines nil novi discere, sed vetera recordari; nam, si quis de rebus incognitis recte interrogetur, eum ita respondere, ut appareat, se harum rerum notionem in mente involutam tenuisse; sed hanc notionem quum in praesenti vita numquam acceperit, necesse esse ut eam in priori quadam vitâ acceperit. Igitur effici, Animos nostros, anteaquam in hanc vitam venirent, in aliâ vitâ degisse, ex eâque rerum notiones attulisse, quae nunc ratione disciplinae, id est, recto interrogandi modo instaurentur. Sed hujus argumentationis principium, *animum hominis esse immortalem, alternis in corpore esse, ex eo per mortem migrare, et rursus nasci*, Socrates ait se accepisse à sacerdotibus viris et mulieribus, poëtis multis, praecipue à Pindaro. Hoc spectavit Lactantius Instit. Div. VII, 22: — *Plato de anima disserens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales atque divinas, quod in pueris mobilia sint ingenia et ad percipiendum facilia; quod ea, quae discant, ita celeriter rapiant, uti non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere atque reminisci. In quo vir sapiens poëtis ineptissime credidit.* Quod Lactantius, vir minus sapiens quam disertus, ipse magis etiam inepte pronunciavit. Eamdem rationem in Phaedone demonstrare conatur Plato, Arg. IV. Utrumque locum laudat Cicero Tusc. I, 24.

In Phaedro, quem juvenis scripsit, ingenio veluti luxurianti obsecutus, miram quamdam Animi in- Arg. ex Phaedro.

informat imaginem, quum dicit „eum similem esse aurigae jugum equorum regenti: alis quoque instructum, cum Diis per totum coelum vehi; amissis alis in terram labi, corpori includi: ita deinceps nasci, et hanc usque ad reditum ad suos Deos migrationem optimos animos tribus, deteriores decem millenorum annorum intervallis, absolvere." In quibus quidem figmentis, si quid latet veri et philosophae sententiae, hoc postea explicabimus. Nunc exordium illius loci referendum est, quod demonstrationem Immortalitatis habet. Hoc igitur ejusmodi est p. 344: „*Oportet primum de naturâ Animae cum divinae tum humanae, ejus actionibus passionibusque veram notionem consequi. Initium autem demonstrationis hoc est: Omnis Anima est Immortalis. Nam, quod se ipsum movet, Immortale est: quod autem non modo aliam rem movet, sed ipsum quoque ab aliâ re movetur, quia movendi finem habet, finem etiam habet vitae. Solum vero illud, quod se ipsum movet, quia se ipsum non relinquit, numquam desinit moveri: sed omnibus reliquis rebus, quae moventur, fons et principium movendi est. Principii autem nulla est origo. Nam omne, quod fit, à principio debet nasci, ipsum autem principium ex nullâ re aliâ potest nasci; principium quippe omnino non esset, si ipsum ex aliâ re natum esset. Sed quandoquidem principium nullam habet originem, consequitur ut nec interitum habeat. Nam principio extincto, nec* ip-

ipsum aliunde, nec ex ipso alia res amplius oriri poterit; siquidem omnia à principio debent oriri. Ergo motûs principium est in eâ re, quae se ipsa movet: haec vero nec interire nec oriri potest; hoc enim si accideret, consequeretur ut coelum ac terra collaberentur et à motû cessarent, nec ullâ ratione ad motum redigi possent. Igitur quum appareat, Immortale esse illud quod se ipsum moveat; minime à verâ ratione aberraverit qui hanc essentiam et naturam Animae esse dixerit. Omne enim Corpus, quod extrinsecus movetur, inanimatum est: quod autem intrinsecus ex se ipsum movetur, animatum; quia in hoc proprio motu posita est Animae natura. Atqui, cum ita se res habeat, ut nulla res, exceptâ Animâ, se ipsa movere possit; necessario consequitur, ut Anima nec ortum nec interitum habeat." Hoc est celebratum illud Immortalitatis argumentum, quod inde a Thalete cognitum quidem, neque tamen accuratius explicitum erat: quod, Platonis auctoritate, secuti sunt plerique postea Veteres, in primis Cicero: qui illud egregiâ laude ornavit et vertit, Tusc. I. 23. Quod si hanc argumentationem ad dialecticam brevitatem revocemus, reperiemus, eam his fere syllogismis constare: „*Quod se ipsum movet, non habet initium: Anima se ipsa movet; Ergo Anima non habet initium.*" Assumtionem, quâ dicitur Animam se ipsam movere, nemo facile in dubium vocaverit, qui quidem libertatem agendi tueri vo-

fuerit. Ergo propositio, quâ dicitur, *quod se ipsum moveat, non habere initium*, probanda est. Quod ita probat Plato: „*Quod se ipsum movet, Principium est: Anima se ipsa movet; Ergo Anima est Principium.*" Pergit: „*Principium non habet originem: Anima est Principium; Ergo Anima non habet originem.*" Concludit denique argumentationem ita: „*Quod originem non habet, illud nec interitum habet: Anima non habet originem; Ergo Anima interitum non habet.*" Sed, ut brevius etiam demonstrationis nexum complectamur, tribus illa continetur his Enunciationibus: „*Anima est principium, quia se ipsa movet: Principium nec originem nec interitum habet; Ergo Anima semper fuit et semper erit.*" Equidem et ipse miror et alios miraturos arbitror, quaè sit necessitas, ut illud, quod se ipsum movet, semper fuerit. In primum quidem motorem Deum creatorem, hoc valet: in Animos caeteros, ab illo et creatos, et movendi se ipsos facultate instructos, non cadit per ipsorum naturam, sed per voluntatem creatoris servantem his hanc facultatem et aeternitatem: ut ipse vult in illâ in Timaeo p. 530, C, seq. summi Dei ad Deos creatos oratione: Θεοὶ θεῶν κ. τ. λ. Et quum hoc idem argumentum Immortalitatis ex αὐτοκινησίᾳ, facultate se ipsum movendi, ductum rursus apponatur in Leg. X, p. 668, 669, idque universe ac simpliciter ad ψυχὴν quasi ad omne ψυχῶν genus referatur, idem illud adjudicatur Deo mo-

tori principi creatori, et creatis ab eo diis, quibus ipse fabricam hominum et animalium mandaverat: Leg. XII, p. 696, C. Et qui acerrime Animi libertatem defendunt, eamque in propriâ internâque agendi facultate, id est, ut veteres loquuntur, in *facultate se ipsum movendi*, ponunt; idcirco minime negant Animum à Deo esse creatum. Neque quidquam sentimus aut repugnantiae inter has duas notiones, *liberum esse*, et *creatum esse:* aut necessariae conjunctionis, inter *creatum esse*, et *se ipsum movere non posse;* quo minus Deus creator naturis creatis facultatem se ipsas movendi impertire queat. Forte sint quoque, qui Platonem hoc nomine reprehendant, quod sibi ipse repugnet, quum in Timaeo pronunciaverit Animas a Deo creatas esse. Sed haec quidem reprehensio ita dilui potest, ut dicamus *Animas hominum ex eâdem substantiâ compositas esse atque Animam Mundi, eam vero substantiam ab omni aeternitate semper in motu fuisse:* ex Timaeo. p. 327. A., 328. et 331. A. Neque necesse est eam adhibere machinam, qua usi sunt nonnulli Platonicorum, qui contenderunt, Mundum, secundum Platonem, non esse in tempore, seu à quodam initio, à Deo factum: et hanc quasi in tempore creationem non nisi ad humanum captum à Platone fictam esse. Quorum opinionem verbo notavit Augustinus Civit. Dei XII, 12: accurate confutavit Plutarchus De Animi Procreatione in Timaeo, p. 1013, A: et singulari, nunc perdito,

libro, cujus titulus exstat in Lampriae Catalogo Num. LXIV, *περὶ τοῦ γεγονέναι κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον*. Et reprehendit Philo Jud. De Mundi Incorrupt. p. 941, A. Uberius etiam istum dissensum enarravit Proclus in Timaeum, II, p. 84, 85, ad illa Platonis verba p. 526, D, E: *σκεπτέον οὖν δὴ περὶ αὐτοῦ πρῶτον, ὅπερ ὑπόκειται περὶ παντὸς ἐν ἀρχῇ σκοπεῖν, πότερον ἦν ἀεὶ, γενέσεως ἀρχὴν ἔχων οὐδεμίαν, ἢ γέγονεν, ἀπ᾽ ἀρχῆς τινὸς ἀρξάμενος. Γέγονεν· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τε ἐστι, καὶ σῶμα ἔχων· κ. τ. λ.* Quae profecto ita manifesta sunt, ut nullam dubitationem admittere videantur. Sed nimirum, quaesiverunt interpretes non *an factus esset Mundus à Deo*, sed *utrum tempore et quodam initio, an ab omni aeternitate factus esset à Deo*. Quorum prius à Platone statui, tota dialogi disputatio evidenter ostendit. Multo etiam plura attulit doctissimus ex recentioribus Timaei Platonici interpres, Sebastianus Foxius Morzillus, Commentarii Part. II, pag. 50, seq. Quod autem à Proclo etiam Plotinus in iis numeratur, qui Animae et Mundi generationem sine initio esse statuerint: certe hujusmodi est quod pronunciat Ennead. IV. Lib. III, Diss. IX. p. 378, 6, seq. et V, I. IV, p. 487, B. Et Jamblichum in eadem sententia fuisse, prodit Julianus eum sequens Orat. IV, p. 146, A—C. Ipsum Proclum aeternitatem Mundi tutatum esse constat, in Ἐπιχειρήμασι κατὰ Χριστιανῶν· quae sibi confutanda sumsit Joannes Philoponus in opere edito:

de

de quo videatur Fabricius Bibl. Gr. Vol. VIII, p. 522, et IX, p. 362. Consulatur etiam Cudworthus, et ad eum Moshemius System. Intell. T. I. p. 368. Quare, si quis hoc teneat, Animae substantiam semper et fuisse et in motu fuisse, eamque à Deo non ex nihilo creatam, sed tantummodo conformatam esse, is haud aegre Platonem à repugnantiae crimine absolvet. Ergo apparet, totam hanc in Phaedro expositam demonstrationem parum habere firmitatis, nisi si cum aliis placitis in Timaeo expositis conjungatur. Plato quidem eam postea non assumsit in Phaedone. Caeterum poterat aliâ ratione, ex illâ proprietate et facultate Animae se ipsam movendi, argumentum duci minime contemnendum, quo efficeretur, Animam non esse corporeae naturae, igitur corruptione dissolutioneque partium non interire. Itaque egit senex in Leg. X, p. 668, C, — 669, C, ubi Animi et Corporis naturas plane diversas et contrarias esse ostendit, illum propria sua et interna vi se movere, actiones suas efficere, cogitationes, voluntates, recordationes, studia, curas, mores, consuetudines: Corpus extrinsecus moveri, suasque mutationes ab aliena vi accipere. Nam quum in Corporibus mutationes exsistant certis legibus ponderis ac motûs, et fere necessitate machinae; Anima, siquidem sit corporea, quam partem libertatis habeat, intelligi nequit.

Decimum de Republicâ librum Plato concludit narratione fabulae de Here quodam Armenio, qui ex morte in vitam rediisset, ac de praemiis poenis- Arg. ex Rep. X.

que defunctorum retulisset. Sed antequam ad fabulam accedit, praemittit gravissimam disputationem, quâ Animae Immortalitatem demonstrare studet. Quare fabulam nunc quidem praetermittamus, demonstrationem vero consideremus: eamque, quandoquidem longiuscula est, non ipsis Philosophi verbis referamus, sed summatim exhibeamus, ut ejus tamen vis et consecutio appareat. Haec igitur summa est disputationis, quae habetur p. 516 et 517. „ In rerum naturâ sunt vel res bonae, vel malae, vel indifferentes. Bonae sunt quae eas res, quibus insunt, servant: Malae, quae eas destruunt: Indifferentes, quae neutrum faciunt. Ita corporibus animantium malum est morbus, frugibus aerugo, ligno putredo, ferro rubigo, aliis alia; quibus malis res affectae pereunt. Atqui Animae malum est injustitia, intemperantia, timiditas, insipientia: de quibus nullo pacto ostendi potest, eas talem vim habere, ut Animae mortem adferant. Porro res omnes, quae non interno suo morbo et malo, sed externâ vi, pereunt, non tamen ita pereunt, ut externa caussa sufficiat ad interitum: sed fons et origo interitus est in malo interno, quod ansam praebet atque cedit vi externae. Sed Animae malum non ejusmodi est, ut vel ipsum solum Animae mortem adferat, vel ab externâ vi ad Animae interitum converti possit. Ergo Anima nec ab internâ nec ab externâ caussâ ad interitum deduci potest. Praeterea illud animadvertendum est: Animarum numerum nec auge-

ri

ri nec minui. Nam nec pereunt, ut vidimus: nec plures fiunt, quia ex naturâ mortali numerus earum augendus esset, et ita paulatim omnia mortalia ad Immortalitatem traducerentur. Anima quoque, siquidem est aeterna, ut profecto est, ita debet constituta esse, ut nullus sit partium ejus dissensus, sed maximus consensus." Hactenus pertinet hoc argumentum. Ejus duae partes postremae, de numero Animarum nec augendo nec minuendo, et de partium ipsius consensu, adjectae sunt veluti ex abundanti: et uberius explicantur in Phaedone, ut mox videbimus. Prior vero pars omnino acuminis laudem habet, et ad magnam verisimilitudinem explicari potest; si quidem ex comparatione rerum corporearum ostenditur, non habere Animam in se ejusmodi malum, neque extrinsecus accipere posse, quo exstinguatur ipsa et pereat.

Videamus jam de Phaedone; qui ab omni antiquitate is habitus est liber, in quo rationes Immortalitatis Animorum gravissime luculentissimeque expositae essent. Quae quidem libro laus et auctoritas conciliata est, non tam firmitate argumentorum, quam eloquentiâ Platonis. Habetur enim disputatio ex personâ Socratis, qui ultimo vitae die in carcere ad amicos disserit, tantâ animi tranquillitate ac magnitudine, tantâ fiduciâ ac persuasione futurae felicitatis, ut, non ad mortem, sed ad Deorum Immortalium domicilium abire videatur. Quare, quod dico, si quid est in ipsâ argu-

Arg. ex Phaedone.

gumentatione vel erroris vel obscuritatis, hoc apud legentes cogitatione et veluti conspectu Socratis, atque orationis Platonicae gravitate ac suavitate obruebatur. Caeterum, quum ipsa Platonis disputatio haud parum habeat difficultatis ad intelligendum; operam dedi, ut eam in compendium redigerem et argumentorum summis breviter ac perspicue exhiberem.

Principium igitur hoc est (nostrae editionis §. ς. p. 10. edit. Lugdun. p. 377, C): „Mortis tempus exspectandum est; nec cuiquam licet se ipsum interficere. Homines enim, tamquam servi, à Diis, tamquam dominis, in hac vitâ collocati sunt: nec abeundum est, nisi si Dii ipsi nos ex hac veluti custodiâ liberent. Itaque et ego mortem aequo animo fero; Dii enim me jam ex hac custodiâ revocant. Ac spero me ad meliores homines venturum: certe, ad optimos dominos, nimirum Deos, me perventurum, hoc vero, si quid aliud, summâ asseveratione affirmo." Hoc deinceps demonstratur.

Arg. I. Pergit (ed. nostr. §. ϛ, — ιε, p. 22. Lugdun. p. 378, B. — 380, G.): „Philosophia est commentatio ac studium mortis. Philosophi enim munus in eo positum est, ut Animum à rebus corporeis et fluxis avocet, et ad res intelligibiles ipsamque puram ac sinceram veritatem eum convertat. Atqui quamdiu in hac vitâ et in corpore degimus, huic muneri satisfieri nequit. Animus enim tum maxime viget cogitando, quum se ma-

maxime à Corpore segregaverit et in se ipsum collegerit. Unde apparet, eum ad cogitandi vim ac praestantiam adeo non opus habere Corpore; ut potius illius vinculis solutus et per mortem liberatus, naturae suae perfectionem obtineat. Corpus nos avocat à purae sinceraeque veritatis indagatione: sensus, eorumque vicaria, phantasia continuo Animi cogitationem turbant, eumque in falsas opiniones erroresque inducunt. Corpus inimicum et contrarium est virtuti. In Corpore fons est omnis labis et corruptelae. Corporis nutrimento et voluptati servire cogitur Animus: illiusque sollicitatione ad vitia et scelera abducitur. Igitur verisimile est, Animum, post Corporis mortem, veri cognitionem pleniorem consecuturum, et cum Diis habitaturum; siquidem jam in hac vitâ se, quoad ejus fieri potuit, à Corporis contagione purgaverit per commentationem veritatis et studium sapientiae, justitiae, ac fortitudinis."

Arg. II. (ed. nostr. §. *15*, p. 22 — *19*, p. 26. Lugdun. p. 380, C. — 382, A.) „ Ne vero quis objiciat, Animum extra Corpus non subsistere posse, his moneatur argumentis, Animum jam fuisse anteaquam in Corpus veniret. In totâ naturâ rerum haec dominatur lex, ut, quidquid fit, id ex sui contrario fiat. Veluti, quod majus fit, id ex minori fit majus, velox fit ex tardo, firmum ex infirmo, calor ex frigore. Ita quoque contra, ex majore fit minus, ex firmo infirmum, ex veloci tar-

tardum, ex calore frigus. Eadem necessitate conjunctae sunt vita et mors: atque, ut ex vivo fit mortuus, ita ex mortuo fit vivus. Nisi forte putemus, hac unâ in parte naturam deficere, et ex omnibus rebus duas ab hujus legis vi exemtas esse, vitam et mortem. Quod argumentum ut accuratius etiam percipiatur, animadvertendum est, omnem mutationem triplici contineri statu. Primus est, ex quo res mutata discedit: secundus, quem permeat res mutata: tertius, ad quem pervenit res mutata. Veluti, si quis dormit, is ex vigiliâ in somnum transit: duo sunt status: primus *vigiliae*, tertius *somni:* inter hos medius interjectus est secundus status et transitus à primo ad tertium, nimirum *obdormiscere.* Ita si quis à somno ad vigiliam redit, is interjectum permeat statum, quem vocamus *expergisci.* Quare, ut quis vivat, necesse est eum permeet statum, quem vocamus *nasci:* et ut quis mortuus sit, necesse est eum permeet statum, quem vocamus *mori.* Ergo moriundo non exstinguitur Animus, sed in alium transit statum."

Arg. III. (ed. nostr. §. *18*, p. 26, 27: Lugdun. p. 382, A — C.) „ Porro si generatio haberet viam directam, non in orbem, id est, si omnes vivi continuo in mortem abirent, neque flexu viae ex morte in vitam redirent; tota paulatim natura moriundo consumeretur, et somno veternoque opprimeretur multo graviore quam ille in fabulâ Endymion. At vero natura sui ipsa est conservatrix,

trix. Igitur se non consumit pariundo, sed instaurat ex morte vitam, producit ex mortuis vivos. Ex his argumentis efficitur, post hanc vitam aliam fore vitam, quâ bonis melius, malis pejus futurum sit."

Arg. IV. (ed. nostr. §. κδ, p. 27 — 34: Lugdun. p. 382, C — 384, B.) „ Deinde, Animam fuisse anteaquam in Corpus veniret, magis etiam apparebit, si ad originem notionum nostrarum attenderimus. Nam quod *discere* vocamus, nihil aliud est quam *recordari;* quippe, qui rectâ ratione de rebus incognitis interrogantur, ita respondent, ut perspicuum sit eos rerum earum notiones jam antea animo involutas tenuisse. Quod facile patebit, si animadverterimus, quid fiat recordatione et judicio rerum. Itaque nimirum quotidie experimur, nos in unius, ex alterius, rei cogitationem deferri. Veluti si quis videt Cebetem, is quoque in Simmiae cogitationem incidat: et si quem videmus hominem similem Cebeti, eum cogitando comparamus cum Cebete, et judicamus tacite, quam prope vel accedat ad ejus similitudinem, vel ab eâ deficiat. Neque hoc in iis tantum fit rebus, quas Corporis sensu percipimus: sed in aliis etiam, quae sunt intelligibiles (id est, abstractae) et à corporeâ naturâ remotae. Nam, ut hoc utar, si rem pulcram videmus, unde oritur illa cogitatio, *rem esse pulcram?* Non aliunde profecto nisi hinc, quod illam rem tacite cum ipsâ pulcritudinis ideâ comparamus, et judicamus quam prope il-

illa res ad hujus ideae exemplum accedat. Ita, si quod factum judicamus esse pium vel impium, hoc factum sensu Corporis perceptum referimus ad ideas universales pietatis vel impietatis. Jam vero unde hausimus ideas universales? Non sane, ut nonnulli volunt, sensibus Corporis. Nam his quidem haurimus ideas rerum singularium, quas ad ideas rerum universalium exigimus et dijudicamus. Et vero, nisi prius habeamus ideas universales, ne intelligere quidem possimus ideas singulares. Nil enim haberemus ad quod, tamquam ad exemplum, eas referremus, et ex quo eas agnosceremus. Unde efficitur, non per sensus Corporis primum notitias rerum in Animum inferri, sed in eo jam antea fuisse; igitur Animum prius viguisse ac vixisse quam Corpus nasceretur."

Arg. V. (ed nostr. §. κδ, — λδ, p. 34 — 45. Lugdun. p. 384, B. — 387, D.) „Sed quandoquidem plerisque alte hic scrupulus infixus est, ut putent Animum morte Corporis dissolvi, et sub discessum ex Corpore evanescere, ac veluti vento dispergi; videndum est, quid sit illud *dissolvi*, et in quam naturam cadere possit. Atqui *dissolvi* nil aliud est, quam partibus suis ita privari, ut hae discedant à se invicem, et ut illud totum, quod his partibus constabat, non amplius sit. Igitur dissolvi nil potest, nisi quod ex partibus constat. Porro animadvertamus, rerum omnium duo esse genera: horum alterum ex partibus est compositum, continuo mutationum turbine agitatur, nec um-

umquam eodem statu manet: alterum simplex, quod nullis constat partibus, neque propterea tantis mutationibus subjectum est, sed suum statum obtinet. Compositum contrectatur Corporis sensibus: simplex sub nullum cadit Corporis sensum, sed solâ Animi cogitatione intelligitur. Jam Animus ipse quin ad simplicium rerum genus pertineat, non est quod dubitemus. Animus enim nullo Corporis sensu contrectatur, sed sui ipse actione et cogitatione sibi innotescit: Animus, quantumvis Corpus mutiletur, et sensibus eorumque instrumentis corporeis privetur, ipse tamen cogitandi vim non amittit. Animus notitiam simplicis et immutabilis naturae consequitur: Corpus non nisi fluxarum et mutabilium rerum notiones haurit. Animus puram sinceramque veritatem tum maxime assequitur, quum se maxime in se collegerit et à Corpore avocaverit; atque ita in sui similem naturam concedit, ac pascitur certâ veritatis contemplatione. Animus imperat, Corpus obedit: hoc servi, ille domini, partes tenet; ut hinc etiam intelligi possit, quae sit divinior hominis pars, Animus an Corpus. Atqui contrariarum rerum contraria sunt attributa; itaque consequitur, Animum esse indissolubilem, si quidem Corpus dissolubile est. Ergo, ut post mortem partes Corporis dissolvuntur, ita Animus subsistit atque in purum et invisibilem locum abit, ad sapientem Deum: ad quem ita quisque certius citiusque perveniet, ut se in hâc vitâ maxime purum castum-

que servaverit à Corporis voluptatibus. Qui vero in hâc vitâ Corpori servierunt ejusque contagione affecti sunt, hi post mortem alia quaerunt Corpora in quibus denuo nascantur."

Arg. VI. (ed. nostr. §. λζ — μζ, p. 48 — 62: Lugdun. 388, B. — 392, C.) „Quod si vero quis hanc opinionem tueri velit, *Animum esse harmoniam*, et cogitandi vim esse Corporis qualitatem, quae oriatur ex justo temperamento humoris et siccitatis, caloris et frigoris; huic ita occurritur, ut ostendatur, tali temperamento sanitatem quidem Corporis effici; cogitatio autem quomodo hinc efficiatur, intelligi non posse: repugnare quoque communi experientiae, cogitationem consistere in tali temperamento et harmoniâ; quippe in plurimorum hominum cogitatione potius discrepantiam quam harmoniam inesse."

Arg. VII. (ed. nostr. μζ — νθ, p. 62 — 80: Lugd. p. 394, C. — 396, G.) „Ne vero quis in eam opinionem inducatur, ut putet fore ut Animus, quamvis praestantior Corpore, non tamen nisi diuturnior eo, nec ipse sempiternus sit, sed multis deinceps vitis ac per corpora migrationibus defatigetur, vires amittat suas, ac denique intereat et exstinguatur; animadvertendum est, Animi eamdem esse naturam ac rerum intelligibilium, id est, Idearum atque Essentiarum. Nam ut res quaedam sit pulcra, requiritur pulcritudinis praesentia: ut calida sit res, requiritur caloris praesentia: ut animata sit res et vivat, requiritur Animi

mi praesentia: atque ita in omnibus aliis rebus est. Jam vero res, verbi causså, calida potest frigida fieri; ipse calor numquam potest frigus fieri. Res pulcra potest turpis fieri: ipsa pulcritudo numquam potest fieri turpitudo. Nam superveniente frigore, calor abit, nec ipse in frigus mutatur: superveniente turpitudine, pulcritudo abit, nec ipsa in turpitudinem mutatur. Ita superveniente morte, Animus abit, nec ipse in mortem mutatur. Nam Animi praesentiâ Corpus fit animatum et vivum; et est Animi natura eadem atque Idearum Essentiarumque, quae semper subsistunt, nec umquam à suâ vi secedunt. Ergo Animus est Immortalis."

Argumentorum dijudicatio.

Haec est argumentorum in Phaedone explicitorum summa, brevi et perspicuo, quoad ejus fieri potuit, compendio designata. Sed de singulis deinceps verbo monendum est.

Primum nititur Divinâ Providentiâ et reprehensione Corporis. „Animus in Corpore non potest consequi veritatem et virtutem. Atqui res humanae gubernantur à Divinâ Providentiâ, quae in primis curam ac tutelam eorum gerit, qui in hâc vitâ veritati ac virtuti studuerunt. Qui quidem haec bona post Corporis mortem consequentur." Habet omnino argumentatio magnam verisimilitudinem; si ei Divinae Providentiae demonstratio adjungatur.

Secundi Argumenti haec est vis, ut ex comparatione omnium, quae in naturâ sunt, ostendatur, mortem non esse transitum in nihilum, sed trans-

itum in alium statum. Hujus rationis efficaciam egregie perspexit atque explicuit Mendelsohnus, elegantissimus philosophus, in libello de Immortalitate, *Phaedonis* nomine appellato. Nam quum omnis in rerum naturâ mutatio fiat paulatim et successione graduum, mutatio quidem ea, quae fit ex vitâ in mortem, id est, ex *re* in *nihilum*, non fit successione graduum: et quantumvis rem minuas, semper eodem intervallo à nihilo distabit. Igitur Animus naturae viribus exstingui nequit."

Tertium superstructum est duobus fundamentis, certo et incerto. Certum est et à Philosophis cum Veteribus tum Recentioribus probatum, in naturâ nil novum oriri nec interire quidquam: interitum et ortum non fieri ex nihilo et in nihilum, sed compositione ac dissolutione partium. Incertum est, Animos omnes jam antea fuisse quam in Corpora venirent, nec vel ab ipso Deo creari novos Animos, nec existere quadam compositione materiae. Sed Animos, siquidem à Deo creentur continuo, non interire cum Corporibus consequitur cum ex reliquâ Platonis doctrinâ, tum ex eâ ejus parte, quae est de Providentia. Igitur, ut hoc fundamentum ex incerto certum fiat, demonstrandum est, Animi vim cogitandi non posse oriri ex compositione partium materiae. Quod sexto Argumento conficere studet Plato.

Quartum eo valet, ut ostendatur, Animos jam anteaquam in Corpora venirent, notiones rerum universales habuisse. Quod quidem acutum, nec ta-

tamen omni exceptione majus est; siquidem nil impedit, quominus animus in hac vita notiones universales praeceperit, cum sua ipse observatione, tum disciplina et admonitione docentium. Nam de fonte et initio notionum duae sunt eaeque contrariae Philosophorum sententiae: altera Aristotelis et Lockii, qui statuunt cognitionis initium positum esse in sensibus Corporis, per quos primum notiones rerum externarum inferri in Animum nudum et vacuum ab omni notione: altera Platonis, qui tuetur fuisse jam notiones in Animo antequam in Corpus veniret: quippe qui non possit suscipere et veluti agnoscere imagines rerum externarum sensibus oblatarum, nisi alias prius habeat notiones, ad quas illas imagines extrinsecus oblatas referat atque exigat. Haec est Platonici argumenti vis, quam vulgo non satis perceperunt Interpretes. Platonis sententiam secutus est Leibnitzius, eamque sub nomine *doctrinae de Ideis innatis* celebravit. Sed Plato quidem conficere hinc voluit, Animum antea in aliis Corporibus fuisse: Leibnitio hoc unum satis fuit, Animum notiones habuisse antequam in Corpus veniret.

Quinti Argumenti efficacia repetenda est ex universâ Platonis distributione, quâ omnem rerum substantium multitudinem in duo contraria genera dividit, *simplex* et *compositum*, συνθετὸν et ἀσύνθετον· quorum, hoc dissolvatur et continuo mutetur, illud dissolvi nequeat et sibi semper constet. Hujus divisionis veritatem restringunt Stoi-

ci, negant Epicurei, et ex recentioribus qui vocantur Materialistae. Et sane in promtu est reprehensio. Nam compositum sensibus Corporis percipimus, incompositum non item: nec ulla est idonea ratio, quare potius statuamus esse, quam non esse, genus rerum ἀσυνθέτων· nec verum est, omni generi aliud esse contrarium genus. Cujus erroris arguit Stoicos Plutarchus De Solert. Animal. p. 960, C, D: Adversus Stoicos De Communibus Notitiis p. 1066. D, E. seq.: scilicet, *quia sit bonum, necesse esse, ut sit etiam malum* (*); quia quidquid sit genus, huic aliquod contrarium genus esse debeat: de quo etiam Chrysippi disputationem adfert Gellius VI, 1. Et ejusdem formae argumentum Stoicum confutat Cicero Fin. IV, 24. Qui simile commentum, ἰσονομίαν Epicuri reprehendit, Nat. Deor. I, 39: „Confugis ad aequilibritatem: sic enim ἰσονο„μίαν, si placet, appellemus: et ait, *quoniam* „*sit natura mortalis, immortalem etiam esse* „*oportere.* Isto modo, quoniam homines mor„tales sunt, sint aliqui immortales: et quoniam „nascuntur in terra, nascantur et in aqua. *Et* „*quia sunt quae interimant, sint quae conser*„*vent.*"

(*) Hoc a Stoicis jactatum, *quia sit bonum, necesse esse, ut sit malum*, jam eadem de caussa statuerat Plato in Theaeteto p. 128. F: 'Αλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὦ Θεόδωρε· ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη. [Ex Addendis ad Phaedonem, p. 335.]

„ *vent.*" Et Herodoti illud, IV, 36: *εἰ δέ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι·* quod Eratosthenes, quamvis Stoicus, reprehendit apud Strabonem I, p. 106, et 107, ubi Casaubonus legatur. Sed, si hoc concedatur Platoni, duo contraria haec genera *ἀσύνθετον* et *συνθετὸν*, re vera esse, nec tantummodo cogitatione fingi; nulla erit ratio quare non concedatur illud quod inde sequitur, Animum esse simplicem nec morte Corporis dissolvi. Hoc enim Plato diligenti comparatione Animi cum Corpore conficit. Revocat denique hoc Argumentum ad Divinam Providentiam, ut doceat Animos ad veritatem ac virtutem factos esse à Deo. Igitur, ut quisque in hâc vitâ Divinae huic legi paruerit, ita cujusque futurum statum fore. Nam qui veritati ac virtuti studuissent, eos ad Deum perventuros auctorem veritatis: qui vero Corporis voluptatibus serviissent, eos denuo Corpus quaerere, in eoque nasci.

Sextum Argumentum pertinet ad confutandam eorum opinionem, qui Animum in quâdam Corporis affectione, et humoris calorisque, siccitatis ac frigoris, temperamento posuerunt; veluti Parmenides, Zeno, et alii. In hoc Argumento magna est vis, quam uberius explicuerunt posteriores, qui Platonis vestigia persecuti sunt, atque egregiam nobis demonstrationem pepererunt, quâ efficitur, *Cogitandi vim non posse inesse Corpori, quippe cujus omnes actiones passionesque contineantur partium mutatione ac motu.*

Septimum Argumentum equidem probare non possum, ac verbo notandum est. Hoc eo debet valere: „ Essentias rerum esse constantes et immutabiles: atqui, Animi Essentiam positam esse in cogitatione; ergo fieri non posse, ut Animus umquam cogitationem amittat. Itaque effici, Animum esse Immortalem." Haec, inquam, argumenti conclusio mihi non probatur. Nam, ut nihil dicam de aliis partibus quae reprehendi possint, Plato confundit genus rerum *existentium* cum genere rerum *possibilium*. Etenim, ut res, quae movetur, non potest intelligi nisi ita, ut locum suum mutet; nulla tamen hinc necessitas consequitur, ut res illa semper moveatur, aut semper existat. Itaque concedo, Animum non posse intelligi, nisi ita, ut vivat: neque tamen propterea concedo, hinc necessario consequi, ut Animus semper vivat, aut semper existat. Sed nimirum Plato in hanc opinionem suis ipse initiis obsecutus venit. Nam, quum statueret, Ideas existere et aeternas esse, quumque Animos ad Idearum naturam retulisset; consequens erat, ut statueret, Animos non magis vitâ posse privari, v. c. triangulum tribus lateribus privari, et tamen triangulum manere.

Vidimus de philosophiâ hujus loci parte, quâ demonstratur, *Animos esse Immortales.* Altera pars, quâ ostenditur, *qualis sit ille post hanc vitam status*, fabulose ac poëtice à Platone tractata est; ut eam totam referre alienum sit ab hujus dis-

disputationis consilio. Sunt vero quatuor loci ubi Plato hunc quasi fingendi campum nactus, in eo excurrit, eumque poeticâ facultate exornat. In Phaedro, Phaedone, Gorgiâ, et decimo de Republicâ. Nec vero mihi quis objiciat, Platonem has narrationes non ut fabulas, sed ut veras res, retulisse; quippe ipsum in Gorgiâ p. 312. E, et Rep. X. p. 518. F, has narrationes ordiri ejusmodi introitu, quo dicat, se non fabulam sed verum referre. Nam primo quidem, haec non serio, sed ex Socraticâ ironiâ dicta esse, facile quivis unus non alienus à Platonis consuetudine intelligit. Deinde in eâ narratione de regionibus apud Superos et Inferos, quae est in fine Phaedonis, Socrates diserte pronunciat p. 401. A. „ *Statum vero Animi post mortem eo modo se re verâ habere, quo ego narravi, non decet affirmare sanae mentis virum: eum autem vel talem vel similem debere esse, quandoquidem Animi nostri Immortales sint, hoc decet et affirmare et huic persuasioni fidere.*" Quare videamus, quid in his fabulis insit, quod ipse Plato probare potuerit, et cum ejus Philosophiae sententiâ conveniat.

Ex Gorgiâ igitur haec sunt: „ Anima post mortem ad Inferos abiens judicatur nuda, ut nil possit impedire quominus eam judices interius inspiciant. Nam Animae à sceleribus in hac vitâ commissis ulcera et vibices contrahunt. Judices, perspectâ ulcerum ratione, judicant utrum sint sanabiles Animae nec ne. Sanabiles corriguntur ac purgan-

tur multis doloribus. Insanabiles puniuntur in aeternum vehementissimis cruciatibus, quibus ipsae nullam utilitatem percipiunt, sed aliis in exemplum proponuntur."

Ex Phaedone: „ Unaquaeque Anima suum habet ductorem Genium: hic eam ex Corpore discedentem ducit ad Inferos; prudentem quidem voluntariam, stultam et Corpori deditam vero invitam. A Geniis in certum locum conductae, ibi judicantur. Qui mediocriter se in vitâ gesserunt, male factorum poenas ita dant, ut simul purgentur ac sanitati restituantur, bene factorum autem praemia accipiunt. Qui majora sed sanabilia tamen peccata commiserint, veluti homicidae et parentum violatores, gravioribus suppliciis vexantur: a quibus non antea liberantur, quam iis, quos injuriâ affecerint, satisfecerint ac persuaserint. Qui vero insanabilia peccaverint, multis, et injustis caedibus patrandis, hi in Tartarum conjiciuntur, ex quo numquam liberantur. Denique ii, qui sancte vixerunt, veniunt in coelestem regionem: et in primis ii, qui vere philosophati sunt, semper ibi habitant, nec umquam in Corpora redeunt. Caeterum haec beatorum habitatio est quidem in ipsâ hac terrâ, sed in sublimi ac coelesti loco. Nam quod nobis aqua est, hoc ipsis est aër: quod vero nobis aër est, hoc ipsis est aether: ibi omnia sunt puriora, dilucidiora, ac subtiliora: acutioribus sensibus sunt praediti, majore intelligentia valent, et propiore Deorum consuetudine fruuntur. Nos ve-

vero, tamquam pisces in profundo mari, ita in infimo aëre degimus: pauci caput efferunt in puriorem aetherem; omnia apud nos crassa ac terrena sunt, hebetes sensus, tarda intelligentia, nil vere sincereque bonum."

Ex Repub. X: Duo sunt in terrâ, iisque è regione oppositi duo in coelo, hiatus, per quos Animae adscendunt ac descendunt. In horum medio sedent Judices, qui de Animabus judicant, iisque signa addunt bene vel male factorum: pias ad dexteram sursum, impias ad sinistram deorsum ablegant. Circuitus Animarum fit mille annis: quae mala commiserunt, centenis quibusque annis puniuntur; ut male facta decies luant, si in alios caede injustitiâque saevierint: eadem ratione boni bene factorum praemia decies accipiunt. Sed sunt insanabiles quoque malefici, quorum poena mille annorum circuitu non absolvitur, sed deinceps instauratur, veluti sacrilegi, tyranni, et similes. Caeterum, expletis mille annis, Animae ducuntur ad sortitionem novarum vitarum: ubi maxime opus est prudenti consilio; ne specie deceptae pejorem vitam meliori anteponant. Pleraeque tamen studia prioris vitae sequuntur in electione novae vitae. Posteaquam vitas elegerunt, abducuntur à suo quaeque Genio in Corpora: prius permeant Lethes campum ac fluvium: ex quo ut magis minusve biberunt, ita rerum ante actarum memoriam amittunt. Nec vero tantum hominum vitas sibi eligunt Animae, sed brutorum quoque. Genius autem suus cui-

cuique permanet, custos et effector earum rerum, quae in novâ vitâ constituta sunt."

Ex Phaedro: „ Anima similis est naturae alatae, quae constat aurigâ et duobus equis, meliore ac pejore. Hae sunt tres ejus partes: auriga, τὸ λογικὸν, *pars rationalis:* equi, *pars irrationalis,* τὸ ἄλογον· melior, θυμός· pejor, ἐπιθυμία. Quaelibet Anima pertinet ad chorum ac tutelam unius ex undecim Diis, qui in Coelo versantur. Nam Vesta domi manet. Animae, quae in cujusque Dei choro sunt, non possunt omnes Deum suum aequali modo sequi. Quae quidem sequi potest, extulit caput supra coeli verticem, et conspexit ibi sinceram aeternamque veritatem, atque incolumis manet usque ad secundum Deorum circuitum: in quo, si iterum bene Deum suum secuta fuerit, et si idem sequentibus circuitibus semper fecerit, semper incolumis manet. Nam in domicilio illo sincerae aeternaeque veritatis nutriuntur alae et corroborantur. Sed Animae, quarum equi aurigam turbarunt, in terram delabuntur, fluentibus fractisque alis, et in Corpora ingrediuntur, non quidem brutorum primo, sed hominum; caeterum in varia ingrediuntur Corpora, pro vario gradu modoque sapientiae, quâ praeditae sunt. Optima et quae plurimum viderit in sincerae aeternaeque veritatis domicilio, venit in Corpus Philisophi: quae minus vidit, in Corpus inferioris generis venit. In eumdem statum, in quo primo fuerunt, non redeunt ante expletum decem mille annorum tempus; nam

hoc

hoc intervallo redeunt iis alae. Eae solae, quae vere philosophatae fuerint, tribus deinceps generationibus, trium mille annorum spatio alas recipiunt, et in primum statum abeunt. Reliquae Animae, finitâ primâ vitâ, judicantur: et partim poenas daturae mittuntur sub terram, partim praemia accepturae tolluntur in coelestem locum. Mille annis praeterlapsis, utraeque redeunt ad electionem secundae vitae: quam sibi quaeque libero judicio eligit. Ubi fit, ut humana saepius Anima in bruti Corpus ingrediatur, et ex bruto in humanum Corpus Anima, quae ab initio fuit humana."

Haec fere sunt, quae ex his fabulis ad philosophiae sententiam revocari possint, omissis pluribus figmentis et nominibus poëticis, veluti Minöis, Rhadamanthi, Stygis, Acherontis, et similibus. Ceterum, si quis ea, quae exhibuimus, conferat cum iis, quae Plato disputat in Timaeo p. 531, is verisimiliter hanc sententiam Philosopho de statu post hanc vitam tribuat: „ Animas, ut antea fuerunt, ita postea futuras. Post mortem Corporis, judicium earum fieri apud Inferos, poenas et praemia constitui. Poenas proprie in medicinae locum iis adhiberi, exceptis insanabilibus; quae semper in Tartaro maneant in exemplum, quo aliae à sceleribus absterreantur. Quae Animae in hâc vitâ Philosophiam vere tractarunt, seque in veritatis contemplatione exercuerunt, et à corporearum voluptatum contagione puras castasque servaverunt, hae igitur manent apud Deos, nec in Corpora redeunt.

Summa sententia Platonis.

eunt. Quae vero magis affectae fuerunt peccatis et voluptatum contagione, hae purgantur primum et poenas dant; praemia tamen quoque accipiunt, si quid bene fecerint in hâc vitâ. Sed post longum annorum circuitum ad nova Corpora redeunt, ita ut optio cuique detur quodnam vitae genus eligere velit. Hanc vitam prouti vel cum virtute vel cum vitiis degerit, ita denuo post Corporis mortem ei fiet. In primum et antiquum felicitatis statum nulla redit Anima, nisi quae per Philosophiam se ab omni rerum corporearum contagione purgaverit."

De numero anniorum, quo circuitus Animarum absolvatur, Plato sibi non constat; nam aliis mille, aliis tria millia, aliis decem millia tribuit; ut facile appareat, eum de numero nil certi constituisse. Rationes autem, quibus Metempsychosin confirmavit, intelliguntur, cum ex totâ doctrinâ in systemate Platonis, tum ex peculiaribus locis. Neque enim ita nude et simpliciter posuit sententiam illam, prouti Pythagorici: sed ejus caussas ex ipsâ naturâ Animi explicare studuit. „Nam Anima, prioris vitae consuetudine ad voluptatum cupiditatem adstricta, sponte quaerit ejusmodi Corpus, quod maxime accommodatum sit ad cupiditates illas explendas: fallitur etiam ignorantiâ boni, ut, in electione novae vitae, meliori pejus anteponat." Atque ita Platonis sententiam posteriores acceperunt: ut monuit Wyttenbachius ad Plutarchum de Serâ Num. Vind. p. 113.

Er-

Ergo videmus Platonem egregie meritum esse de doctrinâ Immortalitatis, eamque non tantum eloquentiâ ad plurimorum adsensum celebrasse, sed argumentis quoque confirmasse: quorum argumentorum, nonnulla sunt valde probabilia, nonnulla obscuriora, sed quae tamen quasi semina continent, quibus excolendis posteriores Philosophi huic doctrinae majorem firmitatem adjunxerunt. Ceterum, qualis esset ille post hanc vitam status, ab eâ quidem parte probabiliter significavit, ut intelligatur, *bonis bene*, *malis male*, *futurum: felicitatem consistere in veritate et virtute*, *in earum contrario positam esse infelicitatem.* Quae vero alia peculiariter praeterea de hoc statu prodidit, ea, ut incerta et obscura, non nisi ad fabulae verisimilitudinem adducere studuit.

Quod autem in tota illa Disputatione *Animum* et *Animam* promiscue usurpasse videmur; ne quis forte hac synonymia turbetur, sic habeat. Nam utroque nomine eamdem quidem rem significavimus, sed habita ratione varietatis facultatum, partium, qualitatum, attributorum. Et *Anima* quidem est totum illud, quidquid est, quod in nobis cogitat, sentit, agit, appetit, sibi sui aliarumque rerum conscium est: genus omnes naturas, i. e. substantias cogitantes, complectens: Graecis ψυχὴ dicitur, atque omnibus tribuitur *Animalibus*, ζώοις.

Haec

Haec autem sunt, vel *rationalia*, λογικά· vel *irrationalia*, ἄλογα, i. e. *bruta*. Rationalium quatuor censentur genera gradu diversa: *Dii*, *daemones*, *heroes*, *homines*. *Animae* autem, ψυχῆς, tres faciunt sive partes sive facultates Platonici: duas irrationales ἐπιθυμίαν, *cupiditatem*, et θυμόν, *impetum:* tertiam rationalem, λόγον, *rationem:* quae si spectatur non ut facultas ψυχῆς, sed ut ejus pars, eaque praestantior et imperans, dicitur νοῦς, *Animus*. Ergo hanc praestantiorem partem, ad quam in primis Immortalitas, refertur, *Animum* diximus: totum autem genus *Animam*.

Caeterum in illa Disputationis Sectione recognoscenda et ad Phaedonis accessionem componenda, in mentem mihi venit scholarum metaphysicarum olim à me, per duodecim annos Philosophiam docente, habitarum: quarum unum certe Caput de hoc ipso argumento, *simplicis naturae et immortalitatis animorum*, opportunum hujus editionis auctarium fore videretur, quo Phaedonis lectores nexum partesque ipsius quaestionis praeciperent, ejusque cognitione instructi paratiores ad lectionem accederent. Quod quum nuper in Bibliothecae Criticae Parte XII, Praefat. p. XIV, me fortasse facturum professus essem, nunc omnino faciendum esse judicavi; cognito frequenti hominum elegantis et, ut ita dicam, patriae avitaeque Philo-

so-

sophiae amantium studio ac desiderio. Ne vero quem hujus Capitis brevitas offendat, is legat et judicet. Continetur enim designatione totius quaestionis et argumentorum; brevi quidem illa, sed, ut puto, perspicua et suis partibus apta: cujus, ut reliquae institutionis metaphysicae, numerum quemque auditoribus primum dictare, deinde dictatum sermone explicare et fusius ampliusque interpretari, solebam.

SCHOLARUM METAPHYSICARUM, PSYCHOLOGIAE,

CAPUT V.

DE ANIMI SIMPLICI NATURA ET IMMORTALITATE.

§. I.

Constitutio Loci.

Quae hucusque exposuimus Psychologiae Capita, primum universe de Animi natura, facultatibus, cogitatione, cognitione ejusque fontibus: secundum, de facultate intelligendi ejusque partibus: tertium, de facultate appetendi, i. e. voluntate, voluptate, dolore, de sensu veri, boni, pulcri, de affectibus et perturbationibus: quartum, de li-

bertate voluntatis: haec ergo, ut *Empiricae* Psychologiae pars, si quidem aliquid habeant dubitationis, haud difficulter confirmari possunt; quod fontes, ex quibus ducta sunt, experientia et observatio sui cujusque ipsius, unicuique patent. Nunc ad proxima venimus Capita, quae plus habent difficultatis: quintum, de simplici Animi natura et immortalitate: sextum, de vinculo et commercio inter Animum et Corpus: septimum, de ortu Animi: octavum, de aliis naturis cogitantibus, praeter Animos humanos: quae, ut *Rationalis* pars Psychologiae, partim ejusmodi sunt, ut minorem habeant evidentiam, et demonstratione altius repetitâ constituenda sint: partim ea obscuritate premuntur, ut omnino de iis certi nil statui possit, et fere Philosophorum conjecturis contineantur, de quibus facilius reperias quae sit falsa, quam quae vera sit statuas. Ex priori genere ea est quaestio, cujus tractationem nunc ingredimur, quae licet multis gravibusque vexetur dubiis, tamen viâ et ratione ad exitum satis certum perduci potest. Cujus viae haec sunt officia, ut ostendatur: *primum*, Animum non esse corporeum et compositum, sed incorporeum et simplicem: *alterum*, igitur Animum Corporis morte non item mori, nec in eamdem intereundi communionem implicari, sed suâ ipsum naturâ post Corporis mortem remanere: *tertium*, nec modo remanere, sed etiam vigere, cogitatione aliisque propriis naturae suae viribus valere: *quartum*, etiam, si naturâ

suâ

suâ corporeus ac mortalis esset, tamen immortalem et permansurum fore voluntate Dei, cujus sapientia et justitia in gubernandis rebus hujus universi aliter constare non possit.

§. II.

Dubitationes de simplici Animi naturâ.

Quod si ergo arctissimam illam, quae Animum et Corpus continet, conjunctionem spectemus, multa se nobis offerant necesse est, quibus eo inducamur, ut Animi naturam corpoream esse putemus. Nam et nasci et crescere et decrescere atque exstingui cum Corpore videtur: viget et languet cum Corpore, laetatur cum eodem et dolet, ejusque omnibus fere casibus et calamitatibus obnoxius est: vino et Corporis intemperie ad insaniam usque perturbatur. Corporis somno Animus, quum sensibus non fulcitur et sibi solus relinquitur, temere errat et praeter veritatem vagatur. Sanguinis etiam varia temperatio varios Animorum impetus, habilitates et proclivitates efficit. Praeterea, ut toto Corpore sentimus, ita Animus quoque per totum Corpus diffusus atque distentus esse videtur. Denique, quum vires naturamque materiae atque Corporum vix minimâ parte perspectas habeamus, cumque generum individua inter se non nisi graduum intervallis differant, et ab infimo gradu ad summum usque deinceps adscendant: cumque planta-

rum, arborum, aliarumque rerum quae ex terrâ procrescunt, quamquam admirabilem naturam, tamen corpoream esse sciamus; haec igitur quum ita sint, quis illud nobis praestet, homines à plantis alia ratione differre, quam subtilitate fabricae et gradu? aut quis denique contendere possit, cogitationem conscientiamque non posse effici artificio compositionis et machinae?

His alia addantur, quae exposuit et ornavit Lucretius, III, vs. 440, seqq. Ex quibus omnibus effici volunt, tam arctam compagem intercedere non posse, nisi inter ejusdem naturae res: atque ita maxime probabile esse et fere cogi, Animum esse corporeum.

§. III.

Distributio argumentorum, quibus istae dubitationes confutentur.

Atqui dubitationibus istis omnibus nil efficitur, nisi hoc unum, quod nemo negat, arctissimam esse Animi et Corporis compagem, quae quomodo inter duas tam diversae naturae res intercedere possit, difficile sit intellectu. Jam vero nulla ex his dubitationibus tantam habet vim, ut per eam efficiatur Animum et simplicem naturam repugnantia esse. Denique omnes simul uno lapsu corruunt, quum demonstratum fuerit, cogitationem non posse cadere in naturam Corporis.

Ar-

Argumenta vero, quibus Animo simplicitas et incorporalitas (τὸ ἀπλοῦν, τὸ ἀσώματον, τὸ ἀσύνθετον) vindicetur, duplicis sunt generis: vel justea demonstrationis, vel huic proximae probabilitatis.

§. IV.

Justae demonstrationis summa.

Hujus haec est forma. Quod si Animus corporeae est naturae, Corporis vero essentia constat qualitate partium et modo compositionis, et ex duplici hoc fonte omnes Corporum vires oriuntur, ut probatum est in Ontologicis, VI, 41; necesse est, cogitationem effici, aut ipsis partibus, aut modo compositionis. Quorum cum utrumque repugnet, efficitur *Animum esse simplicis naturae.*

§. V.

Demonstratio prioris partis, qua ostenditur cogitationem non posse effici modo compositionis.

Cogitatio, certe est mutatio in Animo. Itaque si Animus est corporeus, cogitatio alia ab aliâ non potest differre nisi modo compositionis partium et figurâ. Jam vero quum Animus de pluribus rebus cogitat, habet et suam conscientiam, et notiones plurium variarumque rerum, de quibus cogitat. Igitur et plures variasque figuras eodem tempore

habebit. Quod cum repugnet; efficitur cogitationem non constare modo compositionis partium.

Praeterea ex partibus, quarum nulla vim cogitandi habet, cogitatio oriri nequit. Quod si enim nonnumquam videtur in Corporibus sola compositione partium nova oriri vis aut affectio, quae in partibus singulis non est, veluti Musicae et Picturae est negotium, ea Animi cogitatione exsistit, neque reverâ est. Itaque nullae ejusmodi vires aut affectiones, quae compositione partium oriuntur, possunt cogitandi vim efficere, sed ipsae potius ab Animi vi efficiuntur. Qua de re egregia est observatio Mendelsohni in Phaedone, p. 113 et seqq. et 215.

§. VI.

Demonstratio alterius partis, qua ostenditur cogitationem non posse contineri singulis partibus.

At vero ut cogitatio singulis corporeae naturae partibus contineatur, alterutra ratio valere debet, ut quaevis corporeae naturae pars habeat cogitationem vel *totam*, vel ejus *partem*. Prior ratio manifesto repugnat experientiae. Etenim unusquisque nostrum interno suo sensu percipit se esse unum, et unicam non multiplicem habere cogitationem. Posteriore vero ratione positâ, conscientia quidem et cogitatio essent unicae nec multiplices, sed tamen haberent tot partes quot sunt partes ejus substantiae corporeae

reae, qua Animus constat. Neque tamen vel sic tota cogitatio efficitur. Nam requiritur ut omnes cogitationis partes ab unâ aliquâ parte colligantur, conjungantur, et ita ad totam cogitationem constituantur. Haec autem pars ejusmodi debet esse, ut nullas habeat ipsa partes, atque adeo simplex sit. Quae profecto pars ipse est Animus: eâque repertâ, caeteris partibus adeo non opus erit, ut potius adesse nequeant.

Praeterea conscientia tota non constitui potest ex partibus, quae separatim exsistunt, ita ut ex multis obscuris quasi conscientiolis unica integra distinctaque constituatur conscientia. Neque hoc magis fieri potest ac v. c. ex multis obscuris notionibus una eaque clara componi. Vid. idem Mendelsohnus, p. 215.

§. VII.

Neque motu cogitatio effici potest.

Quod si quis expositae demonstrationis efficientiam ita subterfugere conetur, ut contendat, non *vim cogitandi*, sed *actionem cogitandi* in motu esse positam: et varietatem cogitationum non ex varietate figurarum et collocationis partium oriri, sed ex varietate motuum; is sciat, se in eamdem superiori argumento confutatam repugnantiam incidere. Nam:

1. Actio cogitandi non aliunde, quam ex vi co-

gitandi, oritur. Et quum vis cogitandi illâ demonstratione modo expositâ teneatur; hac exceptione nil proficitur.

II. Cogitationem in motu positam esse, nullo modo intelligi potest: immo intelligitur, cogitationem nullo modo in motu positam esse posse. Nam, quidquid tandem sit motus. Animus quum et sui conscientiam et simul multas variasque cogitationes habeat, simul multos variosque motus habere debeat; quod in ipsam illam supra §. V et VI confutatam repugnantiam incidit.

§. VIII.

Argumenta Probabilia.

Caeterum praeter illud, quod modo exposuimus, argumentum, aliae sunt rationes, quae simplicitati Animi magnam non modo probabilitatem sed et necessitatem adjungant.

I. Res quae ipsa sibi sui est conscia, et ad suam ipsa conscientiam reliqua omnia veluti ad caput refert, potius substantia sit quam accidens. Et conscientia efficiatur potius ita, ut Animus se ipse colligat et in se intendat, quam ut se extendat. Itaque suo quisque proprio et intimo sensu percipit *se ipsum* ut substantiam. Cumque omnes cogitationes, sive sui ipsius, sive suarum et aliarum rerum, sint accidentia, accidentia autem nisi in substantia inesse nequeant; efficitur, Animum, qui

qui in nobis cogitat, esse substantiam, et quidem eximio sensu ex eo genere substantiarum, quae nullas habeant partes. Vid. §. VI. et Ontolog. VII, 45, 8.

II. Quum certissimis Physicorum observationibus constet, Corpora continuo ita mutari, ut sensim partibus veteribus secedentibus novae succedant; quomodo in ejusmodi commutationum fluxu ulla esse poterit aut conscientia, qua ipse Animus sibi se eumdem semper conservat: aut memoria, quae est instauratio veterum perceptionum?

III. Materia se ipsa movere nequit: sed omnes, quae in eam cadere possunt, mutationes ex antegresso motu proficiscuntur. Itaque, qui Animum corporeum esse statuunt, simul eum libertate suâ spoliant, et necessitati machinae adstringunt.

IV. Quod si Animus est corporeus, cogitationes à se invicem non nisi figura et motu differre possunt; ita quidem, ut quaelibet cogitatio suam sibi habeat figuram, qua discernatur ab aliis cogitationibus. Porro in rerum externarum perceptione divisa inter se habent officia Animus et Corpus: hoc externum sensum, ille internum sensum confert. At vero, si Animus est corporeus, consequitur, ut nullus sit internus sensus, et ut tota sentiendi actio conficiatur ab uno externo sensu continuato ad cerebrum et Animum. Jam vero quomodo fit, ut unâ eâdemque perceptione plures eaeque variae notiones, aut pluribus iisque diversis perceptionibus

una eademque notio in Animo excitetur. Veluti, si audias aut scriptum legas nomen *Homo*, vel *Ptolemaeus*, plurium diversorumque individuorum cogitatio in Animo oriri potest: et si contra v. c. dicas singillatim nomina *Marcus*, vel *Tullius*, vel *Cicero*, vel denique si unius ejusdemque rei nomina variis linguis audiveris, una tamen eademque notio in Animo exsistat?

§. IX.

De Immortalitate Animorum.

Atque his quidem rationibus illud effectum est, Animum non perire morte Corporis. Etenim mors Corporis efficitur cessatione motus interni, ac dissolutione partium: quorum neutrum in Animi simplicitatem cadere potest. Quare si quis amplius contra Animi Immortalitatem obluctari velit, alterutrum statuat necesse est, vel à Deo ipso Animum exstinctum et in nihilum rejectum iri, vel eum sponte suâ naturâ, quum semel corpore solutus fuerit, in somnum atque torporem incidere, ut cogitationem prorsus amittat. Ac prius quidem confutare ad Theologiam Naturalem pertinet, ubi ex virtutibus divinis colligitur, Deum Animi vitam non solum non exstincturum, quum eam Animus per suam naturam producere possit, sed etiam ex abundanti largiturum, si Animus corporeae foret naturae. Posteriori vero reprehensioni hoc

hoc loco respondendum est. Sunt enim, qui, etiamsi concedant Animum Corpori superstitem esse, tamen statuant eum ita ad Corpus esse adstrictum, ut sine ejus adjumento vim suam exserere nequeat; unde effici eum spoliatum Corpore, veluti instrumento et admonitore vitae, actionem conscientiamque amittere, lethali sopore perfundi, ac sempiterno lethargo consopitum jacere. Cujus opinionis testimonium ab experientiâ repetunt: saepius enim Animum vel vivo Corpore cogitationem ac memoriam amittere, et veluti obbrutescere: neque repugnare, quo minus in ejusmodi inertiae languorem incidat, quo conscientiâ omni prorsus careat, certum fieri exemplis eorum, qui vel suffocati vel vehementer icti ex deliquio ad se redierunt. Denique etiam illud afferunt, neminem umquam ex morte in vitam rediisse, qui de iis rebus quae ei mortuo obtigerint, sanus quidem et prudens, aliquid meminerit vel memoriae prodiderit.

I. Et primum quidem, ut nil dicamus de iis, qui divino consilio ex morte ad vitam revocati sunt, de iis certe, qui vel humano artificio vel sponte vitam recuperarunt, firmiter statuere licet, Animum nondum ex Corpore excessisse, et motum animalem, seu vitalem, non destructum, sed impeditum fuisse. Jam vero quamdiu Animus in Corpore habitat, tamdiu vim suam aliter exserere nequit, nisi per leges fabricae hujus Corporis. Itaque cessante motu cerebri, credibile est animum insueto casu attonitum torpore perfundi. Quum ve-

vero ad se rediens non recordatur, quid in deliquio cogitaverit; non inde efficitur nullas ei obversatas esse cogitationes: immo hoc unum colligi potest, cogitationes adeo debiles et obscuras fuisse, ut vestigium nullum reliquerint.

II. Deinde experientia quoque testatur, Animum extra Corpus cogitandi munere melius perfungi. Nam, qui serio et diligenter quid cogitare vult, operam dat, ut Animum, quoad ejus fieri potest, à Corpore avocet, et in se ipsum colligat: solitudinem igitur et tranquillitatem consectatur, ut contemplatio strepitu, visis alienis, et omnino sensibus Corporis, ne perturbetur.

III. Denique esse quidem Animum, sed eumdem vi suâ penitus spoliatum, non satis acute dicitur. Animi enim essentia posita est in cogitatione: cumque idem sit simplex, ut modo vidimus, vis cogitandi habenda est constans et princeps. Quare sublatâ cogitandi vi, ipse Animus sublatus erit. Ita certe in rerum natura fieri animadvertimus. Corpora omnia habent vim motus, soliditatis, extensionis: tolle has vires, ipsas res sustuleris. Cf. Mendelsohnus in Appendice ad Phaedonem, p. 201 et seqq.

§. X.

De Auctoribus et Interpretibus hujus quaestionis de Animi Immortalitate, et in primis de ejus Simplicitate.

Hanc totam quaestionem iis, quae sibi firmissima

ma viderentur, argumentis eleganter et subtiliter explicuit *Mendelsohnus* in singulari libro *Phaedonis* nomine inscripto, nobisque in hac ipsa Scholarum parte saepe laudato. De historia hujus quaestionis, nostra exstat Disputatio complectens aetatem, quae fuit à Thalete ad Senecam: unde Sectionem de Platone supra apposuimus. Ex posteris Philosophis plurimum *Plotinus* incrementi attulit, rationibus ex communione Animorum humanorum ac divinae naturae repetendis: tum in primis accuratius demonstranda Animi simplicitate, ex illo argumento, quo efficitur vim actionemque cogitandi in corpoream naturam cadere non posse, Enneade IV, Libro VII: quo valet ejusdem argumentatio adversus Aristotelis ἐντελέχειαν servata in Eusebii Praeparatione Evangelica, XV, 10. Illud à Plotino inchoatum et obscurius adumbratum argumentum recentiores demum Philosophi inde à Leibnitzio planius dilucidiusque sic fere explicuerunt, ut a nobis relatum est §. IV — §. VII. Quos omnes recensere difficile sit; siquidem quorum scripta vel mihi ad manus sunt, quique aut totam quaestionem *Immortalitatis*, aut locum de *Immaterialitate* vulgo dictum, tractantes, hoc argumentum attigerunt, quamvis multi, tamen ex multis pauci sunt. Sunt autem hi: *Cudworthus*, Systemate Intellect. T. II, p. 485, seq. ipsum Plotini locum referens: item *Car. Lud. Struvius* in Historia Doctrinae Gr. et Rom. Philosophorum de Statu Animarum post mortem p. 93, seq. de Plotino. Sine

ne hujus mentione plerique alii ipsas rationes brevius fusiusve memorarunt: v. c. *Leibnitzius*, Nouveaux Essais p. 406, seq. *W. Sherlock*, A Discourse — Part. I, Containing the Proofs of the Immortalitaty of the Soul. London 1705. 8. *Bayle*, Dictionair. Hist. et Crit. Voce Dicaearque. *Wolffius* Metaphys. §. 738, seq. *G. T. Meiers* Beweis dass keine Materie denken könne. *J. D. Muller*, Dissertatio de Immortalitate Animae. *Ejusdem*, Die vertheidigte Gewissheit der Unsterblichkeit der Seele. — *Isr. Gottl. Canzen* Ueberzeugender Beweis aus der Vernunft von der Unsterblichkeit sowohl der Menschen-Seelen insgemein, als auch der Kinder-Seelen. — *'s Gravesandii* Introductio ad Philosophiam, Metaphys. Part. II, Cap. XIII. *Godefr. Ploucquet* Dissert. de Materialismo, Tubingae 1751. *Sinfart* Recueil de Pensées Diverses sur l'Immortalité de l'Ame, à Colmar. 1756. 8. *Baumeisteri* Institutiones Metaphysicae §. 692. *A. G. Baumgartens* Metaphysik, Halle 1766. *H. S. Reimari* Vornehmste Wahrheiten der Naturlichen Religion. VI. Abhandlung §. 7. p. 458. *D. van de Wynpersse* Institutiones Metaphys. Psychol. Cap. VIII. §. 602. *B. L. Tralles* über das Daseyn, die Immaterialität und Unsterblichkeit der Seele, Breslau 1776, 8. *Töllners* Kurze Vermischte Aufsätze I. Band. II. Samlung. p. 44. *Sulzers* Vermischte Schriften. II. Theil. I. Abhandlung. *Riedels* Philosophische Bibliothek. I. Stuk. p. 99. II. Stuk. p. 58. *Feders*

ders Metaphysik p. 352. *S. Platners* Philosophische Aphorismen T. I. p. 257 , seq. et 416. *Ejusdem* Anthropologie T. I. §. 89 — 126. *J. Aug. Eberhards* Kurzer Abriss der Metaphysik, Halle 1794. 8. §. 334. *D. Tiedeman* Untersuchungen über den Menschen, T. II. p. 35. 81. 123. Et hi quidem nunc mihi praesto sunt. Plures antea mihi adfuisse memini: plures etiam à modo nominatis scriptoribus citantur. — Ao. MDCCCVI.



PRAE-

PRAEFATIO

EX SECUNDA EDITIONE

SELECTORUM

PRINCIPUM HISTORICORUM.

Quae vulgo libris caussa repetendae editionis esse solet, eadem huic iterando libello caussa fuit. Bibliopola, divenditis exemplis, nova desiderans, nos rogavit, ut iis conficiendis rationem curamque adhiberemus. Nos illi gratificantes fecimus editionem, ut titulus profitetur, *auctam* et *correctam*. Cujus professionis quae sit vis et sententia si declaraverimus, praefandi officio satisfecerimus.

Ergo *aucta* est haec editio *Annotatione*, non item novis locis selectis. Quamquam enim erant homines haud indocti, qui alios etiam eorumdem Scriptorum locos addendos censerent, nosque illa admonitione obtunderent: et quamquam nos ipsi aliquando cogitaveramus novum caput adjicere *varium*, ex brevibus sententiis, apophthegmatibus, fabulis, narratiunculis undique collectum, invitamentum argumentumque ineunti studio et aetati accom-

commodatum; veterem tamen modum delectumque, in prioris editionis praefatione demonstratum, retinendum duximus. Nam aliorum hominum, alios ac deinceps alios locos desiderantium, judiciis obsequi infinitum erat. Novum caput, in hac quidem discipulorum facultate supervacaneum fuisset. Utraque accessio librum jam satis grandem, praeter mediocritatem habilitatemque scholis congruam onerasset.

Annotationem igitur, ubi res postulare videretur, auximus, notis vel veteribus corrigendis aut confirmandis, vel novis addendis; ratione habita facultatis et utilitatis discentium. Et hoc, quidquid est accessionis, maluimus seorsum in fine libri ponere, quam Annotationi interponere; cum, ut statim appareret quid novum accessisset: tum, ut hi, qui priorem editionem legendo, excerpendo, citando, usurpassent, ne hujus operae fructum, mutatis paginis, amitterent. Itraque priorem paginarum ordinem materiamque servavimus, excepto *Indice;* quippe qui notatione novae materiae, in Annotationis Supplemento proditae, locupletandus erat.

Correcta autem est haec editio duobus officiis: quorum alterum refertur ad nostros errores, et in Supplemento praestitum est: alterum ad typographica menda pertinet. Ad quae corrigenda etsi tantum laborem contuleramus in priore editione, ut integritatis laude excellere videretur; tamen pauca quaedam vel in literis vel in accentibus perperam

expressa remanserant. His investigandis ac tollendis rursus, ut in libro institutioni juventutis destinato, summam diligentiam operamque adhibuimus. Nam saepe unius adeo literae error tantas offundit sententiae tenebras, unde ne magistri quidem, nedum discipuli, se expediant. In accentibus vero ne turbaretur eo magis cavimus, quod eorum observatione pars haud contemnenda accuratae rationis grammaticae continetur: ad cujus negligentiam subinde quoque magistros adeo proclives videmus, ut Graecum locum, vel prave positis, vel omnino omissis, accentibus, scribentes et edentes, eum sui quasi imaginem stuporis, prodere videantur. Ergo in expurgandis mendis ne soli nostris ipsi oculis confideremus, adhibuimus adjutorem *Janum Bake*, discipulum nobis probatum egregio studio doctrinae cum elegantis tum vero accuratae, mox publice probandum libro, quem in manibus habet, de Vita et Scriptis Posidonii. Fecimus igitur quantum potuimus. Modo ne, omni a nobis navata opera, perpurgato exemplo, officinae magistro quamvis sedulo et advigilante, operarii temeritas novam labem inducat. Quod genus nemo quisquam mortalis editor cavere possit. Nos quidem in omni literato labore nil magis indignamur, quam in libro a nobis correcto mendum remanere.

Denique, nefas sit hanc, quamvis brevem, praefationem finire, nisi Deo O. M. pura piaque mente duplicis beneficii nomine, gratias egerimus. Alterum est vetus, quod voti nos compotes fecit,

cit, quod precati eramus in praefatione prioris editionis, *ut per hanc nostram operam haec studia in illa frequentia manerent, et crescerent potius quam decrescerent.* Itaque evenit: et homines studiosi complures professi sunt, sibi hunc libellum, cum ad discendum et docendum, tum ad cognoscendum et judicandum profuisse. Alterum est recens: quod dira illa et horribilis hujus urbis clades et ruina, die XII Januarii, in praesente vitae periculo non nisi externas res nostras tetigit, internas, id est, animum et corpus, sanas incolumesque reliquit. Quod nunc a nobis religione defungentibus breviter significatum, fortasse alio tempore disertius declarabitur.

Scripsi Lugduni Batavorum d. XXI Julii a. MDCCCVII.

EPISTOLA
AD
LYNDENUM.

EX EDITIONE
PARTIS DUODECIMAE
BIBLIOTHECAE CRITICAE.

VIRO. NOBILISSIMO. ERUDITISSIMO
FRANCISCO. GODARDO
BARONI. VAN. LYNDEN. I. U. D
ACADEMIAE. FRANEQUERANAE
CURATORI
S. P. D.
DANIEL. WYTTENBACHIUS

Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem:
Pauca meo Lyndenio: —

Age finem et fastigium Bibliothecae Criticae imponamus! Nam et amatores ejus tandem eâ totâ potiri cupiunt: et ipsa propemodum clamans indignatur, se per nos tamdiu, ut fabulam capite carentem, obire: et Lyndenus noster promissum sibi

sibi munusculum exspectat: et nos omnibus gratificari studemus. Amatores dico, cum legentes eam, tum habentes: quos ego dudum eosdem esse putans, sero nuper errorem meum agnovi. Accidit enim saepius per illa intermissae editionis tempora, ut homines Literarum nostrarum studiosi ex me quaererent, an mox rursus Partem Bibliothecae Criticae editurus essem? Quibus omnibus eodem modo respondere solebam: „ Faciam, inquam, otium nactus; scriptio diligentiam ac „ tempus postulat: οὐκ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλ„ λὰ τῶν ἀκριβούντων· quod professus sum in ipso „ libro, Voluminis Tertii, Partis Primae exordio." Hanc illi caussam probare videbantur: „ Sane, „ ajebant, praestat veterem diligentiam retinere, „ quam aliud ex ea festinando remittere." Ego illos omnes et amatores et lectores esse putans, eorum responsum in meam laudem interpretabar: et homo simplex saeculique ignarus ita crescebam gloriola, quasi illorum judicio jam jamque sublimi feriens sidera vertice. Incidi deinde in alios minus faciles, qui me ab illa sublimitate dejicerent: „ Heus tu, inquit, ecquando nova Pars „ Bibliothecae Criticae exibit?" Ego solito illo modo respondebam. Tum ille: „ Tu vero potius „ aliquid minus elaboratum justo tempore, quam „ magis elaboratum sero da." Ego rursus et hoc in meam laudem accipiens, „ Perhumaniter, in„ quam, facis, qui meis nugis tantum tribuas, ut „ eas vel immaturas legere velis." Ille, „ Vah!

„ inquit, censen' me omnes meos libros legere? „ magnam habeo bibliothecam; quae si mihi le„ genda esset, mallem, ut Homericus Tiresias, „ pauperis domini operarius rusticus esse. Sem„ per novos libros emo: genera continuare, in„ choata opera partibus deinceps exeuntibus ex„ plere pergo: vix unum et alterum legi totum, „ nec eum nisi parvulum: caeteros obiter inspi„ cio, evolvo: sic vivimus, et tamen habemur „ eruditi: habeo quidquid est hujusmodi, Diaria, „ Ephemerides, Menstruos libellos, Annales, „ Acta Literaria, Bibliothecas, Syllogas, omni„ no quas vocant periodicas chartas: in his tuam „ Bibliothecam Criticam: quae, ut fatear, valde „ mihi est molesta, quod tamdiu inchoata et im„ perfecta manet: sic mihi per pulpita vagantur „ singulae partes, ut saepe eas requiram: velim „ tandem quaternio absolvatur, saltem ut eum „ uno volumine complecti possim." Haec ille. Cui ego: „ Macte, inquam, virtute esto, qui „ me diuturno errore liberasti, quod adhuc puta„ vi eosdem esse amatores et lectores librorum: „ pro quo tibi beneficio hanc gratiam promitto, „ ut postremam partem propediem edam, quam „ tu cum prioribus vagis partibus in unum volu„ men concludere possis." Et hic quidem hujusmodi erat.

Fuit alius qui facetus esse vellet: „ Quomodo, „ inquit, valet proxime edenda Bibliothecae Cri„ ticae Pars?" „ Nondum, inquam, valet, quip-

„ pe

„ pe nondum nata." „ Sume, inquit, ὠκυτό-
„ κιον, ut tandem parias." „ Vereor, inquam, ne
„ sic puer exeat insignis ad deformitatem, quem
„ tu ex XII tabulis necandum judices." „ Atqui,
„ inquit, dudum peperisse debebas, si datam fi-
„ dem servare, ac boni viri personam tueri, vel-
les." Tum ego:

„ *Parcius ista viris tamen objicienda memento:*

„ ego fidem dedi cum exceptione, quantum et
„ quando eam per alia negotia praestare liceret;
„ semper pauca habui, sed nemini umquam debui:
„ meo pauper in aere fui: nescivi vos librorum
„ amatores debitum librarium acerbius etiam exi-
„ gere quam pecuniarium: sit ita! nolo tecum
„ contendere; ne me in jus ad Praetorem rapias,
„ ubi, insuetus litigandi, caussâ cadam: sine
„ paululum temporis me abs te auferre, et habe-
„ bis quod petis." Concessit, abiit: sic et hunc
demovimus.

Nunc, mi Lyndene, duo nobis agenda sunt: alterum, ut continuo praesens debitum solvamus, hac postrema Bibliothecae Criticae Parte edenda: alterum, ut caveamus, ne quis amator rursus exactoris creditorisque adversus nos personam suscipere possit. Ergo si quid aliquando simile hujus Bibliothecae scribemus, primum, singulares libellos edemus, quos ille voluminum coactor statim singillatim ligare possit, nec per pulpita va-

gantes requirere cogatur: deinde, ne quid in posterum promittamus, quo iste librarii debiti exactor nos ex jure manum consertum vocare audeat.

Sed pergenti, mi Lyndene, coeptum opus peragere, ultro mihi cogitatio temporis inter hujus et primae Partis scriptionem interjecti occurrit: quae cogitatio, tristis ne an jucunda, certe ejusmodi est, ut silentio eam praetermittere haudquaquam possim. Triginta hi sunt anni. Tu nondum natus eras. Vivebat pater meus, virorum optimus: cui non modo τὸ ζῆν, sed et τὸ εὖ ζῆν, debui. Vivebant alteri patres mei, Ruhnkenius et Valckenarius, quorum ex lumine lumen ipse mihi accenderem. Ego Amstelodami Literas et Philosophiam docebam, in otio quamvis tranquillo, tamen deinde quot quantisque commutationibus turbato? Et illos tres viros fatum exstinxit: et amicos, quibus florebam, multos aut mors mihi eripuit, aut temporum varietas subtraxit: quorum amissionem, ut assolet, si quando unius alteriusque boni viri accessione supplere licet, fortuna praeclare nobiscum egisse videtur. In his et tuam, mi Lyndene, et Patris tui, nobilissimi prudentissimique viri, mihi amicitiam obtigisse, in praecipua felicitatis meae parte pono. Equidem in hac vitae tamquam navigatione ita ventis et fluctibus jactatus sum, ut tamen in puppi gubernaculum meae ipse cymbae retinerem, eamque neque à magnis navigiis obrui, nec parvis nocere sinerem: sed in utramque partem consectarer τὸ εὖ ποιεῖν καὶ εὖ πάσχειν, *benefi-*

cia

tia dare et accipere: saepe mecum reputans illud Pythagoricum,

Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοὶ δέον οὐκ ἐτελέσθη;

et judicium de me ipse instituens ex illa formula,

Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ τέρπευ.

recte factis laetatus sum, secus factis dolui. Omnino, nisi mea sorte contentus vivam, ingratus erga Jovem reperiar: qui ex duobus doliis in ejus atrio positis, unde fata hominum miscet, altero pleno bonis, altero malis, plus mihi ex meliore quam pejore infudit. Sed satis de me; ne quis Davus objiciat: *id populus curat scilicet.*

Patria, si umquam, tunc certe florebat; si hoc est florere, ut profecto est, divitiis et opibus per mercaturam affluere. Bello flagrante Britannorum adversus suos colonos Americanos, eorumque defensores, ipsa se neutrarum partium gerens, fructum commeatus ab utrisque percipiebat. Cum divitiis apud multos crescebat luxuries et superbia: multi surgebant νεόπλουτοι, qui sibi terrarum domini viderentur, nos doctrinae studiosos alto supercilio despicerent, et fere illud creparent,

O cives, cives! quaerenda pecunia primum est:
Virtus post nummos.

Plures tamen erant boni viri, παλαιόπλουτοι, divitiis assueti et recte utentes, apud quos frugalitas, modestia, liberalitas, beneficentia, vigeret, do-

 ctri-

ctrinam vel colentes vel certe honorantes, admonentes illos superbos, ne nimium confiderent fortunae rudentibus aptae, quam subita belli tempestas sternere et affligere posset. Itaque mox evenit. Boni viri ac docti stabant: superbi cadebant, jamque malebant, mediocri fortuna contenti, doctrinae studuisse. Biennio postea pax restituitur: nec sincera illa, sed civilibus discordiis turbata: quas compescuit annus octogesimus septimus, veterem felicitatem promittens: cujus spem quinto anno intercepit novum bellum et calamitosum et diuturnum, saltem intermissum pace Ambianensi, quam somniavimus magis quam percepimus. Ergo instauratum bellum, cujus ingravescentia damna adhuc toleramus, finem nondum prospicimus. Nam inde à principio illius temporis, seditionum caussae ac semina ex Americanis ad Europaeos deferri, sensim gliscere, incendii materiam arripere: aestuare populi, veterem suarum civitatum formam indignari, novam quaerere, eamdemque aliis populis inferre. Qui aestus, quae bella ab alio ad alium populum continuata, quo evaluerint, quem adhuc eventum habuerint, Tibi, mi Lyndene, haud ignoranti quid narrem?

Et quasi non satis esset illud turbarum, quod populos agitaret, ecce novitatis libido mox etiam philosophorum scholas invasit: nova exstitit secta, nimirum et ipsa aliquid esse volens, nec quieta sedere sustinens, et

Talibus in rebus communi deesse saluti,

ed

sed tumultuari, alias sectas ad ipsius formulam adigere conari, se solam veram profiteri, indignari se umbraculis suis inclusam teneri, nec imperium suum per terrarum orbem latius proferre posse: necquicquam; quippe ipsa se suis acuminibus compungens et labefactans: tortuosis conclusiunculis et nova verborum obscuritate, *φιλοκάλους*, dilucidae fructuosaeque sapientiae amantes, avertens: quamvis clamosa et ventosa, similisque ventis, quos

vasto rex Aeolus antro
Imperio premit, ac vinclis et carcere fraenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis,
Circum claustra fremunt.

Quibus de rebus quum nuper apud me, paulo post tuum ab exteris in patriam reditum, suaviter confabularemur, Tu, mi Lyndene, sic suscepisti: „ Opportune mentionem fecimus Philosophiae: „ nam quum apud vos studiorum caussa degens, „ et frequens ad vespertinos sermones tuos ven„ titans, aliquando ex te quaererem, quae nova „ illa esset Metaphysica, quis eam colentium fer„ vor, quae caussae quod veteranis non probare„ tur, tu argumentorum quasi puncta breviter no„ tans mihi satisfaciebas: uberioris cognitionis „ tempus, finitis demum Academicis, ut dicun„ tur, studiis, mihi fore ajebas. Nunc tempus „ illud adest, ut recusare nequeas, quin plura mi„ hi de hoc argumento narres."

Vix dum haec dixeras, quum ad nos intrabant Phil-

Philalethes, Agrotae F., et Critobulus Asclepiadis F., multae politissimaeque homines doctrinae, et studiorum communione, et amicitiae vetustate, mecum conjuncti. Qui subito Te conspicati, reditumque Tibi gratulati, quum continuo quaerere coepissent, ecquid apud exteros novi? ecquos claros viros vidisses? ecquid illum in illa terra, ecquid alium in alia? Tuque iis ita respondisses, ut et humanitate tua et diligentia delectari viderentur, sic perrexisti: „ Enimvero, „ praestantissimi viri, alio vobis tempore de cae- „ teris, quas quaeritis, rebus satisfaciam: nunc „ mihi hanc veniam date, ut conficiam quod „ coeperam, et a W. nostro vetus debitum exi- „ gam, quod ante complures mihi annos promi- „ sit, se de novissimo illo philosophantium fer- „ vore narraturum." Illis inter se subridentibus, et assensum invicem nutu significantibus, affirmantibusque opportunum sibi accidere id argumentum, et libenter audituros; habitus inter nos est hic sermo, quem ut conscriberem ederemque, vobis hortantibus, ego me facturum et ad Te scripturum promisi: et nunc fidem liberans, editum et hac ipsa comprehensum epistola Tibi mitto. Sic autem refertur, quasi ipsi loquentes inducamur; ne *inquam* et *inquit* saepius interponatur. In quo Tu auctoritatem Ciceronis tui agnosces: qui in Laelio item fecit, Platonis sui, ut nosti, exemplum secutus.

I.

W. Rem sane requiris, Lyndene, non modo veterem, sed antiquatam. Nam et tunc apud Germanos nova ista Metaphysica jam obsolescebat, et nunc obsoluit. Quare sinamus eam, ut in proverbio est, dormientem dormire. Nostri homines, ut scis, pauci peregrina studia captant: sed qui captant, vehementer id agunt, et fere omnia peregrina vera pulcraque putant: caeterum sero ea cognoscunt, at semel cognita cupide amplectuntur, ac tarditatem cognitionis insania et diuturnitate imitationis compensant; unde fit, ut tunc maxime ferveant, quum inventores jam deferbuerunt: et illa apud nos studia vigeant, quae apud peregrinos, ubi nata sunt, dudum vetustate evanuerunt. Quae et Tu recens inde redux meministi, et ego Philalethem nostrum saepe dicere memini.

PH. Quis enim dubitet de re quotidie ante oculos posita, cum in vestitu et supellectile, tum in Literis et artibus: in quibus nostrates, qui supra alios cives elegantes videri cupiunt, nova peregrinaque exempla consectari solent, eaque fere pro iisdem habent: ut novum esse quid putent, modo peregrinum sit: et peregrinum, modo novum. Idem fuit negotium istius Philosophiae: jam duodeviginti annos nata erat, quum nostri homines eam apud nos producerent, et Belgice crepare cogerent: apud Germanos tunc vetula habebatur, et erat sane pro ingenio saeculi effoeta: habebat filias gran-

grandiusculas et matris et invicem non modo aemulas, sed et expultrices: ab his amatores ad Platonis Musam defluxerunt: quam nostri Kantiani ignoraverunt adhuc, matris quamvis decrepitae amore beati. Quod autem quaeris de fervore hominum novam istam rationem celebrantium, febris est, mi Lyndene, febris, ut olim Wolfiana, antea Cartesiana, prius etiam alia atque alia, sic ista Kantiana, non quidem, ut illae, late per Batavam terram fusa, sed intra paucos conclusa; at eosdem, ut sero allata, eo vehementius agitans, ut nescias, utrum eos rideas, an misereris.

W. Equidem prius magis censeam; habita tamen ratione aetatis: et, ut illa apud Comicum mulier adolescenti per amorem peccanti veniam dat,

Non adeo inhumano, inquit, *ingenio sum*, *Chaerea*,
Neque ita imperita, *ut*, *quid amor valeat*, *nesciam*.

sic ego adolescentibus metaphysica febri delirantibus ignosco; qui eadem et ipse adolescentulus deliravi. Ita enim natura fert, ut quisque homo semel, aut summum iterum, in vita, veluti corpore variolis, sic animo amoris aut alia studii insania corripiatur, postea convalescens sanus et immunis vivat. Cumque ista febris fere novos et imperitos invadat, peritos doctosque fugiat; ignoscitur adolescentibus: aetate provectis minus ignoscitur; quo turpius his est imperitis et indoctis esse, quoque majore cum dedecore delirant, et quo graviore cum periculo aegrotant.

LYND.

LYND. Te ne umquam ista febri laborasse! equidem non putaram, reputans tuam, quae nunc est, et animi tranquillitatem, et ingenii lenitatem; quamquam te Metaphysicam docuisse ac dictatis conscripsisse scio.

W. Quam tu mihi tribuis sive lenitatem, sive tranquillitatem, vellem ea in me tanta inesset, quanta tibi videtur: quamquam aetate et studio me ad eam aliquantum profecisse haud diffiteor. Quod autem de febri dixi, ita est, Lyndene: adolescentulus Wolfiana febri laboravi: quid facerem illa aetate, abreptus aestu saeculi et exemplo condiscipulorum: neque tamen vehementer, neque diu, laboravi: mox enim succedens Literarum studium et lectio veterum, maxime Platonis, Ciceronis, Plutarchi, mentis agitationem ab incitatione ad rationis sanitatem redegit, et ad eum temperavit modum, ut sexto post illum anno Metaphysicam docere jussus, ad ejus institutiones conscribendas potius severitatem judicis, quam cupiditatem amatoris, adferrem.

II.

PH. Vellem edidisses hunc libellum, ut antea Logicum, quem libenter legi.

W. Fortasse faciam aliquando, eique comitem addam aliquot locis auctum correctumque Logicum libellum, qui jam diu ex librariis tabernis evanuit. Illud quoque fortasse, partem Psycho-

lo-

logiae, de Animi simplici natura et immortalitate, adjungam Platonis dialogo Phaedoni: quem, ut nosti, ad editionem instruere coepi, deinde aliis negotiis, et his duabus postremis Bibliothecae Criticae Partibus, et horribili denique nostrae urbis clade meaeque domus vastatione die XII Januarii, hujus anni, intercipientibus, in proximum otium rejeci.

PH. Atqui illam Psychologiae partem tunc legemus, quandocumque cum Phaedone prodierit: nunc totum libellum cognoscere cupiens abs te peto, ut mihi ejus legendi copiam facias.

W. Unicum mihi est exemplum, idque tractando scholisque habendis attritum ac paene lacerum; quod vereor ne manibus cupidi lectoris commissum penitus conteratur et pereat. Sed opportune in mentem mihi venit Scholtenii nostri, qui has audivit scholas ac descripsit, et, qua est humanitate, earum Tibi usum facile commodabit.

PH. Bene mones, et faciam: at nunc saltem distributionem ac partes totius materiae, recenseas.

W. Modo possem, Philalethes, facerem: nunc nec singillatim ita omnes ex ordine partes memoriter reddere facile est: nec liber in promptu est, ut ex migratione cum aliis confusus et latens. Ne vero omnino studium festinationemque tuam destituam, satis quaeso habeas me universe et brevissime libelli argumenta habitumque significare.

PH.

PH. Et hoc, quamvis parum, satis mihi sit; si quidem plus non licet.

W. Ergo materiae quadripertitam descriptionem retinui, Ontologiae, Psychologiae, Cosmologiae, Theologiae: singulis eam notionum copiam complectens, quam et Metaphysicae officium profiteri judicarem, et in accuratissimis locupletissimisque philosophorum libris tradi animadverterem. In forma autem eam rationem et utriusque methodi usum secutus sum, quem in Logicis Praeceptis P. III. Cap. I. §. 6, notavi. Porro, quum Metaphysica omnium aliarum fundamenta principiaque doctrinarum contineat, operam dedi, ut haec et attingerem, nec tamen tractando in ipsarum proprios fines invaderem: deinde, ut nexum consequentiamque notionum inter se significarem, quo propius haec doctrina ad similitudinem firmitatis Geometricae conformaretur: tum, ut, quoad ejus fieri posset, terminos facultatum cognoscendi et rerum cognoscendarum inter se compararem, eaque comparatione, si fieri posset, appareret, quousque progredi liceret, et ubi subsistendum esset: deinceps, quod in Logicis Praeceptis spectavi, eorumque in Praefatione professus sum (*), vetera cum novis ita conjunxi, ut discentes cum ad recentiorum decreta rationemque cognoscendam, tum ad antiquorum intelligentiam, vocarem. Itaque, ut imaginem rei numquam visae ab ex-

(*) [Horum Opusc. Vol. I. p. 176.]

exemplo rei visae vel aliis ostendere, vel ipsi praecipere solemus, fingite vobis metaphysicum illum libellum, excepta materiae diversitate, similem esse libello, quem nostis, Logico.

PH. Satis hoc est ad laudis praestantiam.

W. Immo ad mediocritatem; amplius enim nil spectavi.

CR. Non satis est similitudo: accedat oportet aequalitas; non enim genere solum, sed gradu etiam laus censetur.

W. En solitum propriumque Critobuli acumen! sic est, ut ais: et ego aequalitatem quoque spectavi.

CR. Atqui si utramque assecutus es, ajo te supra mediocritatem adscendisse.

W. Quid ita?

CR. Quia mediocritas est dimidium: et initium est dimidium; judice Horatio enim, *Dimidium facti, qui coepit, habet:* tu autem non modo coepisti, sed etiam perrexisti: sed dic, sodes, quare libellum non edidisti?

W. Quia solum perrexi, nec perfeci.

CR. Vah! Quasi vero nullum nisi perfectum librum edi fas sit! ita sane nobis carendum sit illo novorum proventu librorum, qui nos quotannis beat.

W. Tu quidem acutulo tuo genio obsequeris: et, qui ipse nil scribis, scriptoribus etiam illudis: nova tamen scripta captans, si quam forte in iis deprehendas ineptiam, ridendi exagitandique ma-

materiam: durus homo, qui scribentium aerumnis nil movearis, nil condones.

LYND. Enimvero frugi homo è secta Horatii! qui *ridendo verum dicebat*, scribentes corrigebat, eosque *Munus et officium nil scribens ipse docebat.* Tu vero nondum respondisti, quod Critobulus quaerebat, quare illum libellum non edideris.

W. Horatianam vobis auctoritatem vicissim repono:

si quid tamen olim
Scripseris, in Metî descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis: delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.

Et forte fortuna sic evenit, ut nono, postquam Logicam Metaphysicamque institutionem conscripseram, anno, illam expolirem et ederem. Itaque et hanc edendi maturum videbatur tempus; si quidem eam item expolivissem: quod quo minus tunc agerem, intervenerunt aliae scriptiones, veluti totius voluminis secundi Bibliothecae Criticae: ne dicam de perpetuo Plutarchi opere, cui reliquum omne otium tribuebam.

III.

LYND. Nonne illorum temporum etiam disputationes fuerunt, cum tuae, tum discipulorum? tuae quidem duae, altera *de Unitate Dei*, altera

de Placito Immortalitatis Animorum: discipulorum item duae, Scholteni *de Theologia Ciceronis*, Nieuwlandi *de Musonio.*

W. Fuerunt, Lyndene: et vero ad harum mentionem tuae quoque Panaetianae recordor disputationis, quam Tu item, ut duo priores disputatores suam uterque, in publicâ disceptatione ita defendisti, ut mihi, quamvis Praesidi, magis auditoris quam adjutoris partes relinquerentur.

CR. Ohe! jam rursus extra oleas vagamur. Scimus omnes et novimus: et ego in illis tribus disceptationibus auditor adfui: et, si vultis, juratus testimonium dicam, tunc, ut fere assolet in re bene gesta, omnes auditores judicasse se numquam simile quidquam audivisse: sed nunc saltem sinamus narratorem nostrum pergere.

W. Recte facis, Critobule, qui Praesidis partes suscipis, nosque in disserendo aberrantes, in ordinem cogis. Scilicet narrare instituebam, quae mihi caussae fuissent, ut illius libelli editionem differrem. Et illae mihi fuerunt, quas dixi, caussae; et alia accedebat. Nam ego quum illo tempore novos exterorum de Philosophia libros animadvertere et legere solerem, accidit ut eodem anno, quo Logica Praecepta edidi, MDCCLXXXI, Kantii liber inscriptus *Critica Purae Rationis* prodiret, jam antea denunciatus et exspectatione praeceptus, quasi veterem omnem Metaphysicam eversurus, novamque allaturus: et noveram auctorem ex aliis quibusdam ejus scriptis ut acutum et in-

ingeniosum, sed eumdem captatorem novitatis et admirabilitatis, nec mihi probatum in argumento de *Unitate Dei*, et judicio de *Falsa Argutia Figurarum Syllogisticarum*, ut suis locis notaveram, in Disputatione de Unitate Dei p. 63, et in Logicis Praeceptis p. 183. Attamen illam ejus Criticam Purae Rationis mihi cognoscendam judicabam; si forte aliquid adferret, quo ego docerer vel, repudiatâ meâ vetere Metaphysicâ, novam hanc esse sequendam, vel certe partes quasdam in vetere circumscribi, mutari, aut addi, oportere.

PH. Ecquid igitur attulit?

W. Pro exspectatione parum: sed dicam quid mihi acciderit. Librum simul ac prodisse ferebatur, arcesso, legere incipio. Praefatio arguta, primo res notas referens, deinde magnifica promissa expromens. „Puram Rationem, inquit, „esse animi facultatem cognoscendi res, per se „solum, sine sensuum corporis et experientiae „communione: Inventarium notitiarum intelligi„bilium à Pura Ratione profectarum, esse Sy„stema Metaphysicae. At hoc in libro id Syste„ma nondum exhiberi: sed criticam, id est cen„suram, agi Rationis Purae et notitiarum ab ea „proficiscentium: inquiri, an Metaphysica ca„dere possit in facultatem ingenii humani: pos„sibilis nec ne sit. quam superiore aetate regi„nam scientiarum habitam, nunc saeculi errore „contemtam jacere, et quasi Ovidii Hecubam „queri — *modo maxima rerum, tot generis na-*

„ *tisque potens — nunc trahor exul, inops.* Ita
„ hoc in libro quaeri sitne omnino quaedam Me-
„ taphysica, ejus limites fontesque designari ex
„ principiis: Rationem difficillimum suum mu-
„ nus, se ipsam cognoscendi, denuo suscipere,
„ tribunal constituere, quod ipsius justa postu-
„ lata tueatur, injusta repudiet, istam litem non
„ imperiosis edictis, sed ad aeternas et immutabi-
„ les ipsius Rationis leges decidat. Hanc unam
„ adhuc relictam viam se ingressum profiteri au-
„ dere, nullum esse Metaphysicum problema,
„ quin per hanc Criticam aut solutum sit, aut ei
„ solvendo via aperiatur, et quasi clavis praebea-
„ tur." — Talia, priores reprehendens, et se ipsum praedicans, et alia similia, in Praefatione ponit.

PH. Satis hoc, ut cuilibet in mentem veniat

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes!

W. Caute agis, quod caetera omittis,

— nascetur ridiculus mus.

neque enim tam parvulum animal prodiit, nec tam timidum et fugax.

CR. Dicam vobis ex historiâ naturali: fuit aut horrens spinis echinus, aut creber flagellis polypus.

W. Mihi videbatur item Ovidiana forma exiisse, non quidem reginae Hecubae, quam Kantius volebat, sed anus fatidicae Sibyllae querentis illud

lud sibi tempus venisse, quod venturum ipsa augurata erat,

Tempus erit cum me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat, consumtaque membra senecta
Ad minimum redigantur onus: nec amata videbor
Nec placuisse Deo. Phoebus quoque forsitan ipse,
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit;
Usque adeo mutata ferar; nullique videnda,
Voce tamen noscar: vocem mihi fata relinquent.

CR. Et haec ei convenit forma, vocali, incurvae, capite humi demissae, in terram tuenti, et obtusâ oculorum acie ultra experientiae terminos, quod ipsa fatetur, prospicere haud valenti.

PH. Neque illud vere dixit Kantius, Metaphysicam tunc in contemtu jacuisse; quippe quae in Germania complurium intelligentissimorum libris virorum recens ornata colebatur: quorum, ut alios taceam, Lambertus in Architectonicâ eam recensuerat, Platnerus in Anthropologiâ et Aphorismis descripserat et explicuerat, Federus in Compendio populariter et suaviter scripto ad communem intelligentiam commendaverat; ut nec ipsa cultorum frequentiam desideraret, et cultores traditam adhuc ejus probabilitatem aequi bonique facientes, ei majorem firmitatem evidentiamque addi cuperent: quam si quis adferret, is unus hominum studia augere posset. Ita calentibus dudum hominum desideriis, exstitit Kantius, qui desideratum bonum se adferre profiteretur: isque in pri-

mis idoneus ad persuadendum novis quidem et recentibus:

Κἠκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.

Cultus est ipse ab illis divino prope cultu: et viguit aliquamdiu.

CR. Istam vero cantilenam tragice exaggerarunt plerique hujus sectae doctores: clamarunt, Philosophiam adhuc infirmis superstructam fundamentis, apud alios contemtam, ab aliis ad evertenda omnia religionis et justitiae firmamenta adhibitam fuisse: Kantium jam protulisse veram aeternamque Philosophiam, publicae privataeque felicitatis, ac perpetuae inter omnes sectas pacis effectricem. Quorum hoc, puerilis jactantiae, illud veteris anilis querelae: utrumque re et eventu confutatum. Sed tu, quaeso, quid tibi acciderit, narrare perge.

IV.

W. Praefationi proxima erat Introductio: novum et inusitatum dicendi genus: spissae tenebrae: tum ipsa tractatio: spissiores etiam tenebrae, et cum lectionis progressu ingravescentes. Tantum quidem dispiciebam, consequentiam argumentorum deesse, pleraque temere ac sine demonstratione poni, postulari, nec ad probabilitatem explicari. Triente perlecto, librum de manibus pono: sexto post mense resumo, lecta de in-

te

tegro relego, indeque reliqua perlego: permaneo in priore meâ de libro sententiâ: itaque ab eo discessi, ut caput caussae improbarem, quasdam partes singulares probarem, earumque in gratiam eum non abjicerem, sed ut rursus legendum seponerem. Quartus post illum annus me, mutatâ cathedrâ, ad Literas Historiasque docendas traduxit, et necessitate, cum edendi mei libelli, tum relegendi voluminis Kantiani, liberavit:

— *sic me servavit Apollo.*

CR. Invidens scilicet Apollo tibi aemulo consuetudinem cum amatâ suâ vetere, Sibyllâ.

W. Haud scio: gratias quidem ei tunc habui, qui mihi ingrati laboris gratiam fecisset. Ergo totus in literis versabar, et quod à quotidiano docendi munere superesset otii, Plutarcho tribuebam: Philosophiae recentioris hactenus rationem ducebam, ut, si quid in eâ novum ac praecipuum prodiret, id cognoscerem. Kantianus liber vix amplius in ephemeridibus Germaniae memoratus, ut nemini intellectus, in oblivionem abire videbatur. At vero,

Interea magno misceri murmure terram

Germaniam. Kantianus liber adhuc neglectus, jam produci, celebrari: ejus studium primo latius serpere, tum ubique differri, denique per totam Germaniam pervadere, fervere. Auctor illud congruum septentrionali frigori opus, tamquam Cim-

meriis tenebris et boreali glacie concretum, protulerat: quasi ejus ingenium isto semine inflasset Boreas ille dictus equas afflatu fecundare. Ac prouti Ixion amore Junonis, reginae Deorum, captus, ab eâque elusus objectâ nube ipsius deae in imaginem conformatâ, cum eâ congressus Centauros genuit, cuncta transsilientes et Thessaliae segetem conculcantes: sic Kantius scientiarum reginam deperiens Metaphysicam, ab ea deceptus Cimmeriâ caligine, eam iniens, genus scientiae procreavit Centauricum, *transscendentale* appellitatum, sepimenta prioris Philosophiae transsiliens, vireta fructumque vastans. Pater suum foetum in librum includens, et, tamquam Pandorae dolium, proponens, non dubitabat, id sua ipsum admirabilitate philosophantium et mentes in se conversurum, et studia sibi conciliaturum. Avus Boreas adspirans coeptis, dolium sustulit, adversus Zephyrum conflicturus; si forte beatarum sub eo sitarum regionum teporem floremque arefacere et glaciare posset: et supra Germaniam transvolans in Saxoniam dolium dejecit. Quod ibi aliquot annos neglectum jacuit. Philosophantes unus et alter accedunt, patris nomine, et praefationis, tamquam operculi, festivitate invitati: tollunt operculum, dolium interius inspiciunt, vident plenum materiâ piceae nigredinis et gravis odoris. Veterani operculum rursus imponunt: monent novitios item facere; ne materia colore aëris effervescens, in eorum capita erumpat. Pater ingloriam do-

dolii sortem audiens, faeces ad illustrandum submittit: quibus admotis dolio aperto, vapores à materia exhalante surgentes ignem concipiunt, et subito cum fulgure sonitum edunt. Ecce! novitii puerique ad rumorem novitatemque spectaculi excitari, adcurrere, adstare, stupere, mirari, gaudere, gestire, ignem quisque et materiae partem rapere et auferre: massa picea concutiendo agitandoque exardescens crepitansque dissiluit, rapientium vultus atrâ fuligine opplevit, capita furore instinxit; ut sibi pulcri et sapientes viderentur, per vicos oppidaque discurrentes debaccharentur, deorum hominumque fidem obtestarentur, se pristinis liberatam tenebris Philosophiam, ipsamque veritatem, adferre. Pater, qui fortasse foetum suum diutius neglectu ignoratioineque oppressum ipse abdicaturus erat, nunc eum celebrari, seque ipsum divinis laudibus ferri videns, laudem laude cumulare, novosque natos procreare instituit: foetui duas submittit sorores Criticas, *Rationis Practicae*, et *Facultatis Judicandi*, tum alios et alios novos natos: qui omnes, ut novae et inauditae sapientiae pleni et coelitus delapsi, à bacchantibus suscepti, et in eumdem divinitatis chorum aggregati sunt. Sic per decennium haec sola viguit veritas, in scholis, libris, ephemeridibus decantata, et Criticae Philosophiae nomine celebrata. Atque, prout in civili conversione fieri solet, ut ejus patroni non sint unius generis, sed bonis civibus communem salutem spectantibus admis-

misceant se mali cives, proprium commodum quaerentes, inquieti et audaces, quibus tranquillo rerum statu in humilitate latendum fuisset, jam turbatis rebus emergentes, populo se ductores, id est demagogos, ferentes, per conciliabula, sodalitia, coitiones, stationes, stabula, cauponas, tabernas, plebis studia praedicantes: sic in hac scholastica conversione exstiterunt demagogi, nullo aut mediocri ingenio, per obscuritatem antea ignorati, et infra omnes mortuos amandati, hanc inclarescendi occasionem arripientes, pervulgatas novae doctrinae formulas brevi tempore discentes et memoriae tradentes, easdem mox in conventiculis, circulis, stabulis, cauponis, thermopoliis, imperito et miranti vulgo, tamquam agyrtae medici collyrium lippitudinis, panaceam caecutientis ingenii ostentantes et venditantes. Jam novitii ac tirones fere Kantiana castra sequebantur, et veteranos item facere hortabantur. Hi respondere: „*Immo vos nostra sequamini castra, ut con-* „*firmata veteris disciplinae spectatâ bonitate et* „*veritate.*" Illi: „*Atqui nos veram caussam* „*tuemur, Criticam scilicet Philosophiam.*" Hi: „*Vos autem, quandoquidem ipsi Criticae nomen* „*profitemini, ejus etiam officium agatis, et an-* „*teaquam illam judicatricem Philosophiam am-* „*plectamini, judicate de ipsa primum utrum ve-* „*ra sit, nec ne.*" Tum illi: „*Jam Kantius* „*pro nobis judicavit: non opus est, ut tantum* „*laborem suscipiamus, et rem actam agamus:*

„aut,

„ *aut, si forte, satis est nobis ejus judicium co-*
„ *gnoscere et subscribere.*" Veterani: „ *En! ut*
„ *parum vobis ipsi constetis, Criticam à Critica*
„ *tollatis, et Philosophiam à ratione ad creduli-*
„ *tatem redigatis.*" Illi: „ *Erga Kantium quidem*
„ *sic jus fasque est: qui unus omnem Rationem,*
„ *idque critice, complexus est: cujus doctrina,*
„ *tamquam Palladium, coelitus delapsa ad nos*
„ *venit: nobisque veram viam ad veritatem osten-*
„ *dit.*" Ad haec veterani: „ *Enimvero illa via*
„ *valde est difficilis et impedita.*" Novitii: „ *Si*
„ *plana et facilis esset, non duceret ad interio-*
„ *rem veritatem.*" Hi: „ *Et vero illa doctrina*
„ *mire est obscura.*" Tum illi: „ *Nisi obscura*
„ *esset, non esset divina: ipsa obscuritas est pars*
„ *et documentum divinitatis ejus: et oracula sunt*
„ *obscura.*" Ita veterani commiserati novitios, animi morbum agnoscentes, eos unico medico, tempori, relinquunt.

V.

PH. Haud abs re narrasti: et mihi sane et Critobulo, invicem subinde rem reputantibus, simi-ter visum est: sed tu nondum, id quod maxime exspectabam, retulisti quid in illa Critica Purae Rationis improbaveris.

W. Longi sermonis, Philalethes, initium moves, qui materiam habeat libri ipsam illam Criticam numero paginarum superaturi; si quidem il-

lam

lam ita legi, ut omnes locos, quos improbarem, signo ad marginem posito notaverim: et paucae sint paginae, in quibus hoc signum non aliquoties exstet. Itaque fervente postea hujus Philosophiae studio in Germania, eique illustrandae compluribus editis libris; horum praecipuos mihi prospexi: et fere quod scire cupiebam, non inveni: quod non cupiebam, inveni. Inerat in omnibus praedicatio laudum Kantii, mihi minime ignotarum, declamatoria prope ex ipsius verbis accepta et repetita: erat in melioribus quidem paucis doctrinae breviarium; quod, minime ingratum, non tamen novum, mihi accideret; quippe jam ipsius lectione libri praeceptum: non erat explicatio locorum à me notatorum, quorum et ego explicationem mihi dari cupiebam, et illi scriptores nullam rationem habuerant; sive quod ipsi eos non intelligerent, sive quod intellectos improbarent et omittendos judicarent.

PH. Ergo tu quoque non de singulis illis locis, quod infinitum est, sed de universa doctrina summatim, quod paucis fieri potest, quid sentias refer.

W. Ego vero me tandem certamine missum putabam, nam et me dudum hujus laboris taedet; quem alind in tempus rejici malim: et Vos hodie mera vi mecum agitis. Sed quando contra necessitatem, ut in proverbio est, ne Dii quidem valent, age faciamus, quod jubetis.

VI.

VI.

ᾱ. Sic igitur pronunciant: „ Duplex adhuc „ Metaphysicae ac diversum fuit institutum: al- „ terum *Dogmaticorum*, decreta statuentium, se- „ ctasque condentium invicem evertentes: alterum „ *Scepticorum*, universas et singulas Dogmaticas „ sectas evertentium: hanc tandem contentionem „ sedavit Kantius, adferens *Criticam*, id est, eam „ rationem, quae et animi facultates et rerum co- „ gnoscendarum materiam, suis finibus circum- „ scribit; ut appareat quousque et haec pateat, „ et humana facultas pervenire possit." Hanc nos professionem improbamus. Nam primum, philosophantium illa divisio nec Historiae fidei, nec Logicae legibus, congruit; quippe *Dogmaticis* decreta statuentibus, et verum cognosci posse affirmantibus, opponendi sunt ii, qui hoc negant, ut *Academici* ab Arcesila et Carneade profecti, et similes: horum in medio sunt *Sceptici*, qui σκέπτονται, *considerant*, *quaerunt*, nescire, needum se invenisse fatentur. Ita Sextus Empiricus, Pyrrhonic. initio. Kantius autem aliis in rebus est *Dogmaticus*, in aliis *Negans*, in quibusdam *Scepticus*. Deinde fines facultatum animi et materiae cognoscendae designare et inter se comparare, propositum fuit, ut multis ante Socratem philosophis, sic ipsi, et qui post eum fuerunt tantum non omnibus, ab Leibnitzium, Lockium, et novissimos usque; quod qui nescit, hospes plane et ru-

rudis in Historia Philosophiae sit. Hanc autem finium designationem se perfecisse, et Criticam dixit primus Kantius, solita sibi verborum licentia: quum potius, à re ipsa, *finientem*, *decernentem*, *aestimatoriam*, *circumscribentem* dicere deberet. Sed nimirum *Criticae* cognomen magis ad opinionem vulgi valebat, et tunc in primis vigebat saeculi more; ut nil magis commendaret librum quam hoc nomen in titulo positum. Veluti antea celebrabantur nomina *philosophicus* et *pragmaticus*: neque liber placere poterat sine alterutro aut utroque; jam omnes *Historiae* exibant *philosophicae* et *pragmaticae*: compendia adeo, artium praecepta, *rhetoricae*, *grammaticae*, *coquinariae*, erant *philosophica* et *pragmatica*: sic tunc in istum honorem successerat nomen *Criticus*, quod libro ad vulgi studia januam aperiret.

$\overline{\beta}$. „ Sed, ajunt, hanc finium designationem „ superiores frustra tentaverant, perfecit demum „ Kantius: hic ostendit, Metaphysicae materiam „ esse notiones mere intelligibiles, antiquiores „ notionibus sensibilibus ab Experientiâ per sen- „ sus corporis in Animum illatis, ab iisque pu- „ ras ac genere ipso diversas: has in Animo ab- „ ditas, per Experientiam demum evolvi: conti- „ neri autem eas duodecim *Categoriis*, ac dua- „ bus intuendi conditionibus *Tempore* et *Spatio*: „ duodecim illas Categorias rationem suam habere „ in quadruplici enunciationum affectione à Lo- „ gicis tradita, *Quantitate*, *Qualitate*, *Relatio-*

„ *ne*,

„ ne, *Modalitate:* his tamquam generibus sub„ jectas esse has formas: Quantitati, *Unitatem*, „ *Multitudinem*, *Omnitudinem:* Qualitati, *Rea*„ *litatem*, *Negationem*, *Limitationem:* Relatio„ ni, *Substantiam* et *Accidens*, *Caussam* et *Effe*„ *ctum*, *Communionem*, id est, *Reciprocationem* „ *inter agens et patiens:* Modalitati, *Possibilita*„ *tem* et *Impossibilitatem*, *Esse* et *Non esse*, *Ne*„ *cessitatem* et *Contingentiam.* Hae sunt, ajunt, „ notiones antiquissimae et principes, quasi *semi*„ *nales conceptus Intellectus puri*, tamquam *for*„ *mae cogitandi;* quibus accedunt formae *Tempo*„ *ris* et *Spatii*, per quas Experientia sensibiles „ notitias, id est, sensuum visa, *intuitiones sen*„ *sibiles* dictas, suscipit et in Categoriarum for„ mas infert: quibus formis visa quaeque *Intelle*„ *ctus* noster accommodat: exinde nova duo no„ tionum intelligibilium genera effingens: *Conce*„ *ptus Reflexionis*, et *Ideas:* caeterum invenien„ do numquam extra terminos Experientiae pro„ grediens, sed intra eos inclusus, notionibus „ corporeis adstrictus: nec valens ad invenienda „ placita ultra hos terminos posita, quamvis gra„ vissima et maximi illa momenti, de *Deo ejus*„ *que virtutibus et providentia*, de *Animi huma*„ *ni Libertate et Immortalitate*, in Metaphysicae „ muneribus necessariis desiderata et celebrata; ad „ haec igitur placita reperiunda ac demonstranda „ caecus et infirmus est Intellectus noster; quip„ pe quibus non in Metaphysica, sed in Practica

„ Philosophia locus est; ubi in principio, ut *in-*
„ *demonstrabilia* postulata ponuntur *Animi huma-*
„ *ni libertas*, ac *Divini numinis virtus et provi-*
„ *dentia;* unde consequi *Animos hominum esse*
„ *immortales*, et ad propositam iis à Deo felicita-
„ tem porro contendere." Haec est, si recte meminì, summa doctrinae, brevissime, quoad ejus fieri potuit, et paucissimis quasi punctis notata: ab auctore autem ipso subtiliter et fuse explicita.

CR. Immo implicite et contorte, multis et acuminibus compacta, et spinis contexta: tu vero pro hac brevitate satis diligenter. Nunc, quid improbes, narra.

γ̄. W. Finium illa designatio accurata ac veluti circulo et centro circumscripta, quod à Graecis dicitur, *κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφομένη*, nondum à quoquam philosopho confecta videtur; Kantius quidem, si sibi constare et consentaneus esse vellet, ne conari quidem eam debebat. Qui enim cognitionem humanam, nec modo sensibilem ejus partem, sed et intelligibilem, à scientia et veritate ad opinionem ac speciem traduxit, seu, ut nunc loquuntur, *ex objectivâ subjectivam fecit*, qui et ipse homo, et ad eamdem naturae conditionem, ad quam caeteri omnes homines, adstrictus sit: quomodo is cum *subjectiva* sua cognitione fines *veros*, quos vocant *objectivos*, cognoscat? Quamvis enim concedamus cognitionem nostram esse opinabilem, *subjectivam*, tamen is, qui fines ejus se nobis designaturum profitetur, *veros*

fi-

fines, eos qui sunt, non qui videntur tantummodo, *objectivos*, non *subjectivos*, praestare debet. Licebat, Dogmaticis hoc profiteri; Pythagorae, Platoni, Eleaticis, Aristoteli, Stoicis, Epicureis, Cartesio, Leibnitzio, Wolfio. Nemo ita praecise et magnifice professus est ante *Kantium:* scilicet, *se tribunal instituisse, quo, secundum ipsius Rationis aeternas et immutabiles leges, ipsius caussa judicaretur, jus vindicaretur, fines constituerentur.* Quae tandem illa est *Ratio?* scilicet, humana, opinabilis, *subjectiva.* Hujus leges igitur sunt *aeternae* et *immutabiles?* Ita quidem de divina Ratione loquuntur alii Philosophi; et fas est ita loqui: non de humana: nedum de hac infra humanae integritatis modum à Kantio redacta.

5. Metaphysicae viam esse à priori, id est eam, quae à primis ad postera tendat, ab intelligibilibus ad sensibilia ducat, à maxime universalibus ad minus universalia, à supremis generibus ad inferiora et particularia, à caussis ad effecta, omnes inde ab ejus incunabulis consensere Philosophi: haec autem *prima* utrum antiquiora sint Experientiâ, jamque ante ejus adventum in Animo lateant, an per eam colligantur et conformentur, de hoc vero dissenserunt: illam sententiam tenuerunt maxime Plato et Leibnitzius, ideis istum principatum tribuentes: hanc Aristoteles, Stoici, Epicurei, Lockius, alii post eum multi, in his ille in Kantianis scholis celebratus Humius, cognitionem

humanam omnem unice à sensibus corporis oriri statuentes. Fuit etiam tertium genus Philosophorum inter utrosque interjectum, notiones illas universales alias antiquiores sensibus, alias à sensibus ortas, censentium. Et quidam angustius, quidam latius Metaphysicae fines aperiebant; ut vel solâ Ontologiâ eam circumscriberent, vel Theologiam, atque adeo Psychologiam et Cosmologiam ei adderent. Omnes autem in eo consentiebant, ut eam scientiâ principiorum elementorumque cognitionis humanae definirent; ut, quemadmodum Philosophia omnium caeterarum scientiarum, sic Metaphysica totius Philosophiae semina ac fundamenta contineret. Atque hac ubertatis auctoritatisque existimatione adhuc florebat, licet pleraeque ejus partes firmitate evidentiaque scientiae carerent. Quam firmitatem Kantius Metaphysicae conciliare studens, et animadvertens se id consequi non posse, si ejus et amplitudinem, et cognitionis veritatem, quam *objectivitatem* vocant, retinere vellet, eam primum ad pauca elementa, deinde ad opinionem, *subjectivitatem* vulgo dictam, revocavit: elementa igitur Experientiâ antiquiora constituit *duodecim Categorias*, ac *duas intuendi conditiones Tempus et Spatium*; quibus elementis, veluti formis, visa sensuum per Experientiam infusa suscipiat et accommodet Intellectus; ut ea percipiat et cogitet non qualia re ipsa sunt, sed qualia in illis formis formata videntur. Iam ut isto de commento recte judicetur, tria

tria sunt spectanda: an esse *possit*, nec sibi ipsum repugnet; an revera *sit:* an illud *efficiat*, cujus caussa excogitatum est.

$\bar{\varepsilon}$. Ac primo quidem, repugnantia quaedam supra jam in $\bar{\gamma}$ à nobis animadversa est. Succedunt aliae repugnantiae. Nam Categoriae illae à Kantio sic informantur, ut proprium Metaphysicae officium, quod in *viâ à priori* positum est, evertant. Dicit enim eas ante sensibilium visorum adventum in Animo esse, nec tamen cogitari, sed per illa demum excitari. Hoc possumus intelligere in Platonis opinione de Reminiscentia notionum ex priore vitâ servatarum: in Leibnitzii Harmonia Praestabilita: in notionibus ac visis memoriâ reconditis: in facultatibus Animo à naturâ tributis, necdum actione vigentibus: in istis Categoriis intelligere non possumus. Aristoteles Animum comparabat tabulae rasae, in qua nihil scriptum esset, sed postea demum illatis in eam sensuum visis notiones quasi inscriberentur. Hoc, nisi cujusmodi sit, saltem ut sibi ipsum non repugnans cogitare possumus. Sed Kantianis Categoriis plane accidit illud Aristophanis de Euripide; de quo aliquis interroganti an domi sit, respondet: ἔνδον καὶ οὐκ ἔνδον, *est domi, et non est domi.* Aristoteli quidem Animus tabula rasa, eaque plana, est: Kantio item tabula rasa, non tamen plana, sed quasi distincta parvulis vel ollis exstantibus, vel receptaculis depressis, tamquam lacunis, aut cellis apum, duodecim Categoriis,

et duabus conditionibus intuitionis Tempore et Spatio. Fingite vobis cogitando talem tabulam distinctam quatuor ordinibus ternarum cellarum, et super hos ordines positas duas cellas Spatii ac Temporis, per quas materia visorum ab Experientiâ extrinsecus recipiatur, et in illas duodecim cellas influat, earumque figuram accipiat. Nisi forte istam tabulam solis verbis non satis diserte ad vestrum sensum designo, et potius lineis ejus imaginem depingi vultis.

PH. Atqui perspicue ostendisti ac probabiliter, mihi quidem, qui dudum istud Categoriarum negotium comparare solebam cum negotio pistricium tabernariarum, quae, quotidie in foris et compitis sedentes, popana coquunt in sartaginibus item distinctis per complures ordines receptaculorum, quorum singulis infundunt massam liquidam cyatho ex cratere haustam. Sic pistricem facio Experientiam, cyatho Spatii ac Temporis ex cratere rerum sensibilium corporeas notitias haurientem, in singula duodecim Categoriarum receptacula infundentem, coquentem, Animoque apponentem.

W. Dilucide tu sane et Socratice, rebus obscuris ex rebus obviis et vita communi lumen adfers; neque crater iste tuus à cratere Platonici Timaei abludit. Illud autem volebam, Kantium per istam Categoriarum inanitatem, ipsum hoc suum à priori natum opus elementarium, hanc, sive Metaphysicam, sive Puram Rationem, funditus tollere. Nam illae profecto formae, illa receptacula

vacua sunt, antea quam Experientia quid in ea infuderit: et nihil habent. Hoc autem nihil *aliquid* esse, liceat Criticis philosophis affirmare; nobis, qui alio ex genere critico sumus, et communi rationi obsequimur, non licet.

5. Deinde, Categoriae istae *neque ortu*, *neque numero sunt id*, *quod debebant esse:* id est, non habent justum ortum; et numerus duodenarius temere iis, ut necessarius, affingitur. Categorias enim volumus esse elementa Purae Rationis, et anticipationes primitus ante Experientiam in Animo humano abditas, et quidem in Animo quovis, rudi adeo ac recens nato: non volumus Logicas, sed Metaphysicas, ut vulgo loquuntur, *reales*, non *nominales*, non Logici quadro ordinatas, sed ante omnem non modo Logicam institutionem, sed Experientiae actionem et rerum externarum ad sensus corporis appulsionem, in Animo impressas. Cui autem bono fuit, aedificium ad aeternas et immutabiles, ut ipse ait, Rationis leges exactum, tam vago Logicae de Enunciationum divisione praecepto superstruere. Et haec tralatitia in Logicis fertur distributio Enunciationum, secundum *Quantitatem*, *Qualitatem*, *Relationem*, *Modalitatem:* Et alia est tripertita, minus deficiens, secundum *proprietatem internam*, *externam*, *usum evidentiamque in disciplinis;* internâ complectente tres notas species, insignitas his nominibus, *Quae*, *Qualis*, *Quanta:* quam distributionem et ego secutus sum in meo libello. Neutra sane congruit accuratae diligentiae et

paritati, quâ species in praedicato positae summam subjecti exaequent, id est quod vulgo dicunt, *subjectum à praedicato exhauriatur.* Est alia accuratior, qua diversae Enunciationum species ducuntur ex diversitate trium Enunciationis partium, Subjecti, Praedicati, Copulae. Sed hoc alias. Nunc fac, quod negamus, illam quadripertitam esse integram et plenam: ejus tamen à Kantio facta ad Categorias accommodatio non unam habet reprehensionem: veluti, quod *Limitatio*, quae est species Quantitatis, et eadem quae *Particularitas*, Qualitati subjicitur: quod eadem *Limitatio* ducitur ex *Enunciatione Infinita*, et haec ipsa non satis accurate ab Enunciatione Negante distinguitur: quod *Relatio* suis finibus non distincte circumscribitur, et ad alias etiam Categorias pertinet: quod *Relationis* et *Modalitatis*, quum sex utriusque Categoriae recenseantur, hae non nisi pro tribus numerantur; scilicet, ut numerus duodenarius extorqueatur: quod, praeter illas à K. positas, aliae sunt in Categoriis censendae notiones principes.

ζ. Nam si naturae auctoritatem sequentes quaerimus, quae sint vel esse possint Animi notiones Experientiâ antiquiores, debemus Animum informare quasi extra corpus degentem, et in nullo adhuc versatum corpore, aut in corpore ita recentem et novum, ut nulla adhuc rerum externarum communione et Experientiâ quidquam notionis traxerit. Cujusmodi Animus qua is sit, cogitare difficile est. Sed tamen, quaestionis caussa, fingamus talem

lem nobis Animum viventem et vigentem spectandum observandumque dari. Prima certe omnium cogitatio vigeat oportet *conscientia sui*, penitus à se ipsâ existens, non profecta distinguendo se ab aliis extra se rebus; quippe quas Animus nondum novit. Haec igitur *conscientia*, hoc *Ego*, habet in se involutum sensum notitiarum complurium confusum quidem, sed qui animadvertendo et tractando clarescat, et ad distinctam cogitationem pergat in his protenus sensum *Durationis suae*, *Successionis*, *Temporis*, *Libertatis:* succedit cogitatio τοῦ *Esse*, vel *Non esse*, alia quale *ipsum* sit, aut *diversa:* haec alia aut revera *existere*, aut tantummodo esse *posse: id, quod sit, esse: quod non sit, non esse: nec posse simul quid esse et non esse:* hinc, *Aliquid* et *Nihil: Ens* et *Non Ens: Verum*, *Falsum: Totum*, *Pars:* Principium Repugnantiae, et Exclusi Medii, *inter esse et non esse nil esse medium:* porro *Necessarium* et *Contingens:* ut quid fiat, requiri ut sit *possibile*, nec tamen hoc satis esse, sed aliud quid debere accedere, scilicet *caussam:* Principium hoc, *sine caussa nil fieri:* quod jam in iis omnibus, quas diximus, notionibus suberat: Inde *mutari*, *agere*, *pati*, eorumque contraria: *Caussa* vel propior, vel remotior, et prima, *Deus*. Ipsum *Ego* protenus infixam notionem habet *Substantiae*, à quâ distinguit *Accidentia* sua, *cogitare*, *durare*, caet. *Genus* comparandis similibus venit, cujus *Proprietates* sunt necessariae, *Modi* et *Rela*-

siones contingentes. Accidentis suprema distributio in *Quantitatem* et *Qualitatem:* illa praecepta ex longiore aut breviore duratione sui, ex majore aut minore numero cogitationum: haec posterior, Accidentibus, praeter Quantitatem, omnibus, uno genere comprehendendis. Indidem ex Quantitate, *Materia: Finitum*, *Infinitum: Perfectum*, *Imperfectum:* ex Qualitate, *Forma*, *Ordo* et *Temeritas*, s. *Confusio*, *Bonum* et *Malum*, *Suave* et *Insuave*, *Pulcrum* et *Turpe.* Hae sunt notiones praecipuae Ontologicae, id est Purae Rationis. Nam de notionibus Moralibus, ortis ex altera Animi parte, Voluntate, quam illi Practicam Rationem vocant, dicere non attinet. Et Adhuc Animum spectavimus purum à rerum extra se communione. Jam è solitudine in societatem et consuetudinem rerum externarum inducatur: cujus nobis una conditio cognita est, haec vita et habitatio in corpore animali. Nova jam animo aperitur scena: priores notiones vitae solitariae locupletantur et confirmantur: accedunt novae, *Corporum*, *Extensionis*, *Soliditatis*, *Spatii*, *Motus:* quibuscum priores, et suam ipse et Divinam naturam comparans, suae cum hac similitudinem et conjunctionem, à terrenâ autem et corporeâ materiâ diversitatem ac disjunctionem, agnoscens, futuram immortalitatem certâ spe praecipit, et ad omnem virtutem capessendam excitatur: qui Ethicae fons est. Et omnino veterum intelligibilium et novarum sensibilium no-

notionum temperamento et quasi mutuo tritu, tota cognoscendi facultas excolitur, modificatur, et ad novarum rerum inventionem instruitur. Nos autem hanc viam à prioribus philosophis ostensam et accuratius ordinatam, nunc brevissime ac summatim retulimus. Haec est ἐννοιογονία naturae, *notionum generatio naturalis.*

PH. Et res mihi placet et nomen. Sed rem tu deinceps cum Kantii Categoriis comparabis. Ad nomen autem hoc in mentem mihi venit Kantiani nominis *neogoniae*, quo eamdem rem notarunt, quamvis ab ea alieno, nec *notionum*, sed *mentis* generationem significante. Et quod ipse dixit Germanicis literis *noumena* id est νοούμενα, *intelligibilia*, inde νούμενα fecerunt quidam ejus cultores; ut eos νουμηνία, *novilunium*, voluisse putes; et mali sit ominis, à *cogitandi* verbo aberrasse. Ipse Dialecticam antiquo cognomine καθαρτικὸν, i. e. *remedium purgans*, dictam, *catharcticon* dicens, *arctum*, ut sibi domicilio conjunctam, et magis cognitam, cogitasse videtur. Categoriae autem nomen ab Aristotele sumens, mirifice eum reprehendit, quod perperam decem illas Categorias statuisset, et his postea quinque alias adjecisset; temere ipse *Categorias* et *Categorumena*, scienter ab Aristotele distinctas, commiscet. Omnino, ultra quam Philosophum decet, Literae ei defuerunt; ut in Historia Philosophiae vix supra Spinozae et Cartesii aetatem progressus videatur. Qui si priores et antiquos

co-

cognitos ac pertractatos habuisset, à multis sibi erroribus cavisset.

CR. Fortasse: nisi eum novae sectae condendae gloria decepisset.

Ŋ. W. In hac igitur ennoëogonia priorum, quamvis brevissime adumbratâ, notiones apparent in Categoriis censendae, et à Criticae Philosophiae auctore omissae: veluti *Conscientia sui: Principium Repugnantiae: Aliquid* et *Nihil: Verum* et *Falsum: Bonum* et *Malum: Pulcrum* et *Turpe: Perfectum* et *Imperfectum: Ordo* et *Confusio*, (τάξις καὶ ἀταξία): quae profecto et theoreticae et maxime universales sunt; nec facile illis duodecim tamquam partes subordinari possunt. In eadem Philosophia Critica ex illis duobus omnis cogitationis fundamentis, et omni naturae cogitanti praecentibus quasi luminibus, *Principiis*, *Repugnantiae* et *Caussae*, ut illud omittitur, sic hoc Categoriae Relationis subjicitur, ex illustri loco in angulum abjicitur, et omnino quasi ludibrio habetur. Nam datur ei in Categoriis necessitas et auctoritas universalis: eadem ei in Experientia adimitur, nec relinquitur nisi probabilitas ex multitudine et iteratione exemplorum nata. Utrumque temere. Et quum Metaphysicam non ultra fines Experientiae pertinere vult, in primis hujus Principii vim labefactat. Negat enim illud nos adducere ad cognitionem Caussae primae omnium rerum, id est, *Dei:* negat illud locum habere in Libertate humanae voluntatis. Itaque simillimum fa-

facit Epicuro, qui sine caussa declinationem atomorum induxit; scilicet, ut et Mundi ortus Deo effectore liberaretur, et Libertas necessitate caussae solveretur: cujus opinionis vanitatem dudum explosam refutare non opus est. In illa autem Vetustiorum ennoëogonià *Principium Caussae* habet necessitatem et auctoritatem universalem, certa ratione analytica, *à priore* notione Possibilitatis ductam; quod à posse ad esse perveniri nequit, nisi aliquid antea accedat, quod *aliquid* est caussa: et in Experientia colligitur duplici observatione: non tantum per multitudinem et iterationem exemplorum: sed etiam per cognitionem nexûs antecedentium et consequentium, id est, caussarum et effectorum: veluti remedii salubritas cognita et ex multis sanationum exemplis, et ex interiore ejus natura, et ad morbi genus ratione et efficientià, ad eum verisimilitudinis gradum confirmatur, qui prope ad summam evidentiam accedat. Quam rationem significavimus in Logicis, III, 7, 8.

6. Et quod ubique inculcat, et modo memoravi, *Puram Rationem non ultra fines Experientiae, nec ad res, quae sensibus corporis attingi nequeant, progredi posse; et proinde gravissimorum dogmatum, Divinae Naturae ac Providentiae, Libertatis et Immortalitatis Animorum humanorum, probationem non Purae Rationis, id est Metaphysicae, sed Practicae Rationis esse argumentum:* pluribus partibus à vero aberrare videtur. Primum: non consentaneus sibi est in eo, quod

quod, quum Categorias à priori, intelligibiles et antiquiores esse Experientiâ statuit, ab his nullum progressum ad nova intelligibilia concedit. Nam ipsi illi Philosophi, qui nil ante sensuum impulsionem in Animo esse volunt, veluti Aristoteles, Stoici, Lockius, et plerique, hi tamen aditum ad illas notiones, Dei, Immortalitatis, Libertatis, relinquunt, earumque demonstrationes tuentur. Et recte quidem. Nam hoc est Rationis humanae, à rebus cognitis ad res incognitas pervenire: ut in omni fit disciplina, arte, et vita communi. Quid igitur impedit, quominus à *Principio Caussae* ad cogitationem cognitionemque Primae Caussae effectricis Mundi hujus perveniamus, eamque Caussam effectricem potentiâ et intelligentiâ parem et idoneam huic tanto operi conficiendo judicemus? Non modo nil impedit; sed cogit etiam Ratio, sana quidem; frustra vetante Kantiana Ratione. Idem valet de Immortalitate, et Libertate. Deinde, quod supra diximus, qui Metaphysicam spoliat facultate perveniendi ad res ultra fines captumque Experientiae positas, is ipsam tollit Metaphysicam, et frustra quovis versu suum illud *à priori* ac *transscendentale* jactat. Tum, quod illa tria placita, Dei, Immortalitatis, Libertatis, ex Metaphysica ad Ethicam, ex Theoretica Ratione ad Practicam relegat; non modo haec ipsa placita labefactat, ex lucido firmoque intelligentiae fastigio in lubricam et confusam interni sensus latebram rejiciens: sed ἀφιλοσόφως agit,

agit, et ipsum primum Philosophiae officium negligit. Hoc enim jubet quaerere de rebus non solum *an* et *quae*, sed etiam *quare*, sint: jubet caussas rerum indagare, quousque fieri potest: vetat subsistere in illo *ὅτι*, *quod* sint, quando aditus ad earum *διότι*, *quare sint*, adhuc patet. Nam illa profecto via Criticae Philosophiae „ Habeo „ in me Imperativum Categoricum jubentem re„ cte agere: hic non est nisi a Deo; ergo vo„ luntas mea est libera, et Deus rationem habet „ bene et secus factorum, remunerando et pu„ niendo: quod quando in hac vita non fit, in „ futura fiet; et Animi sunt immortales" sic enim fere interpretantur illam formulam supra p̄ memoratam: illa igitur via certe praepostera judicanda est; primum, quod Theoretica dogmata ex Practico ducuntur, contra naturam Philosophiae, cujus est Practica ex Theoreticis ducere, et ab horum uno simplicique fonte omnem reliquarum rerum cognitionem repetere, nec principia multiplicare: deinde, quod illa tria Theoretica dogmata longe dilucidiora et minus incerta sunt, quam ille Sensus Moralis dubius et controversus, et antiquitus et patrum memoria diversis disputationibus agitatus, necdum dijudicatus, nunc à Kantio, ut indubitatus, nullis novis argumentis, sed novo habitu imperatorio, inaudito nomine Imperativi Categorici, in scenam revocatus ac productus. Nonne hoc est *Deum ex machina inducere*, et cum Deo Libertatem atque Immortalitatem?

Et

Et quod Epicurus reprehendebatur, Deum verbis reliquisse, re sustulisse; quod nullam ei in condendo mundo partem concedens, ejus notionem tamen animis hominum à naturâ inditam et impressam ajebat: nonne simile in tribus illis placitis Kantius fecit? Quid est aliud, judicium viritatis à ratione ad sensum irrationalem et mysticam temeritatem transferre, si hoc non est? Pueris et plebi istae species ostententur: sapientiae studiosi argumentis et rationibus doceantur. Quando autem illis placitis *antinomiae* litem intendit, et illud agit, ut ostendat eorum demonstrationes adhuc à philosophis inventas et usurpatas nil efficere, in utramque partem valere, nec magis demonstrari posse illa vera quam falsa esse: hoc igitur cum agit, nihil agit. Partim enim demonstrationes illas philosophorum non satis plene et accurate retulit: omnino autem non cogitasse, certe non curasse videtur, eamdem machinam contra se ipsum converti posse; eamdem esse caussam omnium theorematum, exceptis mathematicis, quamvis recte exacteque demonstratorum, ut in contrarium converti possint, et in utramque partem de iis disputare liceat: et in hanc antinomiae caussam magis etiam plurima sui ipsius decreta incidere, quo plura ipse sine demonstratione postulans dictansque posuit.

7. Sed singillatim principia videamus. Quum omnes ab omni aevo tenuerint philosophi, *res sensibiles ad Tempus et Spatium esse adstrictas*; hi

hi novi Critici hoc ita jactarunt, quasi soli scirent et reperissent: et sane aliquid adjecerunt: hanc scilicet conclusionem: *Ergo res non sensibiles non ad Tempus et Spatium adstrictae sunt.* Quod aeque eleganter conclusum est atque illud: *Omnes canes habent quatuor pedes; Ergo, qui non sunt canes, non habent quatuor pedes.* Scilicet non adtenderunt ad magnitudinem subjecti et praedicati, eorumque proportionem. Sed hujusmodi paralogismi apud novos istos Criticos non sunt infrequentes. Quanto melius erat simplicem Veterum rationem sequi: duplici via ad hoc theorema pergentem, Ontologica et Psychologica. Illa hujusmodi est: Res (τὰ ὄντα) sunt vel mere possibiles, vel existentes: existentes sunt vel corporales vel incorporales: corporales nobis innotescunt per sensus corporis, ut ad Spatium ac Tempus adstrictae: incorporales quoque esse ratio progressu intelligit, item eas ad Tempus adstrictas; si quidem esse pergunt ac durant: ad Spatium, nec ne, neutrum intelligit. Psychologica haec est. Notiones sunt rerum vel sensibilium, vel intelligibilium: illae cum notione Temporis ac Spatii conjunctae sunt: hae an item, non liquet ex hac distributione; ergo pergendum: res intelligibiles sunt vel singulares et concretae, vel universales et abstractae: hae extra Tempus et Spatium sunt: illas esse, ratio progressu intelligit, item eas ad Tempus adstrictas esse, si quidem esse pergunt ac durant: ad Spatium, caussa

 nul-

nulla, quae impediat, apparet; immo suadere videtur analogia Temporis et aliarum rerum existentium: at participes esse utriusque non omnino ut res sensibiles, sed suo sibi modo et ratione. Veluti in hoc exemplo: non omnia quadrupedia eodem modo quatuor pedes habent, quo canes: sed alia genera aliter, et quodque genus suo sibi modo. Sic in intelligibilibus his, naturas cogitantes vel inferiores, vel superiores, vel supremam, Deum, caussam omnium rerum, Spatii Temporisque participes esse par est convenienter suae quasque naturae: ac Dei quidem Tempus censendum esse non mutatione rerum et successione momentorum, sed constanti et immutabili duratione, singulis partibus totam aeternitatem explente: Spatium autem vel infinita praesentia, vel alia quadam Deo digna ratione. Quae omnia, etsi qualia sint ignoramus, tamen necesse esse, ut aliquo modo sint, intelligimus. Quo de argumento egregie disserunt Plotinus VI, 8, 16, Plutarchus De El Delphico p. 392, 393: et alii, quos ibi laudavimus. Jam ipsa Categoria Spatii quam mire conformata est! —

VII.

CR. Hem tu! totumne spinarum effundere saccum paras?

W. Ego vero putabam me flores spargere, et gratum vobis facere: sin contra accidit, vos in

culpa estis, qui in hoc me argumentum compulistis. Et multo plura habebam. Nam quae ante hos tres et viginti annos notaveram, nec postea inspexeram, nuper mihi in hoc rus ejecto, ac turbatas meas chartas lustranti, forte in manus inciderunt; meque ad legendum, et quaestionem memoria recolendam, adverterunt. Unde illos vobis flores inspersi.

PH. Quod nunc sparsisti, satis est unde mihi confirmetur id, quod aliquando, lecta illa Purae Rationis Critica, judicavi, melius esse retinere veterem nostram, sive impuram sive mixtam quis vocet, Metaphysicam, et fecundam illam rerum ubertate, et ratione summopere probabilem, quam novam illam adoptare pro criticâ et purâ se venditantem, non valentem ad veteres possessiones tuendas, nedum ad novas acquirendas, veluti vidimus de Deo, Immortalitate, Libertate: et alias desideramus: v. c. de rerum extra nos vera substantia, de Animi et Corporis nexu, de imperio in se ipsum, de eodem confirmando adversus perturbationes et calamitates, de aliis quaestionibus ex Metaphysica proficiscentibus. Haec erat illa professio, *nullum esse problema Metaphysicum, quin ei solvendo copiam fecisset Critica Purae Rationis!* scilicet gravissimas quaestiones extra fines Experientiae relegare, et ex Metaphysica circumscribere! Unde factum est, ut nemo adhuc in hac secta Metaphysicam probabiliter compendio vel systemate conscripsisse dicatur; quippe quae

omnia delet ac diruit, nec aedificandi materiam relinquit.

CR. Et mihi satis est: qui et ipse aliquando istum legens librum, quum argumentum de Spatio cognovissem, eum abjeci; quod mihi appareret *pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta*, nec reliqua disputatio, ut à falsis initiis profecta, vera esse posset. Idque multo etiam magis nunc judicavi, explicita ista Categoriarum vanitate. Quare, age, relinquamus tandem istos Cimmerios lacus, ac dias luminis auras repetamus.

LYND. Mihi quidem, quamvis hujus scientiae experti, si pace vestra dicere licet quid sentiam, sic videtur. In Metaphysica constituenda, ut in aliis disciplinis, non id spectandum esse, ut fecunda, sed ut vera sit: et, si nulla omnino sit, nec esse possit, ut hoc ipsum, nullam esse nec esse posse, nobis perspectum exploratumque fiat. Deinde Kantium tanti, ut fertur, ingenii virum, nihilne utilitatis attulisse dicamus?

W. Et modeste et prudenter mones, Lyndene. Ego à vobis rogatus atque adeo coactus dicere quid in Critica Purae Rationis improbassem, horum quaedam enumeravi. Sunt vero etiam quae probem: nimirum singularum quarumdam partium expolitionem, et acutas nonnullas animadversiones. At universam doctrinam, principia et exitum, probare me non posse fateor. Omnino, ut ais, nil nisi verum quaerimus: sed hoc ipsum ab aliis nobis oblatum, an verum sit, nostro ipsi judicio, non aliena aucto-

ctoritate, probare debemus. Et quod quaeris de utilitate, duas certe attulit. Alteram, quod alios, quae ipsi deessent, requirentes, ad quaerendum excitavit. Alteram, quod confirmari vidimus veterem querelam, *homines semper esse pueros*, nec priorum exemplis discere sibi cavere. Nam quum inde à nata Philosophia, per bis mille et quadringentos annos, quaevis fere generatio novam sectam tulerit, quae verum antea frustra quaesitum invenisse putaretur; tamen proxima quaevis generatio, quasi oblita errorem prioris generationis, sua sibi vice eumdem errorem rursus erravit. Ergo vir quidam quem nostis, aliorum judicio valde doctus, et meo non indoctus, me serio monuit ne porro fidem Platoni, Aristoteli, aliisque philosophis haberem; Kantium enim jam veritatem tandem invenisse et patefecisse. Itaque, inquam, hunc legisti. Non legi, inquit: sed adeo multi sic de Kantio affirmant, ut dubitari nequeat. Te, mi Lyndene, qui *esse* et *videri* distinguere nosti, popularis clamor non auferet, nec à judicii via dejiciet. Sic nos etiam, qui docti dicimur, similes reperimur pueris et puellis, novissimam quamque vestis et ornatus speciem pulcherrimam, priorem autem inficetam judicantibus. Adeo nec ad Philosophiae, nec ad stultitiae, finem pervenimus. Sed, ut ad rem redeam, quid mihi porro acciderit, audiatis. Horum igitur in Kantii doctrina et admissorum animadversio, et omissorum desideratio, effecit, ut hanc Purae Rationis Cri-

ticam repudiarem. Cujus me repudiationis eo minus poenituit, quod postea cognovi item facere et fecisse veteranos, et in his complures doctos et intelligentes viros in Metaphysicae scientia dudum laudem adeptos, Eberhardum, Mendelsohnum, Platnerum, Garvium, Herderum, Federum, Meinersium, Tiedemannum, Schwabium, Nicolaium, Wielandum, Reinhardum, Falckium, Henningium, Weishauptium, Stattlerum: quorum εἷς ἐμοὶ μυρίοι, unus mihi potior est decem millibus novitiis imperitia sua captis, novitati applaudentibus. Et nostratium paucissimi novae sectae studebant, et hi novitii, nulla antea Philosophiae cognitione subacti. Ex quibus unus aut alter familiaris me hortabatur, ut ipse quoque Criticae hujus beneficio uterer, meque Kantianum facerem: cui fere respondebam: „ Ego et in Literis et in
„ Philosophia, meam mihi dudum Criticam et ha-
„ beo et servo: legi Kantianum librum, nec pro-
„ bare potui, quae quidem intellexi." Illi me docere velle: ego sermonem in aliud convertere argumentum, de quo inter nos conveniret. Sic me ignorantiae et tarditatis obtentu à molesta eorum sedulitate liberabam. Quamquam ne novitii quidem omnes ingenii studiique laude carent. Lapsi sunt, saeculi illecebris et clari viri nominisque admiratione judicium praecurrente et occupante. Cui viro quod novitatis et admirabilitatis captatio adfuit, Literarum scientia et Philosophiae Historia defuit, nil ei obfuit apud novos, ignaros, nec

anim-

animadvertentes: et condonandum caeteris ejus ingenii dotibus: cogitandumque illud, *non omnia possumus omnes.* Et fuit sane caeterum Kantius excellens universae scientiâ Philosophiae: exercitatus Metaphysicarum tractatione rationum, singularis acumine: oratione argutus, nec sine sale. Neque tamen ideo ejus doctrinam probamus. Et ipse à magnis viris, Platone, Leibnitzio, Aristotele, Lockio, aliisque dissensit. Et nobis liceat à Kantio dissentire. *Amicus Plato, sed magis amica veritas.* — Jam vero, me tandem dimittite. *Dixi!*

VIII.

CR. Istud vero *Dixi* nil tibi proderit, quo magis te sermone defunctum putes: neque nos hanc formulam accipimus: quin te adhuc debiti reum tenemus, qui nondum declaraveris quod quaerebamus, quare tuum ipse Metaphysicum libellum non edideris; siquidem nova doctrina nil ejusmodi tibi attulit, quo tuus tibi foetus aut reformandus, aut abdicandus, videretur.

W. Id quidem sponte intelligere poteratis ex eo, quod dixi, me in Literarum cathedram traductum, in primis etiam hunc commutationis fructum cepisse, quod me libelli illius edendi necessitate solutum viderem. Quod multo etiam magis postea sic judicavi; quum tota Germania tumultu Kantiano agitaretur, et pauci veterani, adversus innumerabilem novitiorum multitudinem, pristinam possessionem

aegre tuerentur. Quid enim mihi tot partibus à Kantiana ratione dissentienti, hunc libellum edenti accidisset, nisi ut in mediam belli scholastici flammam inciderem? Ergo cautus mihi ipse prospexi, domi mansi: sic

Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς ἔκ τε κονίης,
Ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ.

LYND. Neque tamen satis tutus à Kantianis telis mansisti.

W. Quibusnam illis?

LYND. Illis, inquam, quibus Belgicus scriptor Critici Horrei te petiit, eorum nomine, quae in Vita Ruhnkenii de Philosophia Kantiana posuisti.

W. Nunc memini, abs te admonitus: et recte dicis *petiit*; non enim feriit nec attigit: neque tunc animadverti, nec postea cogitavi.

CR. Nec mirum; quippe ab invalido jaculatore missa tela usque ad te pervenire non potuerunt. An vero aliquid simultatis tibi cum homine fuit, qui te peteret.

W. Nil quidquam, quod quidem sciam.

LYND. Novistine eum et vidisti?

W. Cognovi et vidi adolescens adolescentulum, primo Amstelodamensi tempore meas scholas audientem, Metaphysicas et Graecas: quarum illas privatim domi meae, has gratis in Remonstrantium Collegio habebam.

LYND. Itane discipulus tuus fuit?

W.

W. Fuit auditor: discipulum dicere non audeo.

LYND. Quid ita?

W. Quia discipuli sunt, qui discunt: ille autem an quid didicerit, nescio.

PH. Attamen haec, quaecumque fuit, disciplinae necessitudo satis valere debebat, ut ne publice te reprehenderet.

CR. Kantianum videtur, gratuitam benevolentiam professum, ingratam malevolentiam exercere.

LYND. An vero alius quis Kantianus illa de caussa te reprehendit?

W. Nemo prorsus, quod noverim.

LYND. Quid ipse Kantius, cui tu, ut veteri Ruhnkenii condiscipulo et civi, Vitae illius exemplum misisti?

W. Ipse per senectutem ad scribendum infirmus, rescripsit per amicum suum Rinckium, eruditissimum virum, perhumaniter adeo: et alios quidem libri locos memoravit, illos ab Horreario postea reprehensos, ne hilum quidem.

CR. En fanaticum Horrearii ingenium! qui à Kantio ignoratus, nedum rogatus, sua sponte defensorem se illi, inquisitorem nobis, obtrudat.

LYND. De illo autem Horrei scriptore, relictis tuis scholis, deinceps quid factum est? Nam nunc quidem eum Amstelodami degere, Professoremque salutari, audio, adeptum tuam quondam in Remonstrantium Collegio veterem cathedram.

W. Nescio: noverit Philalethes, qui unus in paucis nostratium plurimos homines novit.

PH. Hunc quidem non nimis. Illud duntaxat: eum Leidae Theologiam didicisse: deinde ruri concionale sacerdotium factitasse, et adversus Bonnetium, clarissimum Theologum, pro libertate cogitandi sic scripsisse, quasi pro aris et focis decertaret; per quam litem primo ejus nomen cognosci mihique innotescere coepit.

CR. En consentaneum sibi hominem! qui in Theologia libertatem cogitandi tueatur, in Philosophia migret, ac dissentientes vexet. Sed narra, quaeso, Philalethes, reliquas res ejus, quas nosti.

PH. Paucae sunt. Nam, abdicato sacerdotio, Amstelodamum venit, ibique senem nostrum Meerschium obsequio demulcens, hujus commendatione illam cathedram obtinuit. Ex qua eum duas orationes Latinas habentem audire me memini: alteram auspicando muneri, alteram funebrem in obitum Meerschii: cum quidem in utraque inconditum quid et subagreste clamaret, quasi ad surdos rusticos dicens. Orationum Latinitate à scriptore cujusdam Ephemeridis Belgicae reprehensâ, ab hoc gradu dejectus, se ad Belgice scribendum recepit. Paucis post annis, abdicata cathedra, in Westphaliam habitatum abiit. Mox inde redux, Kantiano afflatu instinctus, doctrinam in Germania tunc jam labentem, sed sibi nostratibusque novam, quasi post festum venditare ac divulgare coepit: Criticum Horreum instituit, inde veluti è superiore

re loco, fanatici instar vatis vociferans: „ *magnus* „ *exstitit Kantius propheta, et ego hujus inter* „ *Batavos exorior hypopheta: lucem ille accendit* „ *in tenebris; surgite tandem, o cives, ex igno-* „ *rantiae veterno, et tantam ad lucem mentes* „ *convertite vestras.*" Quo clamore quum peritis risum, imperitis admirationem excitasset, pergebat vaticinari, privatim in circulis, publice ex Horreo, obtestans et incusans voluntariam caecitatem hominum, qui non omnes Kantianum lumen suspicerent et colerent: scriptorem quemque, qui de hoc lumine non satis honorifice ac reverenter locutus videretur, producens et reprehendens: ex quorum numero, tu quoque nominatim fuisti, W: et, ut tantum nostrates nominem, Wynperssii, Muntinghius, Ypejus, Calkoenius, Nieuhoffius, Feithius, Alphenus, clari suo quisque in genere viri. Porro, inique ferens suam virtutem non satis agnosci, neque se novae luci spargendae in Batavas Academias acciri, eas Nyctopolin et Scotopolin appellitare: indignari eas non ita beatas esse, ut à se tam pulcro et lucido Sole illustrentur. Interea pauci eum homines sequi et probare: legentium numerus minui: plerique continuo clamore, et ejusdem materiae formaeque perpetua iteratione, satiati, et cramben toties recoctam fastidientes, alia studia requirere: Criticum Horreum extabescere: Kantii cultus evanescere: diutius quidem ille duraturus, si claros auctoritate, et Metaphysica docenda spectatos viros, veluti Wynperssios, Hen-

Hennertium, Rossynium, Swindenum, Nieuhoffium, similesque potius patronos, quam Horrearium praeconem nactus fuisset. Haec habui quae recordarer, Lijndene: plura si requiris, Wyttenbachium urge.

IX.

W. Quasi vero tu non ita me hodie urgeas, ut nullum Lyndeno urgendi locum relinquas. Equidem vobis affirmo, me isto de negotio nil dignum vestra cognitione praeterea scire.

PH. Age, age, nisi dignum, modo aliquid, vel indignum. Certe de Orationibus illis cupio scire quid judices; quippe quas te cognovisse satis memini. Scin' tibi hodie non esse recusandi facultatem, teque nostrum esse, nisi *κτήσει*, tamen *χρήσει*.

W. Haec vero non *χρῆσις* est, sed *ἀπόχρησις*· qui patientia mea prorsus abutamini. Nam quod modo de crambe dixisti, nonne putas mihi quoque ea iteranda nauseam fieri.

PH. Esto: hodie totum hoc tibi exhauriendum est: cras liber eris.

CR. Immo jam hodie liber eris, et symbolam abs me feres; si quidem id unum adhuc, quod Philalethes quaerit, nobis expleveris.

PH. Ista conditione et ego tibi auctoramentum promitto.

W. Hoccine erat, quod initio hujus sermonis in-

invicem subridebatis, affirmantes, eum vobis opportunum accidere?

PH. Sic est: nam paulo antea, quam ad te intrabamus, hac ipsa de re locuti eramus; et ego Critobulo dixeram, me per otii lusum aliquando tuam caussam meditatum esse: et hic mihi responderat, se simile quid suum memoriâ tenere.

W. Ergo vobis morem geram; ut meae ipse cupiditati vehementer à vobis incensae satisfaciam.

LYND. Et illud, quod sub ipsum tempus editae in Horreo illius reprehensionis me alii, et ego te interrogabam, an ad eam responsurus esses?

W. En! hunc quoque Lyndenum oneri onus addentem! Nam tibi quidem jam tunc, ut puto, satisfaciebam dicens, „ Quid enim respondeam febricitanti, miserando potius quam refellendo? „ non magis quam caniculis, quae antea me allatrarunt."

PH. Sed, age! dic tandem de Orationibus.

W. Ergo, quod Latinitatem, et alia subinde, desideravit ac notavit ignotus censor, non fuit de nihilo. Ipse in quadam Ephemeride respondens censori, pronunciabat, eum nil scire, *stupidum caput* Belgice appellans: affirmans, bonitatem orationis suae doctissimis Amstelodamensibus probari. Quod quum aliquis mirans mihi narraret, *Noli me*, inquam, *in illis doctissimis Amstelodamensibus numerare.* Equidem, consilio nuper capto censendarum Orationum nostra memoria habitarum, illas quoque ad earum, quibus censu-

ra

ra destinatur, numerum aggregavimus. Jam explevi munus à vobis mihi impositum; tu nunc, Philalethes, auctoramentum, et tu, Critobule, symbolam imperti.

X.

PH. Quid ais Critobule? rides: idemne tibi videtur, quod mihi, vices in aliud tempus rejicere?

CR. Sic sentio. Et advesperascit jam, nobisque abeundum est.

W. Siccine vobis videtur, et datam fidem, et meam exspectationem fallere?

CR. Atqui fidem liberavimus; nam te promisso alacriorem ad narrandum fecimus, et exspectatione oblectavimus. Hoc fuit auctoramentum, haec symbola.

W. Quid est fidei calumnia, nisi hoc est? Adhuc, ut domini et imperatores mecum egistis; nunc, ut tyranni.

CR. Quid hoc ad tyrannos?

W. Quia similiter fecit Dionysius, Siciliae tyrannus: fidicini, ut caneret, ingentia dona promittens; deinde, peracto cantu, nihil dans, debitum solvisse se ei dicens: *Quamdiu enim*, inquit, *tu me cantu delectasti, tamdiu ego te spe delectavi.* Hodie, ut caetera, hoc vobis sic abibit:

Post mihi non simili poena commissa luetis.

CR.

CR. Istud nos Virgilianum alio confutamus Virgiliano: jam enim eo processit tempus,

Vesper ubi è pastu tandem decedere campis
Admonuit.

W. Age, Lyndene, fer opem; ad incitas redigor!

LYND. En adsum, atque istis ponderosum regero Hesiodeum,

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

Solvere debetis caro viro condictam mercedem, aut totam, aut quantum ejus satis putet. Et quandoquidem ego, litis arbiter advocatus, scire aveo, quid vos de ista in Horreo prodita reprehensione sentiatis, non dubito quin et vos huic ἀνδρὶ φίλῳ satisfacturi sitis, si tantum, quantum dixi, nunc repraesentaveritis.

W. Probo, Lyndene, arbitrium tuum.

CR. Dicat Philalethes, quocum una legi, et consensi inscitum et puerile esse commentariolum. Singula non amplius recordor.

PH. Et ego non nisi universe, sed satis memini fuisse negotium plenum, ut arrogantiae, ita ignorantiae, plenum ruris et inficetiarum. Nam quod in Vita Ruhnkenii de Kantii doctrinâ dicitur, eam orationis et novorum verborum obscuritate ac spinis laborare, id ne ipsi quidem in Germaniâ Kantiani negant: negat et reprehendit Horrearius. Idem, Kantium nova verba fabricatum defendens exem-

exemplo Ciceronis, non vidit res prorsus esse diversas: Ciceronem primum diserte de Philosophia scribentem, verba, quae nondum erant, Latina de Graecis fecisse, itaque res verbis illustrasse: Kantium nactum linguam Germanicam abundantissimam et sufficientem cuivis philosophae notioni ac sectae, veteribus rebus nova nomina posuisse, tortuosam sententiarum constructionem instituisse, itaque ex luce tenebras fecisse. Et vult Hornearius se doctum et elegantem facere citandis veterum dictis ac versibus, et facetum conformando dialogo! Quae ornamenta in homine aliena, vel graculum varium, vel saltantem auritulum, ex fabula nobis referunt. Satin' haec vobis fortiter?

W. Satis fortiter; sed breviter, ut festinantis abire.

LYND. Equidem et de Ciceronis caussa, novis verbis Philosophiam augentis, aliquando hanc ipsam thesin ad disputandum posui: et recens Leidam veniens, dissertationes petendo Jurisconsulti gradui scriptas perlustrans, videns plenas citatis multorum auctorum locis, earum scriptores longe eruditissimos homines esse putavi. Postea intelligere coepi unde, plurimarum quidem, illa doctrinae copia veniret: scilicet in Jurisprudentia ex paucis recentiorum interpretum libris: in Literis autem saepe ex Langii Polyanthea, Erasmi Adagiis, Lexico Poetico, aut, si forte, ex Vossii libris, Fabricii Bibliothecis, Bruckero, aliis: nec his meditate legendis, sed eorum indicibus pervolutan-

tandis, et locis citatis sublegendis. Neque tamen ex hoc genere scriptorum Horrei Critici esse dico; quippe cujus scripta numquam legi.

PH. Atqui hujusmodi fere sunt. In Philosophia autem non nisi Kantiana tenet, eaque quasi catechumenus oracula resonat: alios, priores et veteres, adeo non legit, ut Historiam quoque Philosophiae ignorare videatur.

LYND. Quod ad Philosophiam attinet, equidem nec ejus scientem, nec philosophum me fero; si quidem hoc nomen jam *sapientem*, nec amplius *amatorem sapientiae*, quod omnes esse volumus, significat; ut si errorem consuetudinis corrigere velimus, amator sapientiae non *philosophus*, sed *philophilosophus* dicendus sit. Sed in Philosophiae studio semper hic frequens error fuit, ut magis sectae quam Philosophiae studeretur: et ut homines parum acuti et laudis cupiditate incensi, casu in aliquem magistrum incidentes, ejusque auctoritate capti, nil nisi hujus decreta tenerent, his crepandis superbirent; aliorum placita philosophorum, quamvis ignorantes nec intelligentes, abjicerent.

W. Modeste, ut semper, de te judicas, Lyndene: et poteras certiore etiam cum ratione *Philosophiae scientem* te ferre, quam multi novitiae formulae sectatores. Nam, ne de meis dicam scholis, in quibus Historiam Philosophiae cognovisti: domestico certe studio Logicum meum libellum perdidicisti: Ciceronem, Xenophontem, Diogenem

 Laer-

Laertium, legendo contrivisti: praecipuas Philosophiae partes tradentem audivisti Wynperssium, venerandum senem, acumine et scientiae copia πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων novitiorum: denique facultatis tuae specimen exhibuisti Panaetianam disputationem, de qua Homerice affirmare possumus,

Οὔτις τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται, ὅσσοι Ἀχαιοί.

XI.

PH. Immo et hic totus sermo, credo, ejusmodi fuit, ut nullius ei lectoris acumen reformidandum videatur.

W. Vestris in hoc sermone partibus facite quod vultis: ego meam, eam quidem de Horreario negotio, partem in publicum protrudere nolim.

PH. Quidni?

W. Quia neque ad priorum latratiunculas canicularum, aut commovi me, aut omnino converti: et hanc postremam dudum oblivione sepeliveram, nec, nisi à vobis admonitus, umquam recordatus essem: deinde quis velit sermones de his nugis habitos etiam conscribere, et bona studiisque debita tempora perdere?

PH. Audin' quid dicam?

W. Si dices, audiam.

PH. Tu nimium intentus tuis es studiis; ut ad malevolorum in te maledicta obsurdueris et plane obtorpueris: sic homunculis ad porro maledicendum animus crescit, ut identidem nostrae alio-

rum-

tumque patientiae insultent. Itaque hunc sermonem conscribere, minime est tempus perdere: sed opus utile ac necessarium facere. Neque vole te injuriam inferenti referre, sed ei bene facere admonendo et corrigendo. Volo te Plutarchi tui praeceptis obsequi.

W. Quem tu mihi Plutarchum, quae praecepta, objicis?

PH. Illa nimirum de Divinae Tarditate Vindictae: quam nobis imitandam esse, tarde quidem, sed tamen puniendo, medicinae instar; ne nocentes, quasi prospero successu elati et exsultantes nocere et peccare pergant, sed reprehensi et coerciti meliores reddantur.

W. Mirabiliter quidem, nec tamen non probabiliter, narras.

PH. Sic est. Scio te numquam cogitasse de Horreario refellendo; neque, quamvis à me et aliis admonitum, tuis studiis aliquid subsecivi temporis subtrahere, et ad istam cogitationem scriptionemve conferre, operae pretium duxisse. Nunc viden' quantam unus hic pomeridianus sermo nobis materiam pepererit: quam tibi certe facile sit verbis et oratione vestire. Illud etiam cogitare debes, argumentum esse conveniens, atque adeo debitum, Bibliothecae tuae Criticae: quo conscribendo ac prodendo omnes intelligant, tuae Bibliothecae et Horrei diversas esse Criticas: quod contra quidam inepti homines eas quidem generis

esse putaverunt, et Horrearium te per aemulationem ac rivalitatem sugillasse.

W. Ineptos profecto istos fuisse oportet.

PH. Ita fuerunt, et adhuc sunt: quibus tamen hoc dandum sit: et simul rationem habere debes prudentum, qui multi ex illa, in Vita Ruhnkenii, facta mentione Metaphysicae Kantianae, exspectant, ut tuam de hac sententiam diserte prodas.

W. Caetera haud scio an vere dicas: illud vereor, ut Horrearius nostra scriptione corrigatur.

PH. Aut hac, aut nulla alia medicina, corrigetur.

W. Esto: sed scin' quid vos velim: date mihi saltem hanc veniam, ut ego meam, vos vestram, sermonis partem conscribatis: deinde, ut me meam Lyndeno dicare sinatis, cui dudum aliquid literularum promisi.

PH. Totum conscribes, et totum Lyndeno dicabis. Atque sic habeas, nos nobis imperium in te prorogasse eum in diem, quo die sermo noster totus editus prodierit.

W. Sed dubito an vestra meaque dicta recordari omnia possim.

PH. Si quid oblitus fueris, nos te monebimus, propediem ad te redituri et pensum exacturi.

W. Ergo mihi optimum erit, sapientes imitari, quos ajunt libertatem in summa servitute retinere,

li-

libenter faciundo id, quod coguntur et omnino faciundum est.

PH. Ita fac, et sapienter facies. Sed nunc, quia advesperascit, nobisque in urbem redeundum est, haec hactenus: jamque vale.

W. Et vos valeatis imperatores.

CR. Siccine abeuntes adhuc lacessis?

W. Dicam verius, *Et vos valeatis amici.*

CR. Video quid velis, quia scilicet libenter ruri manes: dic totum versum, *Et Leidae turres, et vos valeatis amici.*

W. Malo hoc à te, quam à me, dici. Tu autem sic vale, ut id vere dixisti.

Hic nobis exitus fuit sermonis: idemque mihi sit finis epistolae. Quam ego ad Te, Lyndene, scriptam, eo consilio edidi, ut amoris erga Te mei monumentum exstaret. Sic enim Tibi persuadeas velim, Te mihi cum antea carissimum fuisse, tum nuper cariorem etiam redditum esse; quod Te à peregrinatione reducem, exterarum patriarumve rerum nec laudatorem nimium, nec reprehensorem, sed utrarumque justum existimatorem, rediisse: nativum animi candorem, Literarum nostrarum studium, amorem denique veterem erga me tuum, integrum sincerumque retulisse, agnoscerem. Ita et Tu vale. Scripsi ruri d. XXIV. Decembris Ai. MDCCCVII.

DE OBITU SAXII, HANAE, JAEGERI, ET BANGII.

EX BIBL. CRIT. P. XII. p. 94, sqq.

Et hoc loco manes defunctorum, nobis in vitâ studiis et favore conjunctorum, salutemus; quorum obitus inter hujus superiorisque Partis editionem vel accidit, vel ad nos perlatus est. Duo sunt cives, exteri duo: illorum recentior est memoria, optimorum virorum Saxi et Hanae: quorum quum superiore Parte eodem loco mentionem faciebamus, Saxium quidem nonagenarium et dudum coelo debitum, jam ut brevi decessurum prosequebamur: Hanae autem florentis aetate quadraginta duorum annorum, longiorem usuram fatum nobis concessurum sperabamus. Ac de Saxio quidem et saepe diximus, nec est quod plura dicamus; cujus laudes, quousque humanitatis nostrae fines patent, ab omnibus celebrantur, ut viri in omni Antiquitatis et Historiae scientia primarii. Caeterorum minus quidem pervulgata est fama, nec tamen non magni facienda virtus ac doctrina. Nam, Henricus Hana eodem quo Saxius anno MDCCCVI, d. XI Maji, mortuus, vi-

viginti et tribus annis ante Amstelodami auditor fuit noster, cum in scholis Logicis et Metaphysicis, tum in familiaribus de omni Literarum genere sermonibus; et hujus disciplinae necessitudinem majore, quam vulgo solet, pietate postea semper coluit. A Ruhnkenio, ut in ejus Vita p. 119 (*) diximus, edendi Phrynichi provinciâ auctus, quominus eâ perfungeretur, tempora obfuerunt. Rector scholae, primum Amisfurtanae, deinde Amstelodamensis, multis variisque occupationibus implicitus, dum omnibus officiis antiquitus traditis religiose satisfacere cupit, Rectoris, magistri, praeceptoris, paedagogi, patris, mariti, fratris, cognati, affinis, in omni vitae genere, publico, civili, privato, domestico, literato, in omni cultu et divino et humano; minoremque rationem virium suarum quam laborum haberet, horum pondere obrutus oppressusque est: magnum omnibus accuratae disciplinae, nobis etiam pietatis, desiderium relinquens: ejus institutionis diligentiam ac memoriam prosequentibus Curatoribus Scholae, Viris Ampl., tribuendo viduae annuo honorario sexcentorum florenorum. Duo reliqui viri pristina studiorum communione nobis cari fuerunt. Pater enim meus ex Theologica cathedra Bernensi in Marburgensem migrans, mihi nonum tunc annum agenti, needum Latinorum lectione Scriptorum imbuto, erudiendo praeceptorem ac paedagogum domesticum adhibuit Ja-

(*) [Horum Opusc. T. I, p. 710, sq.]

Jacobum Jaegerum, insigni scientiae ingeniique laude florentem juvenem. Hic me docens, Historiam, Geographiam, veteres Linguas; plura etiam volens docere, quibus nondum maturus eram, velut Mathematica, et Latinos versus pangere; duo certe bona, quorum prorsus adhuc expers eram, suo exemplo in me vel excitavit vel ingeneravit, sensum pulcri, et assiduitatem studii; unde factum est, ut Scriptores Latini, in primis Virgilius et Nepos, et placerent mihi summopere, et ad legendum relegendumque me allicerent ac tenerent. Quarto anno ille publicum docendi munus, mox cathedram Matheseos in Academia Rintelensi adeptus, nostram domum reliquit: ego scholis Professorum operam dare coepi: quibus quadriennium partim perceptis, partim degustatis, quinto anno relictis, totum me Graecorum lectioni dedi: in eaque rursus quadriennium versatus, Epistolam Criticam ad Ruhnkenium scripsi. Hoc intervallo, casu in Bangium incidi, eadem in urbe degentem, nobilis familiae paedagogum, quindecim fere annis me majorem, omnis liberalis doctrinae peritum, Graecarum autem Latinarumque Literarum accurata scientia excellentem, et plane ad Ernestinae rationis elegantiam excultum. Et hujus mihi viri fructuosa fuit consuetudo ad cognitionem in primis bonorum librorum in Latinis Literis, in quibus tunc novus et hospes eram. Sacerdotium rusticanum semel nactus, in ejus umbra latuit: Academiae luce, quamvis unus omnium di-

dignissimus, tamen carens per eorum vel ignorationem vel errorem, paenes quos aut commendandi facultas, aut deferendae cathedrae potestas esset. Caeterum domi suae ad Literarum scientiam erudiebat filios ipse suos, et alios subinde adolescentes ejus disciplinae praestantiam expetentes: in quibus etiam fuit Fridericus Creuzerus, postea Eloquentiae Literarumque Graecarum et Latinarum Professor Marburgensis, nunc Heidelbergensis, vir elegantis doctrinae, compluribus editis libris cognitae et probatae. Scriptis Bangii, de quibus verbo diximus Bibliothecae Criticae Parte VI, p. 138, et Vitae Ruhnkenii p. 165 (*), annumeranda est disputatio Latina in Actis Societatis Theologicae Haganae edita, secundi loci praemio, argenteo nummo, condecorata anno circiter MDCCLXXXVIII. Uterque, et Jaegerus et Bangius, jam provecta aetate, paralysi labefactatus, uxore orbatus, liberorum pietate et cura sustentatus, vitam trahens moestam nec vitalem, mortem summi beneficii et unici remedii instar habuit: uterque nobis eo magis dolendus, quo magis utrique congruam ipsorum virtuti vitae obitusque facilitatem optare solebamus. Ao. MDCCCVIII.

(*) [Horum Opusc. Vol. I. p. 678.]

DE OBITU D. WYNPERSSII, ET S. F. J. RAVII.

EX ΕΠΙΔΙΟΡΘΩΣΕΙ

PARTIS DUODECIMAE

BIBLIOTHECAE CRITICAE.

Wynperssius, venerandus senex, quem p. LXX (*), honoris caussa nominavimus, obiit d. VIII, Octobris a. MDCCCVIII, aetatis octogesimo et quarto; quum hanc Academiam quadraginta annos fama et Philosophiae institutione ornasset: et in dira illa hujus urbis clade d. XII, Januarii a. MDCCCVII, mirabiliter, ex ruina ruentis supra ipsum domus, solus vivus et incolumis evasisset.

Atque hoc loco nec optimum Ravium taceri, sortis conjunctio sinit. Hic, paulo ante feralis ictum fulminis, domo exierat sua, ad quam infernum navigium stabat: mox, fragore audito, adcurrens, domum subversam, uxorem et natos salvos, affinem ac domesticum exstinctos invenit. Con-

(*) [Hujus Voluminis p. 210.]

Continuo, Regis adventu ac liberalitate recreatus et cumulatus, brevem hujus beneficii fructum percepit; eodem anno, Decembris d. 1, subito morbo nobis ereptus, florens et aetate et publico favore: tantum universe sui luctum relinquens, ut incertum esset, cui civitatis parti, Academiae, Ecclesiae, communi vitae, cui ordini, utri sexui, magis desideratus decessisset. Sed ecce! haec nobis commemoratio in memoriam revocat duos Professores clarissimos, Kluitium et Luzacium, illius diritate stragis exstinctos: revocat alios ejusdem fati consortes: revocat omnino totum illud miserrimum tempus. De quo nunc hoc unum addidisse sufficiat, nos ei narrando alium locum dare constituisse. — Ao. MDCCCVIII.



PRAE-

PRAEFATIO

LIBRI PRIMI

MISCELLANEAE DOCTRINAE.

D. W.

LITERARUM STUDIOSIS

S. D.

Annus hic est trigesimus secundus, quod Bibliothecam Criticam scribere coepimus. Neque tum putabamus fore, ut eam, vel tam multos in annos extraheremus, vel extractam tam paucis voluminibus contineremus. Materiam nobis Antiquarum Literarum amplam et variam sumebamus, novas Auctorum editiones, interpretum commentarios ac disputationes, omnium censuram et explicationem: nec laboris magnitudinem cum facultatis nostrae otiique modo satis comparabamus. Itaque per septem priores annos Partibus octo editis, reliquae Partes quatuor spatio viginti et quinque annorum prodierunt. Quae tarditas et intermissio quibus de caussis acciderit, ut saepe nobis dictum, repetere nil attinet. Nunc Bibliothecae Criticae trigesimo primo anno fi-

finitae, hoc proximo ei hanc *Philomathiam* suffecimus, non solo nomine, sed re ipsa, novum opus. Solent quidem editores libellorum hujus generis, quod vulgo periodicum dicitur, quum volumina ad satis magnum numerum crevisse videntur, eos alio sub nomine continuare; ut, tituli novitate, lectorum et satietatem fallant, et studia retineant. Nostra alia est caussa, alia ratio.

Et *Bibliothecae* quidem nomen non, quasi detritum et obsoletum, abjecimus: sed, ut proposito nostro minus aptum, cum aptiore commutavimus. Habet enim Bibliotheca fere significationem multitudinis librorum suis partibus expletae, et quasi professionem refertum quid et locuples promittentis. Convenit v. c. in Fabricii Bibliothecas, Graecam et Latinam, et alias aliorum, quibus omnes in aliquo genere editi libri recensentur: aut, si forte, in periodica scripta, per quae de libris novissimis, sive uno in genere, sive pluribus, sive omnibus, refertur. Non conveniebat nostrae scriptioni: qua tantum abfuit, ut omnes novos libros persequeremur, ut pro tanta multitudine non nisi paucos nostro sensu judicioque delibaremus. Ista autem nominis professionisque opinione nonnulli subinde ducti, plura etiam, quam quae afferebamus, à nobis postulabant. Age, inquit, qui Euripidem Musgravii fuse tractasti, tracta item Sophoclem Brunckii: et qui Schweighauseri Appianum recensuisti, recense quoque ejus Polybium et Athenaeum: qui Vil-

Villoisono et Santenio memoriam tribuisti, cur non etiam Toupio et Brunckio? Importunos flagitatores jam exclusimus, excludendo nomine Bibliothecae.

Neque *Criticae* nomen retinuimus; non quod ab hoc opere nostro Criticam repudiaremus, sine qua nec in Literis, nec ullo in genere, sapere quisquam potest: sed, ut hanc quoque reprehendendi ansam iis praecideremus, si qui, nullam nisi verborum esse Criticam putantes, omnia ex hoc genere à nobis postularent, neque rebus et ipsis disciplinis locum relinquerent: qui frequens imperitorum est error. Denique, ut verum fateamur, noluimus nobis amplius nomen assumere ejus artis, quae multae experientiae extremus fructus censetur.

Nam tertium, quod in vetere titulo nobis displiceret, fuit tessera, Longini sententia: ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστὶ πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα· egregia sane illa, sed, libro praescripta, anceps et reprehensioni exposita; quasi illam nobis facultatem jam tum arrogassemus, à qua nos nunc etiam post trigesimum secundum annum longe abesse profitemur. Haec enim profecto, quam suscipiebamus, erat ἡ τῶν λόγων κρίσις, *dijudicatio librorum:* nec modo recentiorum, sed et veterum, de quibus Longinus loquitur, eamque *multae experientiae extremum fructum* esse pronunciat. Latius autem, ac vulgo putatur, πείρα patet: nec solam illam, quae dicitur,

ex-

experientiam, continet; sed omnes etiam ejus caussas et effectrices, observationem, usum, lectionem, scriptionem, commentationem, tractationem, complectitur. Itaque miramur, neminem nostrorum obtrectatorum in hanc tesseram involasse, nobisque eam arrogantiae vertisse. Videtur sane haec nostra felicitas esse; ut, quum duo genera lectorum habeamus, faventes et invidentes: illi sint docti, qui videant, et ignoscant: hi indocti, qui videant, nec intelligant.

Ergo novo opusculo novum titulum fecimus *Φιλομαθίας τὰ σποράδην*, quasi dicas, *Doctrinae Studii sparsim prodita*, *Eruditionis Varia*, *Miscellanea Doctrinae*. Graecum fecimus; quod rem disertius declararet: Latinum addidimus, Graeca minus capientibus. Quae autem sit, auctore Platone, conjunctio *Philomathiae* et *Philosophiae*, φιλομαθοῦς et φιλοσόφου; quam Cicero secutus, philosophos *doctos* et *doctissimos* appellat: ostendemus in Annotatione ad Platonis Phaedonem, in qua typis excudenda nunc maxime typographi nostri occupantur. Caeterum, hoc titulo optando, et modestiae opinioni apud alios consuluisse, et nostro labori cavisse videmur. Nam ut antiquitus omnis doctrina dicebatur σοφία, *sapientia*, postea autem per modestiam dicta est φιλοσοφία, *sapientiae studium*, idem in nomine φιλομαθίας accidit. *Cognitio discendo comparata* vocabatur μάθησις, μάθημα· ejus copia, πολυμαθία, *doctrinae copia*: πολυμαθής, *praestans* do-

doctrinae copia homo: quae nomina quum nemo doctus, sine arrogantia, vel sumere sibi, vel data accipere posset, his φιλομαθὴς et φιλομαθία substituta sunt. Sic et nos ex *Bibliotheca Critica*, quae fere instar erat *Polymathiae*, fecimus *Philomathiam.* Eodem accommodavimus additum σποράδην, *sparsim:* ut hoc, quidquid sit, doctrinae liberâ manu spargeremus, nec tamquam certum ac debitum pensum lectoribus annumeraremus. Eodemque nomine scripta quaedam Veterum insignita reperimus. Veluti Hieronymi Rhodii liber secundus τῶν σποράδην ὑπομνημάτων memoratur apud Diogenem Laertium I, 26: Aristoxenus ἐν τοῖς σποράδην, ibidem I, 107: et Plutarchus se sua Symposiaca σποράδην habuisse et conscripsisse testatur p. 612, E, et 629, D.

Neque vero rursus nos ad necessitatem voluminum quaternis deinceps partibus explendorum adstringimus: sed singulares libellos pollicemur, quorum quovis edito, ipsa Philomathia finita censeri possit; et nobis, eam vel relinquere, vel continuare, integrum sit.

Distributionem tripartitam retinuimus, in *Censuras*, *Anecdota*, *Narrationes Breves de rebus librisque memorabilibus novis*, quas antea *Relationes Breviores* usurpare solebamus. Harum quum sit varia et multiplex materia; longiora capita ab iis segregabimus ac peculiari loco tituloque ponemus; siquidem eorum argumenta magis de aliis rebus, hominibus, factis, quam de libris, fuerint.

rint. *Censurae* autem, ut antea fuerunt, sic postea erunt, de libris in hoc Literarum genere, vel novis, vel antiquis denuo editis. Harum nunc locum occupavit argumentum ἄμουσον sane, sed lectorum desideriis concessum, flagitantium ut pergeremus, quod nuper inchoassemus, ejus μουσικῶς tractandi rationem ostendere. *Anecdota* quamquam dicuntur omnia, quae adhuc inedita fuerant, in his et Censurae et caeteri nostri libelli, tamen proprie intelligimus cum Antiquorum libros et locos hoc usque ad tempus in solis codicibus scriptis servatos: tum Recentiorum scripta nondum edendo vulgata. Ex illo genere addidimus huic libro duas Dissertationes *Musonii*, Stoici nobilis Philosophi: de quo Nieuwlandius quondam noster disseruit docta disputatione, à nobis commemorata Bibliothecae Criticae Parte VIII.

Sic igitur prioris nominis professionisque et vinculis soluti, et onere levati, ad hoc munus, ut facilius expeditiusque, alacres accedimus. In quo etsi nil certi promittimus: libellorum edendorum nec numerum, nec modum, nec tempus definimus; tamen speramus, lectores, qua fuerunt adhuc erga nos voluntate et humanitate, eadem porro futuros, et hanc nostram operam, qualem eam cumque afferemus, grate studioseque accepturos. Scripsi ruri. d. xxx Augusti Ai. MDCCCIX.

MEMORIA SANCTOCRUCII.

EX MISC. DOCTR. LIB. I. p. 169, sqq.

Obiit et Sanctocrucius noster: et frustra optavimus, Bibliothecae Criticae Parte Undecima, ut ipsius ad annos accederet quod Villoisono detractum esset: obiit, triste sui desiderium relinquens omnibus virtutis doctrinaeque amantibus, et vero mihi, quamvis longis loci temporisque intervallis disjuncto, tamen studiorum sensuumque communione et amicitiae vetustate conjuncto. Ergo quod Villoisono mortuo tunc tribuimus, nunc item Sanctocrucio tribuamus, et hujus de vita rebusque breviter memoremus: quarum cognitionem partim ab ipso acceptam recordamur, partim nobis aliquantum auxit vir eruditissimus, idemque Literarum Orientalium princeps, edito hujus argumenti brevi libello (*). Et quamquam post tantum vi-

(*) Notice sur M. Guilhem de Clermont Lodève de Sainte-Croix, insérée dans le Catalogue des Livres de

virum rem actam agere videamur, et Sanctocrucius noster suis ipse doctrinae monumentis ad omnem posteritatem commendatus sit; maluimus tamen committere, ut in hac nostra scriptione et sedulitate potius judicium et facultas, quam in silentio pietas et officium, desideraretur.

Natus est Mormoirone, in vicino urbis Carpentoractis, Comitatus Vindauscensis, gente nobili, die V Januarii, anni MDCCXLVI. Hic enim annus in libello laudato editur: qui si vere editur, de quo non statuimus, nos et alios errasse oportet, qui Sanctocrucium vel decennio, vel minimum quinquennio, antea natum credidimus. Literis ac disciplinis institutus Gratianopoli in scholâ Jesuitarum, illius institutionis modo ac tempore confecto, militiae nomen anno MDCCLXI dedit.

Erat enim ei patruus Sanctocrucius ille, Legatus Legionis, insigni recens famâ celebratus, Bellinsulâ, Gallorum in Aremoricae orâ propugnaculo, adversus Britannorum diuturnam et acerrimam oppugnationem defendendâ, nec prius dedenda quam ultima quaeque et tentasset et tulisset. Cujus fortitudinis commendatione, Rex eum Praetorem fecit Martinicae, coloniae Gallorum in Antillicis insulis florentissimae: et provinciae Praetori in

sa Bibliothèque. — Juin. par M. Silvestre de Sacy. Praenomina Sanctocrucii fuerunt, *Guilielmus*, *Emanuel*, *Josephus*.

in primis luculentae. Ipse illuc proficiscens hunc fratris sui filium in cohortem suam assumsit, munere Adjutorem Castrensem, gradu Centurionem Equitatus. At speratum provinciae fructum eodem anno patrui obitus intercepit. Sanctocrucius in patriam rediit, patrui acta praetoria Regi reddidit: ab eoque, donec centuriae praeficeretur, inter Grenadarios Franciae allectus est: sic tum dicebatur una ex Legionibus, quibus flos peditatus Gallici censeretur, quae corporum robore ac proceritate, morum urbanitate, priscam junctae cum humanitate fortitudinis exemplum referre videretur. Qua in Legione, ut per tempus tranquillum et pacatum, otio abundans, totum hoc ad recolenda Literarum studia contulit; omni Historia et Geographia pertractanda, omni Antiquitate ejusque partibus cognoscendis, Graecis et Latinis scriptoribus legendis. Sed quum stationibus mutandis in loca saepe veniret illiterata, in quibus manendum et libris carendum esset, hac in primis de caussa militiam pertaesus, ea se abdicavit, in urbem natalem ad patrem rediit amplis et avitis bonis fruentem, et in hujus filii spe acquiescentem. Filius in Literarum studio pergens, patrem obsequio et pietate colebat: tum vero, ut senectutem ejus magis etiam oblectaret et exhilararet, ex hujus voluntate, et sua ipse animi sententia, a. MDCCLXX, uxorem duxit egregiis animi ingeniique dotibus commendatam: ex qua mox duos filios et filiam suscepit. Neque tamen rei familiaris

gis cura se à suscepto doctrinae amore et commentatione avocari passus est: quin, tamquam in majori otio, alacrior coeptum iter persequens, explicandis quaestionibus ab Academia Elegantiorum Literarum et Inscriptionum ad disceptationis certamen positis, ter victoriae praemium retulit. Quarum quaestionum altera fuit de censendis Scriptoribus Rerum Alexandri Magni. Cujus quaestionis explicationi, anteaquam ederetur, locupletandae et expoliendae, tum cognoscendis doctis hominibus, omnique librorum et editorum et scriptorum generi usurpando, Lutetiam Parisiorum se contulit: curam familiae, patris, liberorum, fidissimae custodi, uxori, relinquens. Ibi tum ei degenti, et Villoisono, ego per annum meae commorationis Parisiensis MDCCLXXV, ad eam, quam dixi, familiaritatem amicitiamque conciliatus sum. Quos tunc quales cognovisse mihi visus sim, fortasse nec aliis scire ingratum sit: mihi certe recordari jucundum est. Magna erat in Sanctocrucio rerum scientia, magna judicandi facultas: et quasi se in militari vita ad imperatoriam artem conformasset, sic eamdem rationem ad intelligentiam doctrinarum accommodabat; ut cum in universae Historiae et Antiquitatis cognitione, tum in singularium argumentorum tractatione, totam materiae tamquam exercitus magnitudinem uno in conspectu videret, suis terminis designaret, generibus discerneret, partibus distingueret: quid quaeque valeret, quo pertineret, quo loco ponenda esset, attenderet:

fontes et auctores omnes, et accurate teneret, et verissime aestimaret. Sed rerum haec erat, non verborum scientia: deerat Graecae linguae grammatica cognitio: quam vel puer non satis perceperat, vel miles neglexerat: tunc autem, quod Plutarchum in Latina lingua factitasse legimus, sic acquirere et recuperare studebat, ut ad Scriptorum Graecorum lectionem adferret materiae cognitionem; itaque ex argumento et rebus verba et orationem disceret, in iisque ad eum gradum proficeret, qui rerum cognitioni satisfaceret. In Villoisono major erat doctrinae non quidem praestantia, sed varietas: multiplex rerum scientia ex omni librorum genere hausta: grammatica etiam et critica linguarum cognitio insignis; ordo et ratio in disserendo et argumento explicando, non item: ut judicandi facultas quamquam ei minime deesset, tamen subinde non appareret: exquisitas doctrinae copias fere confertim effundens, ad eas intelligendas legentes ipsos judicium suum adferre volebat: contemnens merito scriptores doctrinae inopiam judicando compensare ac dissimulare solitos, et comparans fabris sine materia opus architectari ingredientibus; ipse nimis in contrarium inclinabat. Ad scribendum non nisi patrium sermonem usurpabat Sanctocrucius, cum elegantia, decore, et eloquentiae luminibus: Villoisonus etiam Latinum, utrumque, ut perspicuitate contentus esset. De hujus moribus suo loco diximus. Similis ei erat Sanctocrucius fide erga amicos, bene-

nevolentia erga cives et exteros, in primis homines doctos: caeterum excelsus animus, honestum ac decorum appetens, turpe et indecorum aversans: cujus in omni sermone frequens generosos sensus promebat; si cujus juste, recte, humaniter, aut secus, facti mentio incideret. In primis autem Urbis, ut tunc erat, luxuriem indignabatur, et verissimam morum corruptionem interpretabatur, ejusque quamvis dudum sibi cognitae, tamen quovis novo exemplo ipse ut novus et recens commovebatur. Quam quum aliquando doctus homo carmine Latino haud inficeto, sed lascivo, depinxisset, idque Sanctocrucio et aliis praesentibus recitaret, hic recitatorem ita corripuit, ut obmutesceret: Siccine, inquit, lascivi amores non per se ipsi satis sunt fallaces ac lubrici, ut iis illecebras etiam poesis addere debeat? Ille, hoc ita moris esse apud Latinos, sic Antiquos et novos factitasse. Quasi vero, inquit, Latinus sermo honesti decorique legibus solutus sit.

Ad hanc sensuum altitudinem accedebat morum generosa quaedam simplicitas ac puritas, ab omni superbia fastuque immunis; ut externa, quibus gloriari posset, bona, nobilitatem, divitias, honores, gratiam aulicam, ne nosse quidem videretur: unam nosset laudem virtutis ac doctrinae: has solas sibi propositas haberet, et propter ipsas consectaretur, earumque adeptione et suam et aliorum felicitatem censeret.

Talem nos tunc eum cognovimus, et postea

fuisse novimus. Proximo anno ad suos Mormoironem rediit. Altero Helvetiam ac vicinas regiones lustravit: et Bernae dies aliquot apud Ithium nostrum fuit, nuper Parisiis nobis comitem et contubernalem, tum Bibliothecae Bernensis praefectum, nunc Sacrorum Antistitem insigni pietatis ac doctrinae laude florentem. Laetae diu res fuerunt, et semper fore videbantur. Quod à rei familiaris cura et amicorum negotiis tempus superesset, quod sane multum erat, Literarum studiis dabat. Denuo victor renunciatus est propositi, ab eadem Academia Inscriptionum et Elegantiorum Literarum, certaminis literarii *de numinibus et cultu Cereris et Proserpinae* a. MDCCLXXVII. Proximo anno secutus est sacer Indorum liber dictus *Ezour-Vedam*, id est, *Vetus Commentarius Vedami continens expositionem opinionum religiosarum et philosopharum, Indorum. Ebroduni* a. MDCCLXXVIII, duobus voluminibus, formae duodecimae. Rursus proximo, *De Statu et conditione Coloniarum apud Antiquos. Philadelphiae*, forma octona MDCCLXXXI: item *Annotationes additae editioni Vibii Sequestris Oberlinianae.* Et de his quidem duobus illius anni operibus verbo diximus in Bibliothecae Criticae Parte IV, p. 132, et VI, p. 116: uberius autem de utraque editione *Censurae Scriptorum de Rebus Alexandri Magni*, ibidem: de prima, Parte II, p. 129: de altera, XI, p. 13. Porro gravissimum argumentum *de Mysteriis Veterum*, jam antea affectum in Dis-

Disputatione de numinibus Cereris et Proserpinae, singulari libro fusius diligentiusque tractavit, edito Parisiis a. MDCCLXXXIV, forma octonaria. Quem librum quum Villoisonus edendum recepisset, sic edidit, ut ipse de hoc argumento commentarium scriberet, commentario Sanctocrucii adjiceret atque intersereret, eumque fere obrueret. Quod non sine ratione aegre tulit Sanctocrucius: et improbarunt etiam communes amici Villoisonum, qui tantum sibi juris in alieno sumsisset opere; quamvis caeterum non ingratum iis accidebat, hujus copiam cum illius philosopha ratione conjunctam exstare. Fuit haec levis offensiuncula, quam utriusque mox lenitas, et amicitiae mutuis officiis et studiorum communione confirmatae integritas, obliteravit. In haec tempora inciderunt aliae scriptiones: duae politicae: altera, *Observationes Pacti Pacis factae inter Gallos et Britannos* anno MDCCLXIII, edita Ebroduni a. MDCCLXXXII, forma duodenaria: altera, *Historia incrementorum potentiae navalis Britannorum*, ibidem, eadem forma, duobus voluminibus duodenariis: tertia literaria, *Hypomnema ad Scriptores Diarii Eruditorum, de facienda nova editione Geographorum Minorum:* forma quartanaria: nullâ additâ tituli paginâ singulari, nec anni locive notatione. Illas non vidimus: hanc ab ipso nobis missam legimus, et in manibus habemus, et agnoscimus indidem illam ejus ingenii facultatem, materiae quamvis variae suis et finibus

complectendae, et partibus describendae. Hic erat Literarum proventus. Rei autem familiaris uberrimum percipiebat fructum è diligente liberorum educatione ad egregiam spem crescentium: filiis jam tantum, quantum per eorum aetatem licebat, provectis: majore ad munus Accensi, vulgo *Locum tenentis* dicti, in Legione Bellovacensi: minore, in schola Alaisia ad militiam navalem instituto, et propediem in eam allegendo. Et videbatur perpetua haec vitae prosperitas futura fuisse; nisi eam inopinato Gallici regni conversio prostravisset. Nam quum speraretur Comitatum Avenionensem et Vindausciensem, qui essent in ditione Pontificis Romani, à contagione seditionis immunes fore; hanc spem eventus fefellit. Obtinuit illas terras cohors Jourdani, ferro et flammis grassans, civibus veteris formae studiosis, optimatibus, nobilibus, aliis, praesens exitium omnibus intentans, multis inferens. Hac primum Mormoironem adventante anno MDCCXCI, mense Aprili, Sanctocrucius domum paternam reliquit: abeunte rediit, spe quidem ille quietis et recuperandae tranquillitatis; re et facto, graviora passurus, et proxima supremae necessitati subiturus. Sequente enim anno MDCCXCII, carceri inclusus, jamque in conspectu habens pegma supplicii mortiferamque securim, mirum in modum evasit, et, mutato vestitu habituque, Lutetiam Parisiorum pervenit. Uxor, relicto vetere Mormoironis domicilio, Avenionem se contulit: et, quae sua con-

constantiâ, solertiâ, et animi praesentiâ, maritum et liberos servasset, parum abfuit quin ipsa ibi periret. Nam à praedonum principibus decreto, jamque satellitibus mandato, ut comprehenderetur, illo ipso temporis puncto reperit quomodo aufugeret: et ad maritum se recepit a. MDCCXCIV, mense Martio. Interea praedones spe sua decepti, iram, quâ in dominos absentes incensi erant, explerunt rebus eorum praesentibus vastandis et raptandis. Bona traduntur sequestro, domus à sodalitio seditioso occupatur, libri diripiuntur, chartae cremantur. Accessit cumulus omnium acerbitatum, obitus amborum filiorum: qui utrum sua morte, an aliena vi, obierint, in neutram partem significat Scriptor: posterius tamen ut verisimilius censeamus, faciunt cum tempora, tum quae aliunde accepta nobis meminisse videmur. Erat autem haec et in desperatis rebus unici ademtio solatii, et in restitutis continua doloris instauratio; quum in reliquiis naufragii rei familiaris semper aliquid occurreret, quod carissimorum capitum desiderium excitaret. Ita undique ad moerorem sollicitatus, non tamen ei indulsit, neque principalem animi partem aegritudine affici passus est. Quin sapientis munere fungens, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, retinuit. Quae illi constantia et felicitas veniebat e certa verorum bonorum aestimatione, vanorum contemtu, et firmâ sententiâ res humanas totumque universum divino numine gubernari: quam sententiam à teneris sus-

ce-

ceptam, deinde per totum vitae cursum quotidiana observatione, tum Historiarum et Philosophiae commentatione, ad certam judicii stabilitatem corroboraverat. Itaque de injuriis sibi illatis placide et sentiebat et narrabat, ut quae divinitus accidissent: et earum auctoribus ignoscebat, ut qui magis necessitate fati, quam sua voluntate fecissent. Mansit deinceps Lutetiae; quippe urbe libris Literarumque subsidiis adfluente, et doctis hominibus frequente: intermissa doctrinae studia repetivit, in iisque recentium calamitatum solatium et quaesivit, et invenit. *Opera Diversa J. J. Barthelemyi* duobus voluminibus formae octonariae, addito ejusdem *Elogio*, edidit Parisiis, anno Reip. VI, id est, MDCCXCVII: proximo anno ibidem singulare volumen ejusdem formae, *De antiquis Rebuspublicis Foederatis:* alteram editionem Censurae Scriptorum De Rebus Alexandri M. anno MDCCCIV: de qua retulimus Bibliothecae Criticae Parte XI, et votum hoc apposuimus: „ Itaque optamus, ut egregio viro, quae adfuit studii intentio, animi corporisque alacritas, otii aliarumque rerum abundantia, ad hoc de Alexandri historia opus ornandum, eadem ei suppetat ad librum de Mysteriis Veterum, quem nunc maxime in manibus habet, nova editione locupletandum et frequentandum." Quod item vanum fuit votum: quamquam reliquit exemplum primae editionis plenum lituris, correctionibus, et additionibus; unde alteram editionem se facturum profitetur Sancto-

ctocrucii sodalis, vir doctus, cui legavit scripta sua inedita et adversaria. Fuerat autem ipse sodalis Academiae Inscriptionum: qua exstincta anno MDCCXCIII, deinde instaurata anno MDCCCII, sub nomine *Classis Historicae et Literariae Instituti*, hujus item Classis sodalis fuit: et utrumque sodalitium, vetus et novum, ornaverat, traditis ad praelegendum et edendum disputationibus compluribus: quarum quae ad *Academiam* pertinuerunt, in hujus *Actis* brevi prodibunt. *Instituto* tradidit disquisitiones copiose scriptas, *de Sepulcro Mausoli*, et *de Chronologia Regum Cariae:* et duas parabat commentationes, alteram *de Historia Philosophiae apud Romanos*, alteram *de vero tempore natali Christi.* Aliae etiam ejus scriptiones proditae sunt in aliis Syllogis Periodicis, veluti in *Diario Eruditorum*, *Horreo Encyclopaedeutico*, *Archivis Literariis.* His annumerandae sunt quaedam à Silvestro memoratae: *Elogia*, *Abbatis Poulei*, *Cardinalis Bernisii*, *D. Clementis: Cogitationes de Providentia: Commentarium de cursu fluviorum Araxis et Cyri.* Ex hac librorum multitudine et argumentis de doctrinae ejus magnitudine et praestantia suspicari licet. Et materia et forma congruebat animi cum generositati, tum humanitati. Materia erant *res*, earumque praestantissimum genus, historia ingeniorum, Literarum, doctrinarum, religionum, morum, rerumpublicarum et regnorum, rationis civitatum constituendarum, guber-

nan-

nandarum, legum ferendarum, juris publici et gentium, prudentiae civilis. Forma et ratio fuit, qualis à nobis declarata est in Censura Scriptorum de rebus Alexandri, Bibliothecae Criticae Parte XI, p. 142, ubi sic diximus: „ Nos ut in quibusdam locis ab auctore dissentimus, ita universe eum omnes historici muneris partes explevisse judicamus. Nam et materiae collectae tanta est copia, ut nullus accessioni relictus videatur locus, et quasi thesaurus sit historiae Alexandri: nullus qui ad eam pertineat homo, locus, nullum factum, opus, tempus, nulla res et actio, nulla cujusquam scriptoris mentio desideretur: sed omnibus etiam scriptoribus percensendis, omnium saeculorum et aetatum virtutes vitiaque notentur. Et materiam quasi *spiritus intus alit*, atque animat distributione, judicio, ratione, sensu magnitudinis et honestatis, ac religione reverentiaque muneris historici: horumque cogitatorum diserta et gravi declaratione." Quod in quibusdam locis ab auctore dissentire nos diximus, referebatur ad hanc editionem: in qua frequenter laudat effata Bossuetii, de Historia rhetorice magis quam critice disserentis, et judicium religione occupantis: et majorem, quam antea Canoni Hebraico auctoritatem chronologicam tribuit: in quo item Larcherum et Villoisonum per civilem illam conversionem mutatos cognovimus. Villoisoni obitum continuo dolenter amanterque mihi perscripsit anno MDCCCIV, de caussa morbi prudenter et utiliter monuit:

mox

mox ejus Memoriam ab Instituti socio Dacierio, V. Cl., scriptam transmisit, et iniquius de Villoisoni doctrina judicatum improbavit. Adeo dolorem magis in amicorum, quam sua, caussa prodere solebat. Nam quum biennio postea filiam, quae una ei ex natis supererat, jam viro nuptam, morte amisisset, eaque orbitate ad veterem filiorum luctum renovaretur, suum sibi casum ut fatalem tacitus tulit, nec ejus notitiam absentibus, quamvis amicis, nec mihi, ad quem illo tempore alia de caussa scribebat, impertivit. Idem, quum eodem tempore ageretur de Republica nostra in Regnum mutanda, nil prius potiusque habuit, quam ut me per literas moneret, quibus rationibus meae fortunae, quam periclitari putabat, consulerem. Quod consilium licet insecuta temporum lenitas supervacaneum redderet, magnum tamen ejus erga me fidei et amoris documentum exstitit. Ineunte proximo anno MDCCCVII, quum nostram urbem terribilis illa clades die XII Januarii afflixisset, hic ad primam rei famam perculsus, nullâ morâ interposita, domo exiit sciscitatum apud communes familiares, si quid mihi accidisset: comperto, me vivere et valere, literas quantocyus ad me dedit, postulans, ut se de meis rebus ipse certiorem facerem. Postremas ab eo literas mihi Lutetiâ redux adtulit Ravius noster, mox ipse die I Decembris nobis morte ademtus. Quae, profecto, tam crebrae hominum nobis carorum mortes nos quoque admonent, ut bre-

breve et incertum reliquae vitae spatium bene factis extendere conemur. Sanctocrucio autem nostro exitum adtulit affectio corporis, quae magis cum doloribus quam vitae periculo conjuncta videretur: qua laborantem dum amici spe et commemoratione repetendorum studiorum, absolvendarumque scriptionum inchoatarum, recreant et consolantur, inopinato mors eum abstulit die XI Martii, hujus anni MDCCCIX. Talem tantumque virum amisimus Sanctocrucium, qui non solum familiaribus et amicis triste suavitatis et consuetudinis suae desiderium, sed omnibus doctrinae, virtutis, magni et in adversis rebus invicti animi, egregium exemplum reliquit. Et unus nunc ex illa Parisiensi aetate atque consuetudine nobis tu superes, Larchere, Nestorea vigens senectute: quam Tibi porro laetam fortunent Musae! Ao. MDCCCIX.

A D D E N D A

AD MEMORIAM SANCTOCRUCII.

Ex *Misc. Doctr.* Lib. II. p. 261, sqq.

Quum desideratissimi Sanctocrucii Memoriam scribebamus, dudum frustra exspectaveramus aliquam materiae accessionem à Larchero nostro nobis

bis impertiendam: quae, *Memoriâ* nostrâ demum editâ, ad nos venit: sero quidem: nec tamen mittentis cunctatione, qui mature eam dederat: sed adferentis retardato adventu. Adjecta erat *Notitia* Silvestri Sacyi: quam ipsius humanitate acceptam jam ad scriptionis nostrae usum adhibueramus. Nunc, quae ad hanc supplendam pertinent, ex Larcheri literis, Latine reddita apponamus: „ Gratum mihi feceris, si aliquid scripto mandaveris in laudem Sanctocrucii nostri. Et hoc tuo officio plane dignus est, qui te multum amavit. Aegrotantem invisi fere quotidie: et diuturnus fuit morbus ab exitu Octobris a. MDCCCVIII ad d. XI Martii MDCCCIX: et tu nobis eras unum è jucundissimis sermonum argumentis: neque ille de te loquebatur sine interiore animi motu; ut facile appareret, quam erga te sincere affectus esset. Principio morbus nil nisi stranguria, nullo cum vitae periculo, esse videbatur. At incidente bis deinceps cruditate, secuta est febris continua, et malum ad obitum usque invaluit. Quod autem in Notitiâ Sacyanâ facta est mentio ejus uxoris, digna sane est de qua plura cognoscantur. Est profecto foemina multi ingenii, animi optimi, fortis, constantis: singularis in consuetudine ac sermone amoenitatis: nec vultu et habitu gratiae expers. Haec furiosis civibus strictos gladios sibi intentantibus, ut maritum ipsis demonstraret, imperterrita mansit, maritumque servavit. Hac uxore Sanctocrucius no-

ster felix futurus erat, nisi fatalis Regni Francici conversio ejus res fortunasque afflixisset. Duo filii adolescentes, praefecti militares, initio tumultus, civili ferro trucidati. Unica filia, postea viro nupta biennio ante patrem mortua, compluribus relictis natis: ex quibus unam neptim parvulam secum domi alebat Sanctocrucia, eamdemque tredecim annorum egregiae spei puellam, altero post mariti obitum mense, morte sibi ereptam vidua amisit. Atque illis omnibus in calamitatibus, carissimorumque capitum amissionibus, foemina virilem constantiam retinuit: quam ipse praesens et antea saepius miratus sum, et postremum eam salutans pridie quam Parisiis domum profectura esset. Neque hoc reticendum est, eam esse postremam propaginem inclytae nobilitate familiae Delbenae (*Delbéne*), origine Florentina; ex qua hujus majores primum comites Catharinae Mediceae nubentis Henrico II, Regi, in Galliam venerunt: quorum posteri deinde sub nostris Regibus, complures cum imperiis exercituum, tum amplissimis Archiepiscopatûs et Episcopatûs sacerdotiis, inclaruerunt." Hactenus Larcherus. Alia, recens edito lectoque sibi priore Philomathiae Libro, me monuit doctissimus adolescens G. L. Wassenarius, is, de quo dixi in Addendis ad Phaedonem p. 337. „Sanctocrucii *Animadversiones ad Vibium Sequestrem* prodierunt a. MDCCLXXVIII: liber *De Coloniis* a. MDCCLXXIX. Est etiam *Commentatio de* Cy-

Cyropaedia Xenophontea in editione J. G. Schneideri: tum in Barthelemyi Anacharside, Tomo IX, Tabula *Hominum Illustrium:* denique *Refutatio Paradoxi Literarii F. A Wolfii, V. Cel. de Homeri Poematibus: Parisiis* 8. *a. MDCCXCVIII*, quam ipse Wolfius memoravit in Praefatione Iliadis a. MDCCCIV. 8. min. Lips. ap. Goeschenium editae." — Ao. MDCCCXI.



ANNOTATIO

AD

J. BAKII LIBRUM DE POSIDONIO.

EX EDIT. POSIDONIANA, pag. 260, sqq.

Quidni gratificer tibi, optime Baki, et parva modeste, et promissa juste petenti. Nam quum tu libellum hunc tuum jam totum perscriptum mihi legendum tradidisses, ut, si quid in eo desiderarem, te admonerem; accidit eodem tempore ut à legendo me et aliae occupationes avocarent, et scriptura manusque tua rejiceret, elegans quidem illa et concinna, sed tenuior minutiorque quam pro meorum captu oculorum. Itaque tibi suasi ut libellum continuo typographis describendum dares; sic enim fore, ut, eum facilius commodiusque legens, aliquid haud inepti additamenti colligerem. Etenim qui te tuamque industriam à longo inde tempore perspectam haberem, non dubitabam quin si quid à te, et vel solis tuis ex manibus exiret, id ejusmodi futurum esset, ut se-

severi quamvis judicis acumen non reformidaret. Atque sic evenit: libellum tuum ut perlegi, ita eum talem cognovi, qui meae manus accessionem non requireret. Est igitur ejus confecti, integra propriaque tua laus. Et quod nunc adscribo, magis illud honorarium quam necessarium, non tam ad operae tuae supplementum, quam ad bibliopolae emolumentum pertinet.

Nam et hujus apud nos, honestissimi viri, rationes valuerunt, cujus caussa velle debemus, dubitantis edendo libello sumtus chartae operarumque impendere, et metuentis ne emtorum studiis novitas nominis tui obesset, rogantisque ut quod alteri bibliopolae in Heusdii nostri Specimine Platonico tribuissem, idem sibi in tuo scripto tribuerem, et aliquid mearum literularum adderem, quarum indicium in titulo poneretur. Quod eo mihi magis monendum est, ne forte alii meae rationis et vitae ignari in eam opinionem inducantur, ut putent, me cupide occasionem captare, qua nomen meum scriptis discipulorum meorum praeponam. Ego vero, exceptis Disputationibus me praeside publice habitis, id semel feci in Heusdiano scripto, et nunc in tuo iterum facio. Et, ut antea, ita in posterum, malo discipulos istud a me commendationis genus non requirere. Sed hoc cuicuimodi sit, habes hoc mei de te judicii testimonium, quo tuus se nunc in publicam lucem prodiens libellus tueatur. Nam semel quidem cognitus ipse se tuebitur; ut item se tutati sunt priores nostri disci-

puli, et ex primo specimine caetera deinde sua scripta lectoribus approbarunt. Et tu sic facies, et in posterum sine isto cortice meo natabis.

Est igitur, mi Baki, hic de Posidonio commentarius prima pensio spei, quam tu de te mihi recens conciliatus excitasti. Alii enim sunt discipuli, qui hoc Literarum studium in nostris demum scholis concipiant: alii, qui afferant. Tu id attulisti ex disciplina praeceptoris tui, F. A. Bossei, Gymnasii in hac Urbe Latini, tunc Conrectoris, nunc Rectoris, viri doctissimi, optime sane meriti, et de te, et omnino de illo Gymnasio, cum accurata elementorum institutione, tum ingeniis elegantiae sensu imbuendis, tum vero animis ad studii constantiam confirmandis; per quam unice constantiam ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι. His cum dotibus quum tu naturale etiam bonum adferres, industriae, rationis, judicii; sic meis scholis operam dedisti, ut nil excidere, nil in terram defluere sineres: eamdemque viam domestico studio legendis Scriptoribus Graecis et Romanis persequereris. Itaque tertio jam anno, qui abhinc item fuit tertius: quandoquidem hic est sextus nostrae notitiae et familiaritatis: tertio igitur anno jam eam facultatem assecutus eras, ut institueres progressuum tuorum specimen conficere, quo eos ad doctorum hominum cognitionem proferres, et res fortunasque tuas honoratis viris tuendas commendares. Cumque de argumento scriptionis cogitare coepisses, continuo tibi occurrebat cogni-

tus

tus ex Lyndeniana disputatione Panaetius, quasi praesens praesenti persuadens, ut discipuli sui Posidonii rationem haberes, ejusque res et scripta illustranda tibi sumeres. Respondit eventus coeptis. Opus ex tua tibi officina sic exiit, ut et materiae sua copia, et descriptioni ratio, et orationi puritas ac diligentia constaret: argumentumque ab aliis antea, et à Burignyo in Memoriis Academiae Inscriptionum Tomo XXIX, leviter affectum, à te demum accurate confectum exstaret. Sit igitur haec, ut dixi, prima tua nostrae de te spei pensio: quam deinceps caeterae sequentur: et proxime Cleomedes: quem tu argumento Posidoniano tractando, multum versasti, cognovisti, emendasti; ut, et ipsius, et tuo merito, ejus aliquando edendi consilium ceperis. Sed hoc tu tuo tempore efficies: meum jam est in rem praesentem venire, promissumque annotationis munus explere.

P. 7. Καθ' ἡμᾶς, frequenter valere *nostra aetate*, pervulgatum est; at non item constat, quousque hoc spatium pateat: quod ex locis Scriptorum constituendum est. Et sane hinc apparet illud complecti etiam ea quae in nostram infantiam, aut in paulo antecedens eam tempus inciderant. Strabo XVII, p. 1186, A, de Numidiae regibus narrans, καθ' ἡμᾶς δὲ Ἰούβας ὁ πατὴρ τοῦ νεωστὶ τελευτήσαντος Ἰούβα· i. e. *nostra autem aetate hanc regionem tenuit Juba, pater Jubae nuper mortui*: pater est is, qui à Caesare victus bello Afri-

cano periit A. V. 708: filius autem notus in Literis scriptor. At Strabo anno Tiberii quinto, A. V. 772, librum quartum operis sui scripsit: idque postea demum, nec constat quanto spatio, edidit. Cumque filius νεωστὶ mortuus dicatur; potuit profecto ille καθ' ἡμᾶς dictus patris obitus ante Strabonis ortum accidisse. Posidonio apud Athenaeum VI, p. 275, A, hujus libelli p. 170, καθ' ἡμᾶς, ut de re praeterita dicitur. Saepe apud Plutarchum, cujus locos adscribere longum sit, notasse satis est: sic igitur, Moral. p. 118, D: 124, C: 404, A: 410, A. Vitarum, p. 105, A: 107, D: 109, E: 123, B: 132, B: 268, E, bis: 318, E: 335, E: 376, C: 378, B: 524, F: 668, F: 849, B: 1052, D. Pausanias VI, 5: ἀνθρώπων τῶν καθ' ἡμᾶς· opponit heroicae aetati: qui saepe hoc sensu usurpat κατ' ἐμέ· v. c. p. 386, 408, 495, 527, 531, 535, 592, 602, 641, 688, 881. Ejusdem rationis est κατ' αὐτόν, κατ' αὐτούς, *hujus*, *horum aetate.* Sed καθ' ἡμᾶς etiam apud Diodorum Sic. I, 10, 84: Lucianum T. II. p. 879; III, p. 68: et eosdem et alios saepe; unde formulae illa potestas intelligitur.

P. 17. De conversione orationis obliquae in rectam, diximus Bibliothecae Crit. P. XI, p. 99.

P. 34. Seneca Ep. XC: *Solon, qui Athenas aequo jure fundavit, inter septem aevi sapientia notos.* Assentior Pinciano corrigenti — *inter septem illius aevi s. n:* non item alia mutanti.

P. 43. Plutarchi verba De Primo Frigido p. 951, F,

F, sic nos plurium etiam, quam illorum trium, auctoritate librorum edidimus.

P, 45. Diogenes Laertius, VII, 159: μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσαν φασὶν ἢ καὶ πρόνοιαν εἶναι. Sic vulgo libri habent: at ἢ mutandum in ᾗ, ut jam Kuhnius monuit ad h. l. i. e.: *dicunt totam Divinationem constare, eadem ratione, qua Providentiam* —.

P. 54—57. Est hic Physiologiae Stoicae locus a recentioribus nondum satis explicitus, quo ordinantur sibique invicem accommodantur species ποιοῦ, ποιὸς ἐπὶ οὐσίας, κοινῶς ποιὸς, ἰδίως ποιός· qui locus quum late pateat in Stoica ratione, ad ejusque partes complures intelligendas valeat; breviter eum, quoad ejus fieri potest, describamus. Ergo ποιὸς, *certus*, *quidam*, dicitur unusquisque homo, et omnis *res singularis*, quae hodie vulgo *individua* nominantur. Igitur unusquisque ποιὸς spectatur bifariam, vel per se proprie, ἰδίᾳ ποιὸς, certum individuum, ὄνομα, *Socrates*, *Dion*, *Theon*, caet.: vel ut individuum alicujus generis, κοινῶς ποιὸς, προσηγορία, *homo*, *vir*, *miles*, caet. Diogenes Laertius VII, 58: ἔστι δὲ προσηγορία μὲν, κατὰ τὸν Διογένην, μέρος λόγου σημαῖνον κοινὴν ποιότητα, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος· ὄνομα δέ ἐστι μέρος λόγου δηλοῦν ἰδίαν ποιότητα, οἷον Διογένης, Σωκράτης. Itaque statuebant, unumquodque individuum, ποιὸν, subjectum, ὑποκείμενον, *duplex esse*, ἰδίως et κοινῶς. Sed duplicitatem istam Stoicorum sic interpretatus est Porphyrius apud Simplicium in

Aristot. Categor. Γ, ά, ut utramque *ποιότητα ἰδίαν καὶ κοινὴν*, pro uno disjuncto geminae distributionis acciperet: quod cujusmodi fuerit, dilucidius fiet ipsius verbis appositis: *Ταύτην δὲ τὴν ἀπορίαν λύων ὁ Πορφύριος, διττόν φησίν ἐστι τὸ ὑποκείμενον, οὐ μόνον κατὰ τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς, ἀλλὰ κατὰ τοὺς πρεσβυτέρους. ἥτε γὰρ ἄποιος ὕλη, ἣν δυνάμει καλεῖ ὁ Ἀριστοτέλης, πρῶτόν ἐστι τοῦ ὑποκειμένου σημαινόμενον· καὶ δεύτερον ὃ κοινῶς ποιὸν, ἢ ἰδίως ὑφίσταται. κ. τ. λ.* Atque est haec intelligenda Divisio et Subdivisio: *ὑποκειμένου* Divisio, in *οὐσίαν* et *ποιόν· ποιοῦ* Subdivisio, in *κοινῶς ποιὸν*, et *ἰδίως ποιόν*. Hoc significat reprehendens Stoicos Plutarchus De Communibus Notitiis p. 1083, C, in declaranda materiae hac ipsa commutatione: *τί ἀξιοῦσιν οἱ πρόδικοι τῆς ἐναργείας οὗτοι καὶ κανόνες τῶν ἐννοιῶν; „ ἕκαστον ἡμῶν δίδυμον εἶναι καὶ διφυῆ καὶ διττόν·" οὐχ ὥσπερ οἱ ποιηταὶ τοὺς Μολιονίδας, οἰόμενοι τοῖς μὲν ἡνωμένους μέρεσι, τοῖς δὲ ἀποκρινομένους· ἀλλὰ δύο σώματα ταυτὸν ἔχοντα χρῶμα, ταυτὸν δὲ σχῆμα, ταυτὸν δὲ βάρος καὶ τόπον· καὶ ταῦτα ὑπὸ μηδενὸς ἀνθρώπων ὁρώμενα πρότερον· ἀλλ' οὗτοι μόνοι εἶδον τὴν σύνθεσιν ταύτην καὶ διπλόην καὶ ἀμφιβολίαν, ὡς δύο ἡμῶν ἕκαστός ἐστιν ὑποκείμενα, τὸ μὲν οὐσία, τὸ δὲ ποιός· καὶ τὸ μὲν* (scilicet *οὐσία*) *ἀεὶ ῥεῖ καὶ φέρεται, μήτε αὐξόμενον, μήτε μειούμενον, μήτε ὅλως οἷόν ἐστι διαμένον· τὸ δὲ διαμένει καὶ αὐξάνεται καὶ μειοῦται, καὶ πάντα πάσχει τἀναντία θατέρῳ, συμπεφυκὸς καὶ συνηρμοσμένον καὶ συγκεχυμένον, καὶ τῆς διαφορᾶς τῇ αἰσθήσει μηδαμοῦ παρέχον ἅψασθαι.*

Sic

Sic enim scripsisse videtur Plutarchus. Ad eamdem sententiam pertinent dicta Posidonii et Mnesarchi ex Stobaeo huc apposita, et cum his conferenda. Valuit eadem ratio ad loci de *Criterio* eam quaestionem quae est de *indiscretis:* quod novitii *Principium Indiscernibilium* usurpant. Nam quum Academici contenderent, duas aut plures res singulares adeo similes et aequales esse posse, ut nullo *Criterio* distingui possint; Stoici contra affirmabant, illo concesso fore ἕνα ποιὸν ἐπὶ δυοῖν οὐσιῶν· idque fieri non posse. Sic Plutarchus De Communibus Notitiis p. 1077, C: Ἀκοῦσαι τοίνυν ἐστὶν αὐτῶν καὶ γράμμασιν ἐντυχεῖν πολλοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς διαφερομένων καὶ βοώντων „ὡς πάντα πράγματα συγχέουσι ταῖς ἀ„παραλλαξίαις ἐπὶ δυοῖν οὐσιῶν ἕνα ποιὸν εἶναι βιαζό„μενοι." Καίτοι τοῦτο μὲν οὐκ ἔστιν ὅστις ἀνθρώπων οὐ διανοεῖται, καὶ τοὐναντίον οἴεται θαυμαστὸν εἶναι, καὶ παράδοξον, εἰ μήτε φάττα φάττῃ, μήτε μελίττῃ μέλιττα, μήτε πυρῷ πυρὸς, ἢ σύκῳ, τὸ τοῦ λόγου, σῦκον, ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ γέγονεν ἀπαράλλακτον. Ἐκεῖνα δὲ ὄντως παρὰ τὴν ἔννοιάν ἐστιν ἃ λέγουσιν οὗτοι καὶ πλάττουσιν, „ἐπὶ μιᾶς οὐσίας δύο ἰδίως γενέσθαι ποιοὺς, καὶ τὴν αὐτὴν οὐσίαν ἕνα „ποιὸν ἰδίως ἔχουσαν, ἐπιόντος ἑτέρου δέχεσθαι καὶ „διαφυλάττειν ὁμοίως ἀμφοτέρους." Εἰ γὰρ δύο, καὶ τρεῖς καὶ τέτταρες ἔσονται καὶ πέντε, καὶ ὅσους ἄν τις εἴποι, περὶ μίαν οὐσίαν· λέγω δὲ οὐκ ἐν μέρεσι διαφόροις ἀλλὰ πάντας περὶ ὅλην οὐσίαν ἀπείρους. λέγει γοῦν Χρύσιππος· „ἐοικέναι τῷ μὲν ἀνθρώπῳ τὸν

„Δία

„ Δία καὶ τὸν κόσμον, τῇ δὲ ψυχῇ τὴν Πρόνοιαν·
„ ὅταν οὖν ἐκπύρωσις γένηται, μόνον ἄφθαρτον ὄντα
„ τὸν Δία τῶν θεῶν, ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὴν Πρόνοιαν·
„ εἶτα ὁμοῦ γενομένους ἐπὶ μιᾶς τῆς τοῦ αἰθέρος οὐ-
„ σίας διατελεῖν ἀμφοτέρους." Ita Chrysippus in contrariam non minorem repugnantiam incidebat, ut δύο ἰδίως ποιοὺς ἐπὶ τῆς αὐτῆς οὐσίας, *duo individua in eadem substantia, admitteret.* Eodem nomine Chrysippum reprehendit Philo Judaeus De Mundi Incorrupt. Ed. Mangey. T. II, p. 501: Χρύσιππος οὖν ὁ δοκιμώτατος τῶν παρ' αὐτοῖς, ἐν τοῖς περὶ αὐξανομένου, τερατεύεταί τι τοιοῦτον· καὶ προκατασκευάσας ὅτι δύο εἰδοποιοὺς ἐπὶ τῆς αὐτῆς οὐσίας ἀμήχανον συστῆναι, φησίν, „ Ἔστω θεωρίας
„ ἕνεκα, τὸν μέν τινα ὁλόκληρον τὸν δὲ χωρὶς ἐπι-
„ νοεῖσθαι τοῦ ἑτέρου ποδός· καλεῖσθαι δὲ τὸν μὲν ὁλό-
„ κληρον Δίωνα, τὸν δὲ ἀτελῆ Θέωνα· κἄπειτα ἀπο-
„ τέμνεσθαι Δίωνος τὸν ἕτερον τοῖν ποδοῖν. Ζητουμέ-
„ νου δὲ πότερος ἔφθαρται, τὸν Θέωνα φάσκειν οἰ-
„ κειότερον εἶναι." Τοῦτο δὲ παραδοξολογοῦντος μᾶλλόν ἐστιν ἢ ἀληθεύοντος. Πῶς γὰρ ὁ μὲν οὐδὲν ἀκρωτηριασθεὶς μέρος ὁ Θέων ἀνήρπασται· ὁ δὲ ἀποκοπεὶς τὸν πόδα Δίων οὐχὶ ἔφθαρται; „ Δεόντως, φησίν·
„ ἀναδεδράμηκε γὰρ ὁ ἐκτμηθεὶς τὸν πόδα Δίων ἐπὶ
„ τὴν ἀτελῆ τοῦ Θέωνος οὐσίαν· καὶ δύο εἰδοποιοὶ ἐπὶ
„ τοῦ αὐτοῦ ὑποκειμένου οὐ δύναντ' εἶναι. Τοιγαροῦν
„ τὸν μὲν Δίωνα μένειν ἀναγκαῖον, τὸν δὲ Θέωνα ἐφ-
„ θάρθαι." Τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς Ἁλισκόμενα — φησὶν ὁ Τραγικός. Ἀπομαξάμενος γάρ τις τὸν τύπον τοῦ λόγου, καὶ ἐφαρμόσας

τῷ

τῷ παντὶ κόσμῳ, δείξει σαφέστατα, καὶ αὐτὴν φθειρομένην τὴν πρόνοιαν. Σκόπει δ' ὧδε. Ὑποκείσθω ὁ μὲν ὡσανεὶ Δίων, ὁ κόσμος· τέλειος γάρ. ὁ δὲ ὡσανεὶ Θέων, ἡ τοῦ κόσμου ψυχή· διότι τοῦ ὅλου τὸ μέρος ἔλαττον· καὶ ἀφαιρείσθω, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ Δίωνος ὁ ποῦς, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ κόσμου ὅσον αὐτοῦ σωματοειδές. Οὐκοῦν ἀνάγκη λέγειν ὅτι ὁ μὲν κόσμος οὐκ ἔφθαρται, ὁ τὸ σῶμα ἀφαιρεθεὶς, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἀποκοπεὶς τὸν πόδα Δίων· ἀλλ' ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ, ὥσπερ Θέων, ὁ μηδὲν παθών. Ὁ μὲν γὰρ κόσμος ἐπ' ἐλάττονα οὐσίαν ἀνέδραμεν, ἀφαιρεθέντος αὐτῷ τοῦ σωματοειδοῦς· ἐφθάρη δ' ἡ ψυχὴ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι δύο εἰδοποιοὺς εἶναι περὶ τὸ αὐτὸ ὑποκείμενον. Ἔκθεσμον δὲ τὸ λέγειν φθείρεσθαι τὴν πρόνοιαν· ἀφθάρτου δὲ ὑπαρχούσης, ἀνάγκη καὶ τὸν κόσμον ἄφθαρτον εἶναι. Haec quamvis longiora apponenda fuerunt, ut ratio quaestionis intelligeretur. Videtur autem, ut alia, hanc Chrysippi reprehensionem, potius ab alio Scriptore descripsisse, quam à se ipse habere Philo. Quod aliquoties scribitur εἰδοποιοὺς, debebat Stoice scribi ἰδίως ποιούς. Caeterum dedimus καὶ αὐτὴν φθειρομένην τὴν πρόνοιαν, omisso τὴν ante αὐτήν. Ex eadem ratione lux accendenda est M. Antonino X, 7. ubi de ortu et interitu, i. e., de permutatione, materiae disserens, hunc exitum disputationi facit: καὶ τὸ στερέμνιον, καὶ τὸ πνευματικὸν μὴ φαντάζου τὸ ἀπὸ τῆς γενέσεως· πᾶν γὰρ τοῦτο ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν ἐκ τῶν σιτίων καὶ ἑλκομένου ἀέρος τὴν ἐπιῤῥοὴν ἔλαβεν. τοῦτο οὖν ὃ ἔλαβε μεταβάλλει· οὐχ ὃ ἡ μήτηρ ἔτεκεν. ὑπόθου δ', ὅτι

ὅτι ἐκεῖνό σε λίαν προσπλέκει τῷ ἰδίως ποιῷ, οὐδέν ὄντι πρὸς τὸ νῦν λεγόμενον. Quae sic explananda videntur: *Solidum autem et spirabile, quod mutari diximus, ne putes illud esse, quod nascendo accepisti; hoc enim omne heri et pridie ex alimentis ac tracto aëre affluentiam et incrementum accepit: et ea pars, quam accepit, mutatur, non ea quam mater peperit: sic autem statue, illud incrementum te nimium ad te ipsum, ad tuam singularitatem et unitatem, omnino ad tuum individuum, adstringere; quod individuum non pertinet ad praesentem disputationem.* Priora ex disserendi nexu intelliguntur: postrema aliunde lucem requirunt. Igitur, τὸ ἀπὸ τῆς γενέσεως, et ὃ ἡ μήτηρ ἔτεκεν, est ipsa *anima*, quae secundum Stoicos in utero matris oritur: quod annotavimus ad Plutarchum De Sera Num. Vind. p. 84: quibus addatur Porphyrius Adv. Boëthum, apud Euseb. Praep. Evang. XV, p. 813, C, D: et Gatakerus ad M. Antonin. p. 107, et 357. Jam vero οὐσία continuo motu et mutatione agitatur; non anima, quamvis externo adfluente alimento nutrita; haec enim eadem manet, et hominem τῷ ἰδίως ποιῷ λίαν προσπλέκει, suae singularitati et unitati, et, ut ita dicam, *individualitati*, adstringit, facitque ut semper idem maneat. Neque hoc ἰδίως ποιὸν pertinebat ad praesentem disputationem; quippe cujus propositum erat γένεσις καὶ φθορὰ τῆς οὐσίας. Porro ὑπόθου reddimus *sic statue*, vi Verbi Medii, quasi *subjice tibi, admone te.* Quid autem illud vocabu-

bulum Stoicis valeat in definitione Mundi, ἰδίως ποιὸν eum nominantibus, jam apparet eos dicere *Mundum hunc esse, ex toto genere Mundorum unicum individuum, in quem omnis materia consumta sit.* Posidonii utraque sunt apud Diogenem Laert. VII, tam 137, quam 138: Λέγουσι δὲ τὸν κόσμον τριχῶς· αὐτόν τε τὸν θεὸν τὸν ἐξ ἁπάσης οὐσίας ἰδίως ποιὸν, ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. — καὶ ἔστι κόσμος ὁ ἰδίως ποιὸς τῆς τῶν ὅλων οὐσίας —. Laërtius haec tradit aliquanto Arcius Didymus apud Eusebium Praep. Evang. XV, p. 817, B: Ὅλον δὲ τὸν κόσμον σὺν τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσι προσαγορεύουσι θεόν. τοῦτον δὲ ἕνα καὶ μόνον εἶναί φασι καὶ πεπερασμένον, καὶ ζῶον, καὶ ἀΐδιον, καὶ θεόν· ἐν γὰρ τούτῳ πάντα περιέχεσθαι τὰ σώματα, κενὸν δὲ μηδὲν ὑπάρχειν ἐν αὐτῷ· τὸ γὰρ ἐκ πάσης τῆς οὐσίας ποιὸν προσαγορεύεσθαι τὸ κατὰ τὴν διακόσμησιν τὴν τοιαύτην καὶ διάταξιν ἔχον· — καὶ τὸ μὲν ἐκ τῆς πάσης οὐσίας ποιὸν, κόσμον ἀΐδιον εἶναι καὶ θεόν. Quam unitatem Mundi reprehendens Plutarchus De Orac. Defectu p. 423, E, Stoicos perstringit, loco adhuc inquinato, partim à nobis purgato in Annotatione nostrae editionis, sic autem plenius purgando: Ἐπεὶ καὶ τὴν φύσιν ὁρῶμεν τὰ καθ' ἕκαστα γένεσιν καὶ εἴδεσιν οἷον ἀγγείοις, ἢ καρποὺς σπέρματι, περιέχουσαν. οὐδὲν γὰρ ἐν ἀριθμῷ, τῶν ὄντων ἐστὶν, οὗγε μὴ λόγος ὑπάρχει κοινός· οὐδὲ τυγχάνει τῆς τοιᾶσδε

προσ-

προσηγορίας, ὃ μὴ κοινῶς ποιὸν, ἰδίως τ' ἐστίν. ὁ δὲ κόσμος λέγεται κοινῶς εἶναι ποιός· ἰδίως τ' αὖ ποιός ἐστιν ἐκ διαφορᾶς τῆς πρὸς ἄλλα συγγενῆ καὶ ὁμοειδῆ γεγονὼς τοιοῦτος. Disputatio eo pertinet ut ostendatur, in rerum natura nihil esse *singulare* cujus non sit genus commune ac *λόγος κοινὸς*, id est definitio, plura similia continens singularia; igitur plures esse Mundos, nec hunc unicum individuum in genere Mundorum. Dictio *ἐν ἀριθμῷ εἶναι*, respondet *individuo;* quo nomine minus veriti sumus uti, quod Graecis quoque utrumque hoc sensu usurpatum reperitur, qui subinde res singulares, *ἄτομα*, appellarunt. Caeterum in placito de *Indiscretis*, quod hodiernis dicitur *Principium Indiscernibilium*, Cicero Acad. II, 18 et 26, relicta Stoica subtilitate, quaestionem populari ratione ad Romanorum his in rebus nova et rudia ingenia accommodavit.

P. 52. De quinque his corporibus mathematicis, à Platone in condendo Mundo celebratis, diximus in Annotatione ad Phaedonem: cujus *δωδεκάσκυτος σφαῖρα* p. 85, nostrae editionis, ex hoc placito interpretanda est.

P. 61. Heraclides Ponticus quem significet hujus patronum sententiae, *Sole etiam manente, Terra autem mota, apparentem Solis inaequalitatem servari posse*, quaeri posset. Nam Aristarchum Samium, qui hoc placitum celebravit et libello hodieque edito *περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων Ἡλίου καὶ Σελήνης* prodidit, quominus intelliga-

gamus, temporum rationes obstare videntur; siquidem Aristarchus hic aetate Cleanthis Stoici fuit, ut apparet ex Plutarcho De Vultu Lunae p. 923, A: post Platonem, quod diserte colligitur ex Plutarcho Quaest. Platon. p. 1006, C, ante Archimedem, certo eo non posterior, quippe citatus ab eo in Arenario p. 319, 331: Cleanthes autem Zenoni in Stoa successit Olymp. CXXX, 1, A. C. 260: et Heraclides fuit auditor Platonis, cujus mors incidit in Olymp. CVIII, 1, A. C. 348. Praeterea hujus placiti patronus ab Heraclide dicitur παρελθών τις i. e. *aliquis praeteritus, qui vivere desiit*, quo indefinite praeteritum tempus significatur. Sane fuerit hic aliquis Pythagoricus qui inventum à Philolao inchoatum explicuerit. De cognita Veteribus ratione Copernicana multa exstant testimonia, quae apposuit doctissimus L. Dutens, in libro Gallice inscripto, *Recherches sur l'origine des découvertes attribuées aux Modernes*, T. I, p. 193, seq.: et nos hoc argumentum ad Plutarchi dictum locum attigimus. Nunc, ne tacendo errorem probare videamur virorum de Historiis bene meritorum, Montuclae in Histor. Disciplinarum Mathematicarum T. I, p. 110, et Xylandri, eumque sequentis Corsini ad librum Plutarcheum De Placitis Philosophorum, 24: Ἀρίσταρχος τὸν Ἥλιον ἵστησι μετὰ τῶν ἀπλανῶν, τὴν δὲ Γῆν κινεῖ περὶ τὸν ἡλιακὸν κύκλον —. qui pro Γῆν perperam ex Eusebio hunc locum citante Σελήνην legi volunt;

 quum

quum Γῆν et res ipsa, et Stobaeus Phys. p. 56, et omnes nostri libri, scripti editique, tueantur: quamquam ratio pleniorem sententiam hujusmodi requirit — τὴν δὲ Γῆν κινεῖ περὶ τὸν ἡλιακὸν κύκλον, τὴν δὲ Σελήνην περὶ τὴν Γῆν —. Illud ἵστησι et κινεῖ, ut alibi saepe, ita hoc loco est *stare censet*, *moveri censet:* quam significationem illustravit T. Hemsterhusius ad Thom. Mag. p. 187. Ipsius Heraclidis opinio de Motu Terrae est in libro Plutarcheo De Plac. Phil. III, indeque item apud Galenum Hist. Phil. Cap. XXI, at apud Eusebium Praep. Evang. XV, 58, rectius exhibita: Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς καὶ Ἔκφαντος ὁ Πυθαγόρειος κινοῦσι μὲν τὴν Γῆν, οὐ μήν γε μεταβατικῶς ἀλλὰ τρεπτικῶς, τροχοῦ δίκην ἐν ἄξονι στρεφομένην ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολάς. Paucis eum tangit Proclus ad Plat. Tim. p. 281.

P. 65. — οὐ τὰ σώματα τὰς ψυχὰς συνέχει, ἀλλ' αἱ ψυχαὶ τὰ σώματα. i. e. *non corpora animas continere, sed animae corpora.* Et verbum συνέχειν proprium hac in re, *servare, continere, sustinere, ne dilabantur:* et placitum, ut vere Platonicum, a Platonicis celebratum. Maximus Tyrius XV, 5, p. 169: Εἰ γὰρ τῷ σώματι τῷ φύσει φθειρομένῳ (ἡ ψυχὴ) παρέχει τὸ μὴ φθείρεσθαι, ἡνίκ' ἂν αὐτῷ συνῇ· πολλοῦ γε δεῖ φθαρῆναι αὐτήν. Ἐν γοῦν τῇ συστάσει τὸ μὲν σῶμα συνέχεται, ἡ δὲ ψυχὴ συνέχει. Εἰ δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἕτερόν τι συνέχει, ἀλλὰ μὴ αὐτὴ αὑτήν· τί τοῦτο ἔσται καὶ τίς ἂν ἐπινοήσαι ψυχὴν ψυχῆς; κ. τ. λ. Plotinus En-

Ennead. IV, III, p. 387, E: *Εἰ δέ γε ὁρατὸν ἡ ψυχὴ καὶ αἰσθητὸν ἦν, περιειλημμένον πάντη τὴν ζωὴν, καὶ μέχρις ἐσχάτων οὖσα εἰς ἴσον, οὐκ ἂν ἔφαμεν τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι εἶναι· ἀλλ' ἐν τῷ κυριωτέρῳ τὸ μὴ τοιοῦτον, καὶ ἐν τῷ συνέχοντι τὸ συνεχόμενον, καὶ ἐν τῷ μὴ ῥέοντι τὸ ῥέον.* Porphyrius apud Euseb. Praep. Evang. XI, p. 556, A: *ἡ ψυχὴ — ἐν τῷ θνητῷ, καὶ λυτῷ, καὶ ἀνοήτῳ. καὶ καθ' ἑαυτὸ νεκρῷ, καὶ ἀεὶ ἀπολλυμένῳ, καὶ διαῤῥέοντι εἰς τὴν τῆς ἀπωλείας μεταβολὴν (σώματι) κατορωρυγμένη, αὐτό τε ποιεῖ καὶ συνέχει, καὶ τὴν ἑαυτῆς θείαν ἀναδείκνυσι οὐσίαν —.* In eadem re dixit *κατέχειν* Numenius ibid. XV, p. 819: *περιέχειν*, de Anima continente et circumdante Mundum, Plutarchus Quaest. Plat. p. 1002, B: *τὸ περιεχόμενον ἔλαττόν ἐστι τοῦ περιέχοντος.* Olympiodorus in Plat. Phaedon. Cod. I, p. 74: *εἰ ἡ ψυχὴ συνέχει τὸ σῶμα, πρὸς τὸ εἶναι αὐτιωδεστέρα ἐστὶν αὐτοῦ καὶ κυριωτέρα —.* Augustinus De Quantitate Animae T. I, p. 322, F. — *Anima — corpus hoc terrenum atque mortale praesentiâ suâ vivificat, colligit in unum, atque in uno tenet* (i. e. *συνέχει*), *diffluere atque contabescere non sinit.* Sextus Empiricus Advers. Mathem. IX, 72, Stoicam disputationem contra Epicureos promens: *καὶ οὐχ, ὡς ἔλεγεν Ἐπίκουρος ἀπολυθεῖσαι (αἱ ψυχαὶ) τῶν σωμάτων, καπνοῦ δίκην σκίδνανται· οὐδὲ γὰρ πρότερον τὸ σῶμα διακρατητικὸν ἦν αὐτῶν· ἀλλ' αὗται τῷ σώματι συμμονῆς ἦσαν αἴτιαι, πολὺ δὲ πρότερον καὶ ἑαυταῖς.* Epicuri opinionem, de corpore animam ut vas ali-

aliam materiam continente, prodita extat in Diogene Laërtio X, 64. Lucretius scholae fines migrans, ut poeta, captat comparationem huic decreto adversantem: *Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis Sustineat corpus tenuissima vis animaï; Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta est.*

P. 67, 68. In loco Cleomedis, ratio ubique eosdem numeros postulat 300; igitur Balforeus recte sic restituit in editione sua Burdigalae facta, p. 79.

P. 68. *Solem Mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam Terram:* quod ait Cicero Acad. II, 26, videtur accepisse ex antiquissimis Arati interpretibus, ex quibus item fluxisse credibile est id quod nunc quoque legitur in Scholiis ad Phaen. 541: ὁ Ἥλιος παρὰ τοῖς Μαθηματικοῖς ἐπιστεύθη τῆς Γῆς ὀκτωκαιδεκαπλασίων ὤν· καὶ ἡ πᾶσα Γῆ τοῦ μεγέθους αὐτοῦ ὀκτωκαιδέκατόν ἐστι —. Prope accedit Achilles Tatius in Commentar. ad Arati Phaen. Cap. XX, p. 82: Μέγεθος Ἡλίου μεῖζον Γῆς φασι· καὶ οἱ μὲν ποδιαῖον, οἱ δὲ ὀκταπλάσιον, οἱ δὲ ἐννεακαιδεκαπλάσιον. Attigit et P. Faber ad Cic. l. l.

P. 71. Plinii H. N. II, 21: *Inde ad Solem quinquies millies:* ex antecedentibus subaudienda sunt *centum millia stadiorum;* ut summa sit stadiorum, 100,000, multiplicata cum 5,000. Ita quidem nuda ratio grammatica suadet.

P. 74. versu ultimo, in annotatione nostra ad Plu-

Plutarchum De Vultu Lunae p. 932, C, legitur, quod res postulat σκιᾶ, non σκιᾶς.

P. 82. De *Thera* et *Therasia*, diximus ad Plutarchum De Orac. Defect. p. 399, C.

P. 85. Rationem Graecorum Veterum *de Ventis*, ejusque cum Recentiorum ratione comparationem nuper docte explicuit Corayus, natione Graecus, vetere Graecia dignissimus, ad *Hippocratis* librum *De Aëribus*, *Aquis*, *Locis* (editum Parisiis a. MDCCC.) p. 73, Proleg.

P. 89. Ἡ σὺν Ῥόδος καὶ ἡ Ἀλεξάνδρεια ὑπὸ τῷ αὐτῷ κεῖνται μεσημβρινῷ. Sic et Balforeus edidit p. 50, et legendum monuit, Commentar. p. 215.

P. 91. Et haec est acuta Bakii correctio, in Strabone II, p. 161, A, pro Εὔρῳ legentis Ζεφύρῳ, nec animadversa Tyrwhitto, in Conjecturis Strabonianis, digna sane hujus acumine; nam novissimum editorem Lipsiensem hoc praetermisisse, minus mirandum est.

P. 101. In Strabone II, p. 155: πλὴν ἢ νήσους τινὰς βούλονται λέγειν· levi mutatione ἢ mutandum in εἰ.

P. 102. Βεργαῖον διήγημα, nomen ab Antiphane Bergaeo venit, notae scriptore fabulositatis: de quo nos dicemus in Addendis ad Tomum I, Animadvers. in Plutarchum, qui illum significare videtur in libro De Progressu Virtutis Sentiendo p. 79, A.

P. 105. In Strabone III, p. 261, B, αὐθερὸν,

 lo-

locum cedere debebat vero *αὐθωρὸν*, *eâdem horâ.* Sic Suidas in Voce: Pollux V, 102.

P. 109. Ejusdem Strabonis falso in editis exemplis II, p. 162, A, fertur τὴν ἑτέραν οἰκουμένην, ἣν οὐκ εἶδεν Ὅμηρος· quod valet *quam non vidit Homerus*, quum requiratur οἶδεν, *quam non novit Homerus:* quod Bakius vere sic corrigendum monuit p. 111. Late autem patet hic usus verbi εἰδέναι, οἶδεν, ᾔδει, *nosse*, *novit*, pro *memorare*, *memoravit*, multis Veterum locis observatus nobis, alibi prodendis, qui ignoratus facile in errorem inducat interpretes recentiores horumque auctoritatem sequentes alios: cujus rei unum adferre exemplum juvat. Plutarchus in Romulo p. 24, A, scribit, perhiberi, qua die Roma condita sit, Solis defectum accidisse, σύνοδον ἐκλειπτικὴν — γενέσθαι Σελήνης πρὸς Ἥλιον, ἣν εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται τὸν Τήϊον ἐποποιὸν, ἔτει τρίτῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος συμπεσοῦσαν· quod Cruserius vertit, *quem defectum Antimachum vidisse Tejum poetam Lyricum arbitrantur:* qua interpretatione homines etiam doctissimi decepti, hunc Antimachum ad Olympiadem sextam retulerunt: in his Fabricius Bibl. Gr. Vol. I, p. 570, quem secutus est Schellenbergius in eruditissimo libro *Antimachi Colophonii Reliquiae* inscripto. Quamquam Cruserius ejusdem erroris socios habuit Xylandrum, Amyotum, Dacierium. Nam mitto quod ἐποποιὸν reddidit *lyricum poetam*, nec *Solis* sed *Lunae defectum*, fecit: in quorum postremo Amyotus quoque

que lapsus est. Ergo non *vidit*, sed *memoravit*, *memoriae prodidit*, illum Solis defectum: et multis postea saeculis fuisse potuit Antimachus. Qui, caeterum idem an alius sit ac nobilis ille Colophonius, et qua fuerit aetate, levia, nec tamen abjicienda, exstant indicia, in aliud nobis tempus rejicienda.

P. 114. Σύροι et Σύριοι promiscue dicuntur in Veterum libris Syriae regionis incolae; sive communio ista sit ab ipsis scriptoribus, sive à descriptoribus. Magis tamen eam ab his, quam ab illis, venisse putem: et hujusmodi rationem probem; ut Σύροι habeatur ἐθνικὸν, *gentile*, ac de hominibus dicatur: Σύριος autem κτητικὸν, de rebus ad Syriam pertinentibus usurpetur. Huc et analogia ducit, et major exemplorum numerus. Nam insula Σύρος minorem habet dubitationem, quin ejus ἐθνικὸν sit Σύριος, ac v. c. Pherecydes *Syrius*, non *Syrus*, cognomine insigniatur. Conferendi sunt Stephanus Byz. in vocibus Σύροι et Σύρος· ac Davisius ad Ciceronis Tusc. I, 16.

P. 119. Herodoti sophisma IV, 36: εἰ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ ὑπερνότιοι ἄλλοι· attigimus in Disputatione De Placito Immortalitatis, Capite V, De Platone, p. XXXVI, quod locupletatum Phaedoni praeposuimus.

P. 121. Strabonis VII, p. 454, B. καπνοβάτας nec sanum, et à multis tentatum, fortasse exstiterit ex veriore vetere lectione ἁγνοβιώτας.

P. 125. Strabonis III, p. 259, B: ψεῦσμα Φοινι-

νικικόν, habet proverbii vim: de quo nonnulla notavi in Adversariis ad Platonem Rep. III, p. 443, F: quaedam Ruhnkenius ad Scholiastam Plat. p. 357: dixit et Erasmus Adag. p. 751.

P. 144. Initium Regni Parthorum idem Vaillantius in Imper. Arsacidarum T. I, p. 2, ponit anno Aerae Seleucidarum 57, Ante Nostram Aeram 256. At H. Valesius ad Ammianum Marcell. XXIII, 6, p. 396, Olymp. CXXXII, 2, qui incidit Ante Nostr. Aer. in 251 — 250, Aer. Sel. 62. Sed variant docti viri iterum, quamquam consentientes in annis Consulum M. Atilii Reguli et L. Manlii Vulsonis. Illam Vaillantii rationem sequitur etiam novissimus scriptor Car. Fred. Richterus in libro Germanice scripto *De Arsacidarum et Sassanidarum Dynastia*, p. 25.

P. 145. Ἔσφηλέ σε, Ἀντίοχε, θάρσος καὶ μέθη. Videtur parodia Tragici cujusdam versus esse, sic fere concepta: Ἔσφηλε δ', Ἀντίοχε, σὲ θάρσος καὶ μέθη.

P. 149. ἀπεύστης acute corrigit Bakius: sed proximo loco Athenaei V, p. 210, F, acquiescam in Casauboni ratione.

P. 158. Athenio apud Mithridatem, ὑποδραμὼν τὸν βασιλέα, τῶν Φίλων εἷς ἐγένετο, μεγίστης τυχὼν προαγωγῆς. Sic enim legendum προαγωγῆς, *maximam apud eum nactus promotionem*, ut vulgo loquuntur, i. e. *ad praecipuam ab eo provectus dignitatem:* non, προσαγωγῆς, quod Dalecampius vertit, *facillimum ad illum accessum obti-*

tinuit. Plutarchus De Animi Tranquill. p. 466, C: προαγωγὰς ἐν ταῖς αὐλαῖς διώκουσι. Institut. Lacon. p. 236, A: λέγοντος, τεύξεσθαι αὐτοὺς τῆς ἴσης τιμῆς τοῖς μάλιστα ἐν προαγωγῇ φίλοις τοῦ βασιλέως. Notarunt hunc usum Stephanus Thes. L. Gr. T. I. p. 85, et Wesselingius ad Diodor. Sic. T. II, p. 293, et 304. Transtulerunt Stoici ad sua προηγμένα· quo in genere fuisse suspicor Plutarchi verba, nunc per lacunam interrupta, De Communibus Notionibus Adv. Stoicos p. 1072, E. Disertior est Stobaei locus Eclog. Ethic. p. 174: οὐδὲ γὰρ ἐν αὐλῇ τῶν προαγομένων εἶναι τὸν βασιλέα, ἀλλὰ τοὺς μετ' αὐτὸν τεταγμένους. Quae ipsa Zenonis verba esse, quem Stobaeus describere solet, apparet etiam è Cicerone De Finib. III, 6: *Ut enim inquit (Zeno), nemo dicit in regia regem ipsum productum esse ad dignitatem, id enim est* προηγμένον, *sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo maxime accedit ut secundus sit ad regium principatum: sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent*, προηγμένα, *id est producta, nominentur.*

P. 160. Qui sint *Carthaginienses* legationem ad Mithridatem mittentes; quum haec ut A. V. 665 facta narrentur, Carthago autem A. V. 608 deleta fuerit; difficile est statuere. Forte fuerint reliqui in vicinis oppidis Poeni, Adrumeto, Tuneto, Utica, aliis. Nam de Nova Carthagine in Hispania quo minus cogitemus obstant temporum

rationes; siquidem postea demum, Sylla reduce, Sertorius Hispaniam obtinuit, et cum Mithridate societatem belli conciliavit. An vero haec ad κόμπους pertinuerunt, quos credulis Atheniensibus venditavit?

P. 161. στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων. Leviter perstrinxit Casaubonus. Alii deinde attigerunt; sed inter se dissentientes. Intelligendum esse στρατηγὸν τῶν ὁπλιτῶν, *peditum*, qui distinguatur à *praefecto equitum*, contendit Taylorus ad Demosthenis Orat. Pro Corona, P. 318, B: Annot. Edit. Reisk. Vol. IX, p. 210. Alia ad Plutarchum dabimus.

P. 160 — μὴ ἀνέχεσθαι τῆς ἀναρχίας, ἣν ἡ Ῥωμαίων Σύγκλητος ἐπισχεθῆναι πεποίηκεν —. i. e. *non ferre perturbationem ordinis, quam Senatus R. cohiberi fecit:* oratio est non conveniens ei, qui Romanos reprehendat: at conveniat ἐπιχυθῆναι, *effundi in nos, invalescere.*

P. 167. Non quidem de verbo ἀναδεικνύναι, sed de ἀποδεικνύναι τινα σοφὸν, *alicujus dictum suis factis comprobare*, nostra est annotatio ad Phaedonem p. 181. At illud ἀναδείξας αὑτὸν τύραννον, in Adversariis notavimus ad Plutarchum, qui sic locutus est Timoleonte p. 237, E: ἀνέδειξεν αὐτὸς ἑαυτὸν τύραννον. Arato p. 1028, D: Πασίαν — Νικοκλῆς δολοφονήσας, ἑαυτὸν ἀνέδειξε τύραννον. In verbis autem Athenaei, V, p. 213, F, alterum ἀναδείξας ex priore repetitum putem, sequentem sententiam satis per se regente. Caeterum illud de

Py-

Pythagoricis ita et semper antea accepi, et nunc quoque accipio, non ut à Posidonio scriptum, sed ut ab Athenaeo ex Theopompi et Hermippi libris interpositum. Abhorret ab ingenio Posidonii: convenit in mores Theopompi et Athenaei; quorum uterque se Philosophiae et Philosophorum osorem ostendit.

P. 168. Ἀλλ' εἴσεισιν ἤδη. Fortasse sanum, et δεικτικῶς, i. e. *demonstrative*, accipiendum: *Sed ecce! jam ingreditur.*

P. 171. Vitae Marcelli exordium non satis perpurgatum editur. Me quidem judice, vera lectio requiritur Μάρτελλον.

Ibid. Et mihi displicet συνηθείᾳ, *consuetudini*; quod fortasse per librarii errorem exstiterit ex veriore lectione συνεχείᾳ, *vehementiae*, *assiduitati*. Adjectivum συνεχής, ita usurpari notavimus ad Plutarchi Moral. p. 73, B.

P. 175. De toto hoc Athenaei loco, qui est de servitute populorum, vel vi vel sponte apud alios populos servientium, plena est exquisitae eruditionis animadversio Ruhnkenii ad Timaei Gloss. Platon. Voc. Πενεστικόν. in altera editione p. 212.

P. 177. Pyrrhonis idem factum memorat Plutarchus De Progressu Virtutis Sentiendo, p. 82, E: quem locum non ad Diogenem Laërtium attulerunt hujus interpretes.

P. 189. Quadruplex haec Virtutis distributio in Prudentiam, Fortitudinem, Justitiam, Tempe-

ran-

rantiam, jam à Platone, et ante eum à Pythagoricis, celebrata erat; quod monuimus ad Phaedonem p. 172.

Ibid. Virtus doceri nec ne posset, quaestio fuit inter vetustiores Philosophos: estque hoc ipsum argumentum libelli Plutarchei, Ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή, inter Moralia p. 439: ubi plura dicemus.

Ibid. *εἶναι δὲ καὶ τὴν κακίαν ὑπαρκτὴν, διὰ τὸ ἀντικεῖσθαι τῇ ἀρετῇ.* Sic Stoici originem mali interpretabantur: quorum rationem exagitat Plutarchus Advers. Stoicos p. 1066, 1067: ubi alia quoque notamus. Fluxit autem ista ratio ex Stoico commento, *cuique rei contrariam esse aliam*: de quo exposuimus in Diss. De Placito Immortalitatis Animor. Cap. V, quod praemisimus, p. XXXVII (*).

P. 201. *συγγνώμη γὰρ ἀνθρώπῳ γε ὄντι καὶ ἁμαρτάνοντι, ὡραῖόν τι.* Postrema duo vocabula corrupta esse, facile animadvertitur. Sic tamen et Charteriana editio habit T. V., p. 159, C: ubi interpres Latinus reddit — *condonandum enim est ei, quum homo sit, et juvenile quiddam peccet*: quod non magis probari potest, quam Graecum mendum. Multa in mentem veniunt, magis ad literarum ductus, quam ad sententiam, accommodata, *ἢ μὴ ὁρῶντι, ἢ μωραίνοντι*, alia: minus displiceat *καίριόν τι*, *peccanti, erranti aliquid praecipuum.*

P. 203. *εἰρῆσθαι δόξαν.* Sic et Charteriana, p.

151,

(*) [Hujus Vol. pag. 118.]

151, C. Sententia tamen flagitat, *εἰρῆσθαι ἔδει δόξαν* —.

Ibid. *ἐκπίπτει*. Natum ex antegresso *προσπίπτον*. Exquisitum *ἐκπτοεῖ*, acute expromsit Bakius. Poterat etiam scriptum fuisse frequentius *ἐκπλήττει*.

P. 207. Legam *μέγα μὲν πάθος ἐμφαίνει, οὐ καλῶς δὲ ὑπολαμβάνειν ἐστί*.

P. 208. *μετασυνεθιζόμενον* — proxima deinceps quaedam excidisse videntur.

Ibid. *τινες τῶν μεγάλων νομιζόντων*. His subjectum fuisse *εἶναι* putem: i. e. *quidam eorum, qui se magnos esse putant*.

P. 209. *καθήκει* si mutetur in *καθήκειν*, nondum tamen sententia expletur; quae plures desiderat partes ab librariis illas omissas.

P. 211. — *ἐπιφωνοῦντας, ἐὰν ἀπολέσθαι τοῦτό μοι νῦν συμφέρει*. Est senarius vel Euripidis, vel Menandri; quem item sine auctoris nomine apponit Plutarchus De Virt. Mor. p. 446, A: *οὐχ' ἧττον δὲ τούτων ὁ εἰπὼν, „Ἔα μ' ἀπολέσθαι· τοῦτο γὰρ „μοι συμφέρει·" τὴν κρίσιν ἔχει τῷ πάθει συναινοῦσαν*. Cum simili eum dicto comparavimus ad librum De Superstit. p. 168, B.

P. 212. *τὰ ἑξῆς*. Est vel Galeni, vel librarii, quaedam se omittere significantis.

P. 214. *καθίσταται*. Retineam, ut sanum, et sententiae congruum, quae valet, *perturbationes enim sedantur*.

Ibid. *παριστάναι τὴν τοῦ πάθους ἀλογίαν*· accipio, os-

ostendere perturbationem esse expertem rationis.

P. 219. *κατήχησις* et *κατηχεῖσθαι* jam illa aetate dicebatur de institutione per vivam vocem facta. Forte Chrysippus verbum non ex eleganti illa metaphora, *aurium aliqua oratione circumsonantium*, sed ex vulgari usu suscepit. Postea autem elegantiores etiam Scriptores usurparunt: quorum, ut aliorum, exempla apposuit J. J. Wetstenius ad Lucae Euang. I, 4: et ante eum Fabricius ad Sextum Empir. Adv. Mathem. V, 5, p. 285: Moses Solanus ad Luciani Asin. T. II, p. 616. Mangejus ad Philonem Jud. p. 1020, E.

P. 223. Daemon cujusque et proprius, et communis Universi, secundum et Stoicos et alios Vetustiores, argumentum nobis fuit animadversionis ad Plutarchi Quaest. Platon. I, in Bibliothecae Criticae P. IX, p. 16.

P. 224. In Galeni verbis postremis sic legendum putem —: *μὴ μέντοι γε πρὸς τὸ κατ' ἐμπειρίαν τῶν κατὰ τὴν ὅλην Φύσιν συμβαινόντων ζῆν, ὅπερ ἰσοδυναμεῖ τῷ ὁμολογουμένως εἰπεῖν ζῆν, ἡνίκα μὴ τοῦτο μικροπρεπῶς συντείνειν εἴς τι τῶν ἀδιαφόρων τυγχάνει.*

Ibid. in Stobaeo, *σκοπὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ ἐκκείμενον δῶμα, οὗ τυχεῖν ἐφίεσθαι τοὺς τῆς εὐδαιμονίας σκεπτομένους*, vitiosum *δῶμα* Canterus mutatum volebat in *σῶμα*. Heerenii editio T. II, p. 136, praebet *σῆμα*, *signum:* utrumque rectius vulgato: quamquam non debebat editor de suo edere *σῆμα*, quum codices scripti ei praeberent *σῶμα*. *Σκέ-*

πτε-

τεσθαί τινος, novum accidit; fortasse vetus auctor scripserat στοχαζομένους, quod cum Genitivo jungitur, et hac in re proprium est.

P. 226. Damoni tribuit quoque id factum Martianus Capella Lib. IX, p. 369: at Pythagorae Quinctilianus Instit. Or. I, 10: et Jamblichus Vit. Pythag. §. 112, ubi auctoritatis varietatem etiam notat Kusterus.

P. 229. Cleanthis sunt ἀμοιβαῖα, alterna, interrogantis λογισμοῦ, et respondentis θυμοῦ· sic igitur legenda:

Λ. Τί ποτ' ἔσθ' ὅ, τι βούλει θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.
Θ. Ἔχω, λογισμὲ, πᾶν ὃ βούλομαι ποιεῖν.
Λ. Βασιλικόν γε. πλὴν ὅμως εἶπον πάλιν.
Θ. Ὅσ' ἂν ἐπιθυμῶ, ταῦθ' ὅπως γενήσεται.

Secundi versus sententia est, *Possum, ó Ratio, facere quidquid volo: non est, quod me interroges quid velim, quasi pro me tu id factura sis.* Nec Ἔχειν ineptum sit. Vulgatam lectionem iteravit H. Stephanus in Poesi Philos. p. 52.

P. 239. In Posidonii sententia, à Plutarcho prodita De Procreatione Animi in Timaeo, p. 1023 B: τά τε γὰρ μαθηματικὰ τῶν πρώτων νοητῶν μεταξὺ καὶ τῶν αἰσθητῶν τετάχθαι· *mathematica enim medio loco posita esse inter prima intelligibilia et sensibilia:* non est quod hanc ab omnibus libris confirmatam lectionem repudiemus.

Haec fuerunt, mi Baki, quae ad tuum librum an-

annotarem: pauca sane pro ejus argumenti amplitudine et varietate; quando alia mihi tua diligentia industriaque praeripuit. Reliquum est, ut te adhorter, non quidem ut institutum Literarum iter persequaris; quippe quod facis, et semper facies: sed ut ne retardari te sinas, si quid fortuna impedimenti tibi objecerit: eamque fortitudine et constantia vincas, ut ille à vate admonitus:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet. —

Scripsi ruri d. x. Mart. a. MDCCCX.

PRO-

PROTREPTICUS

DICTUS

D. XVIII SEPTEMBR. A. MDCCCX,
INSTAURANDIS SCHOLIS,
ET DISCIPULIS AD LITERARUM
STUDIA CONFIRMANDIS.

EX MISC. DOCTR. LIB. II. p. 173, sqq.

Q. B. F. F. Q. S.

Est hic nobis, Auditores Ornatissimi, quotannis usurpatus mos majorum, ut in principio scholarum post exactas ferias instaurandarum Deo O. M. gratias agamus, quod nobis sanis ac valentibus reditum ad haec studia celebranda concesserit. Quam gratiarum actionem si umquam juste debiteque exsolvi, certe nunc pie religioseque exsolvere debeo. Meministis enim, A. A. O. O., qui quidem tunc adfuistis, me sub finem superiorum scholarum, exeunte proximo mense Junio, vobis valedicentem optasse,

atque adeo ab immortali Deo precatum esse, ut nobis rursus, finitis feriis, hanc bonarum Literarum institutionem repetere liceret, integra valetudine, integris rebus nostris, salva Academiâ, salva patriâ. Jam convenimus ad hanc Literarum institutionem repetendam, integra quidem, ut videmur, valetudine: rebus autem integris, salva Academia, salva patria, affirmare non item possumus. Et arguit discipulorum paucitas, parentum angustiis discessum veteranorum multo frequentiorem accidisse quam adventum novitiorum. Quid enim interea evenerit, nemo nescit: fortunas plurimorum afflictas: Academiae dubiam sortem: patriam Francico provinciam imperio adjectam. Atque hoc non eo valere debet, ut putemus nullam nos amplius patriam habere, nullam nobis ejus jam rationem ducendam esse, nullam porro caussam exstare, quare Literis studere operae pretium sit. Qui error multorum animos occupavit: perniciosus sane, et diligenter confutandus cum à caeteris doctoribus, tum à me: qui, et antea vos ad Literarum studia excitans, haud postremum argumentum à patriae caritate repetere solebam. Et recordamini profecto, Auditores veterani, me subinde vos hujusmodi fere oratione ad optimarum artium disciplinam cohortatum esse

Unicuique, inquam, homini, in hac vitâ, tamquam in civitate, à summo ejus civitatis principe et rectore Deo sua persona officiaque imposita sunt. Et, ut ex meis vestrisque officiis nunc unum,

quod

quod ad rem praesentem attinet, memorem; meum est *docere*, vestrum *discere*. Hoc autem, quod *discere* vocamus, quid est, quodnam propositum habet? Scilicet, ut mentem rerum praestantissimarum cognitione repleamus, ingenium ad veri perspicientiam acuamus, animum ad omnis virtutis honestatisque amorem formemus, ad omnemque vitae actionem instruamus; ut et nobis ipsis, et nostris, et caeteris civibus totique patriae, et reliquis hominibus, quoad ejus fieri potest, utilitati, emolumento, et saluti, esse possimus. Videtis hanc discendi legem ab ipsa natura proficisci, eamdemque continere tria illa officiorum genera, erga Deum, erga nos, erga alios: continere item horum officiorum effectricem virtutem, quatuor harum partium descriptione ab Antiquis celebratam, prudentia, fortitudine, temperantia, justitia: quarum adeptione summum bonum et vita beata censetur.

Haec et alia his consentanea vobis antea proponere solebam. Nunc in praesentem veniamus quaestionem, an patriam amiserimus, et, simul cum ejus amissione, à discendi officio ac necessitate soluti simus. Quod si igitur illis concedamus, qui putant nos nullam amplius patriam habere: quorum falsam esse opinionem, et supra monuimus, et postea magis intelligemus: sed ut illis concedamus hoc, quomodo tandem ostendent, huic esse consequens, ut à discendi officio ac necessitate soluti simus? Nonne in illa

tripertita officiorum distributione, ut sint erga Deum, erga nos, erga alios, patria profecto est in tertio genere, quod est erga alios: ejusque, magnam quidem, sed tamen non nisi partem obtinet. Nostis profecto Ciceronis egregiam illam: quamquam quid Ciceronis non est egregium? nostis igitur explicationem graduum progressuumque humanae societatis à Cicerone, Officiorum I, 17, proditam: ubi consignata etiam est illa quasi divinitus emissa vox: *Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Sane! *Si ei sit profuturus*, dulce et decorum est pro patria mori: sed si morte nil profuturus sit, dulce et decorum est pro patria vivere. Et quum patria sit pars tertii generis, quo continentur *alii* omnes homines praeter nos ipsos; fac patriam aut exstinctam aut amissam esse, remanent omnino parentes, nati, fratres, cognati, affines, familiares, amici, cives, propinqui, exteri, totum denique genus humanum, quod communi nobiscum naturae et humanitatis vinculo consociatum est. Atque his omnibus prodesse, et proximum quemque maxime juvare ac tueri debemus: neque id nisi discendis bonis artibus consequi possumus. Fac tandem esse, qui ab

ab omni humano consortio segregatus in deserta insula vivat, is tamen hoc ipse erga se officio tenebitur, ut rerum utilium cognitione se instruat, qua se servet ac sustentet; ut in illa solitudine, quidquid est vitae, ad Naturae Legem dirigat, quae in cogitando agendoque posita, jubet rerum divinarum humanarumque cognitione ad virtutem contendere. Neque vero quisquam vel in hoc terrarum orbe, vel in aliquo totius universi angulo ita seclusus ab omni consortio et desolatus cogitari potest, ut ab officiis erga Deum vacet, ac solutus censeatur. Deus omnium rerum creator et communis parens nos, ubicumque simus, amplexu suo et quasi sinu continet: in hoc vigemus, vivimus, degimus: ab hoc quisque non magis quam à se ipso discedere potest: hujus ea est nobiscum conjunctio, ut neque nos ejus potestatem praesentiamque effugere possimus, nec ipse nos desertos abjectosque relinquere velit: hujus voluntas est illa, de qua diximus, Naturae Lex, jubens nos recte agere, id est virtuti studere, ad eamque à Sapientia, quae est rerum divinarum humanarumque scientia, proficisci. Ergo si aeternae hujus Legis tanta est vis, ut eos etiam teneat, si qui à caeterorum omnium hominum communione seclusi degunt: quanto magis vos ea Lege teneri par est, qui in civili societate vivitis, qui in eadem, qua antea, vivitis, in qua parentes vestros, fratres, cognatos, affines habetis: vos qui aetate ineuntis adolescentiae floretis: qua

vestrum officium est, indita vestris ingeniis à Deo creatore semina virtutis sapientiaeque ad harum proventum maturitatemque excolere: qui, hoc ipso fructu proposito, à parentibus tutoribusve vestris, in hanc bonarum artium officinam, Leidensem Academiam, missi estis.

Ac ne quis nos arguat temere agere, quod de patria disserentes, nec definitionem ejus, nec generis in formas distributionem apponamus; possumus sane in re perspicua communem sequi notionem, qua patria dicitur terra illius nationis, in qua quis natus est, cujusque nationis partem obtinet. Cum notione enim patriae omnino conjunctas esse notiones terrae et nationis vel Nomades documento sunt: qui nullius certae sedis in domicilio fixi, tamen illum hominum gregem, in quo nati sunt, illudque terrarum spatium, in quo vagantur, patriam suam censent. Est vero vel naturalis cuique patria, vel adoptiva: veluti Batavia vobis naturalis est, mihi adoptiva. Et Athenarum urbs fuit adoptiva plerorumque philosophorum et hominum doctorum patria, qui eam docendo illustrarunt: eademque caussa et semper fuit, et hodieque est celebriorum scholarum: ex quibus unam hanc Lugduno-Batavam, inque ea unam Humaniorum Literarum cathedram memoremus; in qua hanc disciplinam fundavit Josephus Scaliger, tutatus est Vossius, Salmasius, J. F. Gronovius, Ruhnkenius, egregii viri: quorum Batavia adoptiva fuit patria; quae eadem naturalis fuit

fuit patria magnorum virorum, qui tamquam Scaligeranae disciplinae propagines eamdem cathedram ornarunt, Perizonii, Burmanni, Oudendorpii, Valckenarii. Ego vero Ruhnkenii Valckenariique discipulus ac successor, quod natus civis Helvetius, me civem Batavum fero, et hanc vobiscum communem meam patriam appello, profecto non mirabimini, A. A. Multi sunt anni quod Batavia me sibi civem, et ego mihi illam patriam adoptavi. Idque ego publice professus sum in Oratione habita Amstelodami a. MDCCLXXXV, auspicandae Literarum Historiarumque cathedrae, his ipsis verbis ad Consules Curatoresque, Viros Amplissimos, utens: *Ego*, inquam, *cum per duo deinceps in hac urbe gesta docendi munera, tum per magnam ejusdem cum natali mea patria similitudinem, morum, legum, institutorum: his igitur caussis paulatim factum est, ut ad hanc urbem, veluti ad alteram patriam, cum animo sensuque adhaerescerem, tum judicio et voluntate me applicarem.* Fuit autem haec applicatio non solum jure civitatis, sed sensu quoque et affectu; ut quoties me naturalis repetebat, toties adoptiva retineret. Et tunc haec florebat, et nos cum illa florebamus: nunc, ut lenissime dicamus, defloruit, et nos deflorescimus: neque tamen idcirco minus eumdem erga eam animi sensum affectumque obtinemus.

Age vero! ab hac subtiliore disputatione ad historiam nos et exempla convertamus, videamus,

quid sit illud *patriâ carere:* et an haec nostra nunc sors et caussa sit.

An igitur nostrum hujusmodi negotium est, quale Virgiliani pastoris Meliboei;

Nos patriae fines, et dulcia linquimus arva.
At nos hinc alii sitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Nimis procul abire cogitat pastor: poterat in vicinam Siciliam, pastorum fere patriam: poterat à Tityro invitatus apud hunc requiescere noctem, cujus commendatione à Caesare amissos agros recuperaret, jam rerum potito reliquam laudem in sanandis belli calamitatibus ponente. Nostrum diversum est negotium: mansimus in patria, et, ut spero, manebimus.

Alii sunt multi patriae amittendae modi. Hebraeorum populus ter solum vertere coactus est: primum, Israëliticum Regnum ab Assyriis eversum, mox Judaicum à Babyloniis: hinc reduces pars veteres sedes, Cyro annuente, receperunt; à Romanis ex Palaestina in perpetuum pulsi, ac prohibiti, suae religionis tenaces, per totum terrarum orbem dispersi, in aliorum populorum ditione inquilini durissima plerumque conditione vixerunt. Alii cum victoribus aliisque populis coaluerunt. Veluti reliqui Carthaginienses, quos, capta patria, eorum civis philosophus, Punico

no-

nomine Hasdrubal, Graeco Clitomachus dictus, tunc Athenis Academiam obtinens, scripto libro consolatus est: ut refert Cicero Tusc. III, 22: hi ergo partim ad alios populos vagati, partim in Italiam translati, per agros et oppida distributi, in illorum gentem, linguam, mores abierunt. Sic Albani Romam traducti, in Romanum nomen transierunt. Et fuit hoc, inde ab auctore Romulo, Romanorum institutum, victos populos Romam transferre, in civitatem recipere, eorum non modo corpora, sed animos sibi adjungere, in horum vacuos agros oppidaque ex redundante plebis Romanae multitudine pauperiores quosque colonos emittere, itaque et urbem turbae faece purgare, et remp. novorum civium accessione et veterum in colonias deductione firmare.

Hujusmodi migrationes aliae plurimae fuerunt voluntariae: id est, non quae à victoribus imperarentur, sed à temporibus suaderentur. Quae caussa fuit innumerabilium deductarum à Graecis populis coloniarum. In quibus migrationibus multas ejusmodi cognovimus non ut pars populi in patria remaneret, sed ut universus eam populus relinqueret, et novas quaesitum sedes abiret. Sic, eversâ Trojâ, Aeneas in Italia Romanum populum ad Tiberim, Antenor Venetum ad Padum fundavit. Fuerunt etiam, qui salvam adhuc et stantem, sed capi periclitantem relinquerent. Phocaei Jones, ingruente Persarum potentia, urbem vacuam deserentes, navibus conscensis, vela ventis

dederunt, novas sedes quaesiverunt: primo Corsicam insulam occuparunt: hinc à Carthaginiensibus pulsi, in Galliae oram delati, ad Rhodani fluvii ostium clarissimam urbem Massiliam condiderunt: ex eaque cum bellica scientia, tum Graeca humanitate, in propinquas terras mariaque dominati, ne nunc quidem defecerunt. Paucis postea annis, Xerxe Persarum rege ipsam Graeciam infinitis cum copiis terra marique invadente, Athenienses, consilio Themistoclis, naves conscenderunt, patriam hostibus vastandam incendendamque reliquerunt, eosdem hostes è Graecia repulerunt, patriam recuperarunt: quod inceptum nisi illis successisset, iisdem animis, manibus, navibus freti, novam sibi patriam comparassent. Atque eamdem viam expediendae salutis desperatis in rebus dicitur Batavis suis ostendisse stator nascentis hujus reip. Guilielmus I, ut ingratam situ terram Hispanisque potentibus obnoxiam relinquentes, in naves se reciperent, iisque fidentes meliores tutioresque sedes quaererent. Sed neque tunc opus illo facto fuit: neque nunc illo consilio locus est.

Tales igitur patriae amissiones novimus, quibus quis ex ea migrat, abit, fugit: quibus autem quis in ea manet, vivit, servatur, migrationes non novimus. Sed tamen, inquit, patria multum ornamenti commodique amisit, quod ex regno in provinciam alterius regni mutata est. De hoc ego, ut nunc est, non statuo: illud scio, hoc, quod in

in rebus externis à fortuna immissis dicitur *bonum* aut *malum*, non ita simpliciter et absolute se habere, sed utcumque *bene* aut *male* susceptum fuerit: sic, si illam mutationem recte exceperimus ac tulerimus, utilis erit: si non recte, damnosa.

Hujus autem praecepti auctorem habemus gravissimum, et à praestantissimis philosophis passim usurpatum, Euripidem: cujus ex Bellerophonte haec fertur sententia (*).

Τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών.
Μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν· ἀλλ' ὁὐντυγχάνων
Τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἂν τιθῇ, πράξει καλῶς.

Quam scite Grotius vertit:

Nam neutiquam hominem rebus irasci decet;
Nil quippe curant. Vertere at in usus suos
Quod casus offert, optimum ac tutissimum est.

Plutarchus vero sic interpretatur: *Fontem tranquillitatis animi in nobis insitum expurgemus: ut etiam res adversas extrinsecus nobis accidentes tam-*

(*) Apud Stobaeum Florileg. LII, p. 360: CVI, p. 568: utroque loco vertit Grotius, p. 207, 451, posteriore rectius. Plutarchus de Animi Tranquillitate p. 467, A. Marcus Antoninus VII, 38, ibique Gatakerus. Spectat eodem Epictetus Dissert. II, 5, ad quem videatur Uptonus p. 112. Valckenarius ad Euripidis Phoen. 221. Platonis locus est Rep. X, p. 514, G: unde Terentius Adelph. IV, 7.

tamquam familiares nec molestas excipiamus ac feramus. Est profecto illud usurpandum: Τοῖς πράγμασιν γὰρ κ. τ. λ. *Ludo enim tesserarum Plato vitam comparabat, ubi et jaciendum est, quod sit optimum; et quod jactu cecidit, recte usurpandum. Et jacere quidem quod volumus, non est in nostra potestate: at hoc, si sapimus, nostrum est, res à fortuna oblatas recte accipere, et suo quamque ponere loco, ubi et noceat minimum, et plurimum juvet.* Haec ille ex nostra interpretatione: plura apud ipsum legatis. Nos vero, ut volumus esse Antiquorum studiosi, sic illorum praecepta ad actionem referamus: et quidquid hac in vita, extra nostram potestatem in fortuna positum, adversum nobis acciderit, id, ut à divina providentia nobis tributum, grato erga eam animo accipiamus, et, quoad ejus fieri potest, ad nostram salutem virtutisque fructum accommodemus.

Sed, si patria per eam conversionem multum commodi amisit, nos idcirco patriam non amisimus. Alioquin quaevis mutatio status publici, veluti ex rep. in regnum, et in ipsa reip. forma, ex aristocratia in democratiam, patriae amissio dicenda erit. Quod sane absurdum sit; ita enim consequatur, ut amissum amittatur; quum tamen nemo nisi id, quod habet, amittere queat: et id, quod semel amissum est, rursus amitti non possit. Nunc multi quodam civilis factionis impetu et errore occupati, tum demum patriam exstare et vi-

vigere putant, si ea obtinet forma et constitutio, quam ipsi probant. Memini me audire democraticos homines, anno MDCCLXXXVII aristocratiâ restitutâ, lamentantes patriam tamquam oppressam ac perditam. Item vicissim fecerunt aristocratici a. MDCCXCV, constituta democratia, clamantes nunc vero patriam funditus periisse. Memini utroque anno patres, priore democraticos, posteriore aristocraticos, ita doluisse, ut nollent filios suos ad studia colenda in Batavas Academias mittere, sed eos aut otiari sinerent, aut in exteras regiones docendos ablegarent, atque adeo ipsi cum iis ad exteros abirent, dictitantes nil jam esse in Batavia, quod quidquam boni discere quis possit. Hi patria quid sit ignorabant: formam et externum habitum pro re ipsa habebant: nesciebant, patriae unum et perpetuum quasi corpus constare, formas constitutionis pro temporum varietate, tamquam vestitum, mutari. Quod nisi ita esset, patriae vis et natura nulla exstaret, neque umquam quisquam populus certam suam patriam haberet. Et ne de aliis populis dicamus, Batavus quando tandem istorum hominum judicio veram justamque patriae formam appellationemque obtinuit? Primum, quoad ad ejus constat, fuit sui juris: tum cum reliquis Belgis in Romanorum foedere ac ditione: deinde sub Francis regibus Merovingicis et Carolingicis: quibus exstinctis, in clientelam venit Regum Germaniae: sub utrisque suos habuit praefectos; unde Frisiae Hollandiae-

que

que Comites exstiterunt: his successerunt Hanneniae Comites: quorum dominium excepit gens Bavarica: porro, Burgundica, Austriaca, Hispanica: deinceps Respublica; nuper Regnum: nunc provincia Imperii Francici. Quibus omnibus in dynastiarum imperiorumque varietatibus hic populus patriae nomine ac jure numquam caruit. Ergo qui postulat ut patria semper eâdem, quam ipse probat, civitatis formâ stet, permaneat, floreat, postulat omnino praecipuam quamdam et supra humanum captum positam fortunam. Quis vestrum nescit praeclaram illam Ciceronis sententiam, quo ipse in simili caussa se sustentavit, tum quum resp. in unius potestatem Caesaris venisset? *Id enim ipsum*, inquit, *à Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis. Quod quum accidisset nostrae reipublicae, tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus; ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur: et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus.* Atqui, quum naturales hae sint conversiones, recusare eas non debemus. At, inquit, durum est hanc conversionem in mea potius quam majorum aut posterorum tempora incidere! Haec omnia vidi! Quid miser merui, ut in hanc fortunam reservarer. Quin tu, inquam, istum tolle luctum, quo declaras, te non patriae, sed tui caussa dolere: non patriam, sed te ipsum,

sum, amare: et potius in parte felicitatis tuae pone ad ea tempora te servatum esse, ut iis te aggregare posses civibus, qui re, opera, consilio, temperantia, frugalitate, exemplo, patriae ruïnam fulcirent.

Iam vero unius imperium ac principatum, quam monarchiam vocant, Literarum doctrinarumque studiis non obesse, omnis testatur historia, et vetus, et nova, atque adeo novissima; siquidem invictus Caesar, qui nos Imperio suo adscivit, multa sui erga Literas favoris studiique documenta dedit, in his *Constitutionem de Praemiis Decennibus:* de quibus *Relationem Judicum* nobis misit ejusdem in his terris Vicarius, Dux Placentiae, Princeps Archithesaurarius Imperii, vir humanissimus idem et eruditissimus, affirmans hoc esse Caesari propositum, ut quemadmodum in Francia institutionem publicam et utiles disciplinas recreasset, sic etiam in nostra patria, doctorum hominum, prouti omnium civium, prosperitati consuleret.

Nostis, A. H., auream aetatem Latinarum Literarum in primis aevo Caesaris Augusti censeri, qui Romanam remp. in singulare imperium convertit. Quae quidem aetas profecta à Cicerone, cujus divino ingenio non solum eloquentia ad summam praestantiam exculta, sed caeterae artes ac disciplinae inchoatae sunt: in his excellentissimos auctores tulit: poetas, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, Ovidium: historicos,

Ne-

Nepotem, Sallustium, Livium: et alios multos in aliis generibus, scriptores, et hoc aevum, et sequens omnis Caesarum aetas, tulit: quos recensere nil attinet.

Magis me advertunt Graeci, in primis Athenienses, quibuscum nobis major laudis et fortunae similitudo intercedit. Hi ergo, quum, ut reliqui singuli Graeciae populi, in liberae forma reip. degissent, in iisque et maritimo imperio et mercaturae negotiis, et Literarum artiumque studiis principes, Darium et Xerxem, Graeciae servitutem intentantes, incredibili virtute, acerrimis proeliis, ad Marathonem, Artemisium, Salaminem, Plataeas, victos fugere coegissent; tum Peloponnesio bello diuturno ac difficili se adversus ipsos Graecos tutati essent; tandem, non obstante tanta virtutum victoriarumque gloria, labefactati sunt invalescente Macedonum potentia, Philippi et Alexandri; in quorum et his deinceps succedentium regum ditione fuerunt: quibuscum denique ac tota cum Graecia ipsi quoque in Romanorum potestatem redacti sunt. Atque in tanta casuum conversionumque varietate, caeteris jacentibus, soli Athenienses stare videbantur: à Macedonibus, aliis Graecis regibus, Romanis principibus in rep. viris, et Caesaribus, praecipuo semper honore ac dignatione afficiebantur, veteris cum virtutis tum doctrinae caussa. Atque ipsi se ad majorum gloriam erigebant, horum victorias et heroes celebrabant, Miltiadem, Themistoclem, Cimonem: ut

ut nos nunc solemus crebris in sermonibus et orationibus usurpare nostros Guilielmos, Ruteros, Trompios, sic illi suis praedicandis obsoletae quamvis laudis recentem suavitatem captabant; ut appareret ad tantorum imitationem exemplorum non animos illis, sed fortunam deesse. Literarum autem doctrinarumque laus ac possessio ita propria ac praecipua mansit Athenarum; ut quamvis multae harum scholae per reliquam Graeciam, Asiam, Syriam, Aegyptum, constitutae essent celeberrimae, Alexandriae, Antiocheae, Seleuciae, Apameae, Laodiceae, Pergami, Tarsi, Rhodi, Mitylenae, tamen sola Athenarum urbs avitum patrimonium verae elegantiae, sola germanam doctrinae rationem, sola antiquam sincerumque venustatis habitum, sonum, colorem, obtinere censeretur: ipsa fons et patria, illae autem rivuli ejus et coloniae haberentur.

Et vero sub Alexandro Macedone ejusque successoribus magnum contigit Literarum studiis incrementum; non modo prioribus amplificandis generibus, Poësi, Historia, Rhetorica, Philosophia; sed nova prodeunte doctrina, Grammatica, quae eadem Philologia et Critica nominatur, Latine *Literaturam* dixere nonnulli, quae interiorem Linguae rationem tradit, antiquorum censuram agit auctorum, hos atque omnem Historiam et Antiquitatem inquirit, explicat, interpretatur. Denique insigniter aucta est Philosophia: quae quum adhuc Athenis quasi peregrinata esset, jam per-

petuam stabilemque in ea urbe sedem accepit, quatuor celeberrimis ibi constitutis scholis: Platonica, in Academia: Aristotelica, in Lyceo: Stoica, in Stoâ: Epicurea, in Horto. Tantam igitur omnis doctrinae vim et copiam Athenae sinu suo complexae, cum caeteris populis communicaverunt; ut deinceps per multa saecula omnes ex toto terrarum orbe studiosi adolescentes, qui quidem diligentem, locupletem, et elegantem disciplinarum Literarumque rationem percipere vellent, in hanc Urbem confluerent, quae una verissima et cogitandi, et dicendi, et vivendi, parens ac magistra esset: atque mortalibus non solum humanitatis cognitionem expromeret, sed etiam divinitatis communionem impertiret: et quod mirifice cecinit vates,

—— summam sapientia panderet arcem,
Quatuor antiquis quae heredibus est data consors
Unde hominum errores longe lateque per orbem
Despicere, atque humiles possent contemnere curas.

Haec de Graecis et Romanis uberius tradimus in Historia Literarum: nunc, brevissime dicta, nostro proposito sufficiunt. Illud enim volo, ut, quando fortunâ similes Atheniensium sumus, eorumdem nos similes animis praestemus. Hi majoribus orti, qui suam Graeciaeque libertatem egregiis victoriis tutati essent, maris imperium obtinuissent, doctrinae laude floruissent, quum tem-

po-

porum adversitate, et fati necessitate ineluctabili, in exterorum ditionem populorum redacti, externa bona amisissent; interna retinuerunt et excoluerunt, iisque excolendis non solum in alios victos, sed in ipsos victores populos ingenii doctrinaeque imperium sibi asseruerunt. Vestri majores, A. H., quam simili usi sint fortuna, longum est referre. Hi septimo anno, belli illius recentiore aetate acerrimi, atrocissimi, maxime diuturni, quippe per octoginta annos gesti: hujus igitur fere initio, quum Hispanos huic urbi interitum et civibus extrema supplicia intentantes, incredibili fortitudine et patientia repulissent, mox in hac ipsa urbe hoc Musarum Sacrarium, Academiam, auctore Guilielmo I, constituerunt, rebus quamvis, ut videbatur, dubiis, tamen tacito animi sensu, principatum ei Literarum praesagientes, et tamquam in prytaneo sacrum lumen accendentes et alentes, unde alii populi lumina sibi sua accenderent. Atque ita evenit, et adhuc fuit, quantum quidem per publicas calamitates licuit.

Quod bonum quum nobis, amissis aliis, non quidem integrum, sed magnam tamen partem, supersit, age illud colamus, alamus, curemus. Ut singulorum hominum, sic universorum populorum, suae sunt vicissitudines, sua officia. Itaque et Batavi populi est, utramque fortunam modeste ferre: secundam, qua floruit, et aliorum fuit princeps et arbiter populorum, non superbe et insolenter tulisse, laudi fuit: alteram, qua in

aliorum potestatem redactus est et imperium, non humiliter nec abjecte ferre, non minori laudi erit; si quidem fortitudinis munus non solum in agendo, sed et in patiendo, cernitur; et utrumque prudentiae est. Et id quidem commune est uniuscujusque nostrum privatim, et universi populi publice, id est patriae, officium. Hoc vero proprium uniuscujusque civis erga patriam, idque sanctum debitumque, non se necessitudine patriae solutum ferre, quasi nulla nobis amplius patria sit, nullum erga eam supersit officium. Quae profecto opinio et rationi et pietati repugnat. Immo, ut parentes nostrum quisque suos semper quidem diligere et observare, maxime autem tum obsequio et cura prosequi debet, quum aegrotantes aut alio casu quocumque debilitati, nostro auxilio indigent: sic patriam communem parentem, per quam florentem ipsi floruimus, multasque vitae commoditates prosperitatesque percepimus, deinde afflictam et alieno imperio subjectam ignorare, negligere, nec amplius eodem jure nobiscum conjunctam putare, non modo turpe et ingratum, sed impium et nefas sit: contra, et fas, et pium, et gratum, et honestum, et vero gloriosum, jacenti laborantique succurrere, idque eo magis, quo magis ipsa nostram opem desiderat, nosque ei omnia debemus, et haec unica superest ejus servandae ratio, si suo quisque officio fungatur. Quodnam autem ex meis vestrisque officiis illud sit, quod ad rem praesentem, nostramque institutionis ne-

eessitudinem pertineat, dixi in principio, meum esse docere, vestrum discere: quamque vim habeat illud, quod *discere* vocamus, ibidem demonstravi. Agite ergo, Humanissimi Adolescentes, sic enim vos appellans, rite appellem: qui nati in humanissimo populo Batavo, ad humanitatis studia colenda in hanc Musarum sedem venistis: et Batavi populi cum Atheniensibus similitudinem porro tueamini: qui sub Macedonibus et Romanis veterem ingenii doctrinaeque gloriam principatumque retinuerunt: incumbite toto pectore ad Literarum artiumque studia: eamque laudem hereditariam à majoribus acceptam, item nepotibus hereditariam tradite, qui eam ipsi ad ultimam usque aetatem posteritatemque propagent: ostendite lumen vestrum caeteris omnibus populis; comprobate vestro exemplo celebratam illam Platonis sententiam, virtutem sui esse juris, sub omni imperio immunem, integram, in nostra potestate positam, constare: ex humanitatis doctrinarumque studiis efflorescere prudentiam, ex prudentia, temperantiam, justitiam, fortitudinem, ipsamque sapientiam, cujus possessione summum bonum, id est vita beata, continetur. Ita sit: et servet vobis hanc mentem D. O. M.



DIATRIBE DE PHILOXENIS.

EX MISC. DOCTR. L. II. p. 64, sqq.

Plutarchei libri, *Quomodo Adolescens Poetas audire debeat*, hoc est principium: Εἰ μὲν ὡς Φιλόξενος ὁ ποιητὴς ἔλεγεν, ὦ Μάρκε Σήδατε, τῶν κρεῶν τὰ μὴ κρέα ἥδιστά ἐστι· καὶ τῶν ἰχθύων οἱ μὴ ἰχθύες, ἐκείνοις ἀποφαίνεσθαι παρῶμεν, οἷς ὁ Κάτων ἔφη τῆς καρδίας τὴν ὑπερῴαν εὐαισθητοτέραν ὑπάρχειν. i. e.: *Quod Philoxenus poeta dixit, M. Sedate, eas carnes suavissimas esse, quae carnes non sint, itemque pisces, qui pisces non sint: de eo pronunciare sinamus istos, quos palato plus sapere, quam corde, ajebat Cato.* Quo loco editionis nostrae lectores rejecimus ad peculiarem de Philoxenis scriptionem à nobis brevi edendam: eamque nunc hoc loco edimus.

Additum est à Plutarcho ὁ ποιητής, ut ab aliis Philoxenis hic distingueretur: et simul significationem praebet, in ea fuisse Plutarchum sententia, non plures fuisse hoc nomine poetas, sed unum pa-

patria Cytherium, Dionysii majoris Syracusani familiarem, vulgo Dithyrambicum, nonnumquam Lyricum, Tragicum, aut Melicum, cognominatum.

Complures à Veteribus Philoxeni memorantur, ut librorum scriptorum, aut festive dictorum factorumve, auctores. In his sunt quatuor gulae ac ventri dediti, à quorum ingenio hoc dictum non abhorret: Cytherius, poëta nobilis: Eryxidis filius: duo parasiti, alter patria Leucadius, alter cognomine Pternocopis. Sed hoc dictum tribuendum est nobili illi poëtae, cum hac Plutarchi auctoritate, tum quod plane argutia haec convenit in ejus Δεῖπνον, elegans poëma, laudatum Athenaeo compluribus inde appositis locis, et imitando expressum ab Horatio Satirarum II, 4, *Unde et quo Catius?* Caeterum, diversos Philoxenos jam Antiqui adeo permiscuerunt et confuderunt, ut eos accurate distinguere difficile sit negotium, cui recentiores nondum satisfecerint. Neque id egerunt scriptores Historiae Literarum eruditissimi. Nam G. J. Vossius De Poëtis Gr. Cap. VII, Opp. Tom. III. p. 222, de uno, Cytherio poëta refert. J. Meursius ad Hesych. Miles. p. 128, tres exhibet: poëtam Cytherium, Leucadium parasitum, grammaticum: una ille quidem Suidae auctoritate contentus. J. A. Fabricius Biblioth. Gr. Tom. I. p. 686, ubi de Cytherio poëta agit, unum addit, quem ab illo distinguat, Philoxenum Pternocopin. Majore diligentia, minore tamen is

 per-

perspicuitate, argumentum tractavit, magnus vir, Jac. Perizonius ad Aelian. Var. Hist. X, 9: quatuor faciens Philoxenos, duos poëtas, Cytherium illum Dithyrambicum eumdemque helluonem: alium Melicum: duos helluones, Cytherium illum Dithyrambicum, quem eumdem esse credit Leucadium Philoxenum: alium helluonem Eryxidis filium. Haec enim, quoad ejus perspicere possum, Perizonii est sententia. Atqui hi non quatuor, sed tres, sint Philoxeni; quandoquidem Cytherius poëta est alter helluonum. Denique his addit alium Philoxenum, Siphnium, unde *σιφνιάζειν* dictum est, *τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι*, auctore Polluce IV, 65. Qua in disputatione duo sunt, quae mihi non probet Perizonius: primum, quod Melicum diversum facit a Cytherio, idque propter unum ejus prudens ac sobrium dictum, apud Plutarchum, in libello de Vitando Aere Alieno p. 831, F: *Φιλόξενος ὁ μελοποιὸς ἐν ἀποικίᾳ Σικελικῇ, κλήρου μετασχὼν καὶ βίου καὶ οἴκου πολλὴν εὐπορίαν ἔχοντος, ὁρῶν δὲ τρυφὴν καὶ ἡδυπάθειαν καὶ ἀμουσίαν ἐπιχωριάζουσαν, Μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα· Καὶ καταλιπὼν ἑτέροις τὸν κλῆρον ἐξέπλευσεν.* Quasi vero factum hoc in Sicilia et *μελοποιοῦ* non manifesto conveniat in Cytherium Dithyrambicum; aut quasi ab hominis luxuriosi ingenio abhorreat: de quo tamen constet, eum in lapicidinis habitare maluisse, dum ne Dionysio praeter decorum adularetur, ejusque carmina laudaret. Alterum est de Philo-

loxeno Siphnio; quippe cujus nomen dubium redditur varietate lectionis, quae est apud Suidam Voc. Χιάζειν: quem à Kustero minus intellectum recte interpretatus est J. Toupius Emend. Suid. P. III. p. 377: ubi vocatur *Theoxenides:* quod nomen pro vitioso Φιλοξένου in Poliucis loco restituendum monuit eruditissimus J. Jonsius De Scriptorib. Hist. Phil. I, 14, 8, p. 90: et verisimile est, ab imperito librario nomen minus notum *Theoxenidis* in magis notum, et ab innovatione Musicorum modorum et reliqua fama celebratum, *Philoxeni* mutatum fuisse.

Caeterum è recentioribus, etiam ante hos nobis jam laudatos, de Philoxeno poëta egit Lilius Gyraldus Historiâ Poëtarum, Dialog. IX, p. 473, addens aliquid admonitionis in cognominibus distinguendis, ac praeter hunc tres alios prodens, unum Cyrenaeum, alterum Eressium parasitum, Leucadii filium à Suida dictum, Eryxidis à Plutarcho: tertium grammaticum. De postremo hoc nemo dubitat: at in duobus prioribus Gyraldus et ipse turbavit, et mendosis librorum lectionibus deceptus est. Narravit etiam Muretus jucunde ad legendum, nec tamen ad distinguendos cognomines accommodate, in Commentario ad Aristotelis Ethic. L. III. editionis Ruhnkenianae T. III. p. 298. Denique post Perizonium, de Philoxeni poëtae cognitione bene mereri voluit doctus Gallus Burettius in annotationibus ad Plutarchi librum de Musica proditis in Commentariis Academiae

Inscriptionum, Tomo XIII, p. 200: et sane suo more narratoris jucundi partes egit: monens in fine disputationis, de diversis Philoxenis discernendis consulendum esse Perizonium, loco memorato, ad Aelian. Var. Hist. X, 9.

Equidem non id ago, ut hanc nunc quaestionem pertractem; quippe quae ampliorem scriptionem desideret: neque tamen facere possum quin ex adversariis ea depromam, quae futuro hujus argumenti scriptori prosint.

Duo sunt praecipui hujus cognitionis fontes, Athenaeus, et Suidas.

Hic in voce Φιλόξενος tres numerat: Cytherium, Lyricum poëtam: grammaticum: Leucadium, parasitum. In horum postremo non habet propriam auctoritatem, quippe totum locum ex Athenaeo, I, p. 5, et 6, sumsit. Et quae ibi traduntur partim cum dubitatione, utrum ad Leucadium an ad Cytherium referenda sint, partim diserte Cytherio adjunguntur, veluti illud in coena Dionysii, p. 6, E: ea omnia Leucadio tribuit. Porro idem Suidas de utroque similia quaedam narrat ejusmodi, ut appareat ea in unum eumdemque hominem convenire. Uterque dicitur gulosus, uterque apud Dionysium tyrannum degisse, uterque Ephesum abiisse, uterque dithyrambicus fuisse: quamquam hoc postremum diserte proditum ab Athenaeo p. 6, A, Suidas caetera describens omisit. Cytherium quidem in Joniam venisse, et Colophonem adiisse, Hermesianax quoque testatur apud

apud Athenaeum XIII, p. 568, E. Ergo apparet, Suidam res Cytherii proprias cum Leucadio communicasse; et quaestionis explicationem ab unius Athenaei auctoritate ejusque diligente interpretatione repetendam esse.

Hic Leucadium non nisi duobus nominat locis: primo, I, p. 5, B: Τοῦ Φιλοξένου δὲ τοῦ Λευκαδίου Δείπνου Πλάτων ὁ κωμῳδοποιὸς μέμνηται· subjungitur locus Platonis in quo simpliciter vocatur Philoxenus, nullo addito cognomine: altero IV, p. 146, F: Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ· εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου. i. e.: *si modo is Philoxenus est, cujus meminit Plato Comicus in Phaone, ac non Leucadius*: dubitans dixit de auctore poëmatis Δείπνου, ac respiciens ad superiorem Platonis locum: neque adeo reprehendendus erat interpres Latinus à Perizonio. Ac priore loco, quum multa veterum Scriptorum de Philoxeni luxuria referantur testimonia, nullum horum habet Leucadii nomen: quae persequi longum nec opus est. Igitur eo inducor, ut Leucadium alterum quoddam cognomen Cytherii Philoxeni fuisse putem, ortum illud fortasse à civitate Leucade in quam migraverit: ut Herodoto et Halicarnasseo et Thurio fuit cognomen: aut natum ex nomine *Eryxidis* patris alterius Philoxeni helluonis: certe, Leucadium eumdem quem Cytherium esse arbitrer, quod jam Perizonius suspicatus est. Poëma Δείπνου sub nomi-

mine auctoris Philoxeni Cytherii et Dithyrambici ipse citat Athenaeus, XI, p. 476, E: 487, A: XIV, p. 642, F: XV, p. 685, D: alibi uno sub nomine Philoxeni, IX, p. 409, E: et Aristoteles apud eumdem Athenaeum in libro perdito, unde ejus verba adferuntur, I, p. 6, D. Nec dubitandum, quin Veteres, ubi simpliciter Philoxenum ut poëtam aut gulosum memorant, eximie hunc Cytherium significent: nisi si iidem eamdem rem aliis locis alii Philoxeno tribuerint. Veluti animadvertere licet in *Philoxeno Eryxidis.* Hujus optatum, *ut guttur sibi gruis*, aut, ut alibi traditur, *trium cubitorum fieret*, exstat apud Aristotelem Ethic. ad Nicom. III, 10: *εὔξατό τις Φιλόξενος Ἐρίξιος, ὀψόφαγος ὤν· quidam* significat eum caeteroquin minus clarum, ac diversum ab illo *πάνυ* poëta fuisse: Eudem. III, 2: *ὥσπερ Φιλόξενος ὁ ἐξ ὕριδος*, quod Sylburgius recte corrigit *ὁ Ἐρύξιδος*, idem optatum Problem. XXIX, 28, 6, simpliciter Philoxeni nomine ponitur. Eryxidis apponit nomen Theophilus apud Athenaeum I, 6, A. Tribuit tamen Cytherio Machon apud eumdem VIII, p. 341, D. Eryxidis Philoxenum *ὀψόφαγον* memorat et Plutarchus Opp. Mor. p. 668, C: 1128, B: et sine nomine Eryxidis apud Stobaeum p. 394. Aeschines Socraticus in dialogo Callia, ubi *Φιλόξενον τὸν Ἐρύξιδος*, discipulum Anaxagorae fuisse prodidit, apud Athenaeum V, p. 220, B. Aristophanes Ran. 934, *Φιλοξένου Ἔρυξιν* nominans significare videtur eum habuisse filium avi cognominem. Hujus gulose facta dicta-

ctaque pleraque in poëtam Cytherium, ut fere aequalem tempore, et gulae studio non dissimilem, collata fuisse, credibile est.

Ergo nostra quidem sententia hi distinguendi sunt Philoxeni. Primus ac princeps, poëta Melicus et Dithyrambicus, Cytherius idem et Leucadius cognominatus. Secundus, helluo, Eryxidis filius. Tertius, parasitus, cognomine *Pternocopis*, cujus facete dicta ferebantur multa: ut colligitur ex Veterum de eo testimoniis apud eumdem Athenaeum VI, p. 239, F: 241, E: 242, B, C: 246, A. Quartus, grammaticus satis ille cognitus. Quintus, scriptor de Ventis, quod suspicari licet ex Theophrasto De Ventis p. 410: nisi forte poëta Philoxenus significatur. Sextus, medicus a Celso proditus in praefatione libri VII. Septimus, Eretrius, pictor, aetate Cassandri, apud Plinium H. N. XXXV, 36, §. 22. Octavus tibicen, quem nominat Polyaenus VI, 10: modo valeat hujus auctoritas, neque auctor, quem sequitur, deceptus sit opinione de Cytherio Philoxeno. Alios non scriptis, aut ingenio et arte, commendatos recensere nil attinet. Carminum reliquias, quae in Veterum monumentis sub Philoxeni nomine feruntur, uni potius eidemque Cytherio poëtae, quam diversis, tribuendae videntur. Eas colligere, emendare, digerere, et auctoris vitam diligenter enarrare, operae sane pretium sit, et argumentum conveniens studio docti juvenis, qui eo pertractando cum ipse proficiat, tum aliis prosit. — Ao. MDCCCXI.

ME-

MEMORIA
GVLIELMI LODOVICI VAN WASSENAER
SODALIS STVDIORVM NOSTRORVM EGREGII
EXSTINCTI D. XXVIII IVLII, A. MDCCCXI. AETATIS, XXI.
DICTA
D. XXIV SEPTEMBRIS A. MDCCCXI
INSTAVRANDIS SCHOLIS
ET DISCIPVLIS AD ILLIVS EXEMPLVM SEQVENDVM COHORTANDIS.

Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.

EX MISC. DOCTR. L. III, p. 1, sqq.

AUDITORES OMNIUM ORDINUM HUMANISSIMI!

Quum in hac annua scholarum instauratione idem nunc mihi, quod antea, exordium usurpandum sit, ut Deo O. M. gratias agam, qui nobis salvis ac bene valentibus reditum ad haec studia dederit, facio id quidem et pie et religiose, Deoque immortali pro tanto beneficio justas debitasque et ago gratias et habere me profiteor. Neque

ta-

tamen dubito, quin haec ipsa beneficii commemoratio, ut me, ita unumquemque vestrum tacite ad recentem dolorem revocet, admoneatque illud non integrum sincerumque constitisse beneficium, nec ad omnes pertinuisse auditores, sed unum in primis fuisse, qui non modo hoc reditionis, sed etiam vitae, fructu excideret. Intelligitis A. O. quem dicam! Omnium vestrum animi, vultus, oculi denique ipsi quaerunt ac desiderant optimum nostrum Wassenaerium, repentino ac vehementi impetu morbi nuper nobis ereptum. Adeo verum est et in praesentem casum nostrum ac dolorem conveniens Ciceronis dictum (De Orat. III, 2.), „ O fallacem hominum spem, fragilemque fortu„ nam, et inanes nostras contentiones! quae in „ medio spatio saepe franguntur et corruunt, aut „ ante in ipso cursu obruuntur, quam portum „ conspicere potuerunt. " Nam luctuosissimus iste Wassenaerii obitus, quam multorum spem hominum fefellit? quam multorum animis acerbus accidit? Etiam nunc praesentem nobis videre videmur illum adolescentiae florem ac vigorem, illum sanitatis colorem et habitum, casti temperatique victus consuetudine firmatum: etiam nunc oculis mentibusque nostris obversatur illa morum amabilis comitas et modestia, illa industria omnia egregii studiosi officia strenue obeuntis, in scholis audiendo, respondendo, disputando: domi, secum et cum aliis meditando, commentando, legendo, scribendo: cujus studii fructus jam appare-

rebant privatim in praeclaris progressibus, quos fecerat in Literis Graecis, Latinis, et plerisque doctrinarum generibus, magno cum incremento acuminis, rationis et orationis: et in publicum exitura mox erant harum facultatum specimina, duo libelli, quos scribere instituebat; ut nemo quisquam dubitaret, quin, qui adolescens tantopere excelleret, is aliquando vir ad summos honores perventurus, atque insigne Literarum et Literatorum hominum, atque adeo totius patriae decus ac praesidium futurus esset. Verum enim hanc tam laetam omnem omnium spem nec opinata mors intercepit: et quem modo animo, corpore, vita et exspectatione florentem ac vigentem videramus, hunc, quasi afflatu mali daemonis, nostrae felicitati invidentis, ardens febris invasit et intra paucos dies abstulit.

Jam quid prius conqueramur A. O.? matremne aerumnosam, quam summa pietate colebat, in familia tuenda negotiisque procurandis juvabat, cujus aetas ac viduitas in hoc gratissimo filii officio acquiescebat? An fratres et sorores, quorum commodis quasi tutor et alter pater prospiciebat? Nostramne scholam, cujus egregium sodalem, ego discipulum, Vos condiscipulum, utrique benevolentissimum amicum, amisimus? An Academiam nostram, in qua ille cum paucis unus fuit è principibus juventutis, quorum exemplum quasi lumen caeteris studiosis adolescentibus ad intuendum imitandumque exstaret atque luceret?

An

An denique ipsam patriam, quae, tamquam communis mater, gravissime condolet mortibus filiorum adolescentum eorum, qui ad se ornandam illustrandamque ingenia sua optimis artibus excolunt.

Sed quum haec jactura ad tam multos pertineat, ad unum non pertinet ipsum Wassenaerium: qui non modo mali nil passus, sed ingenti etiam bono potitus, est. Ipsum dicimus non corpus humi conditum, sed animum, qui ex hac misera et mortali vita in beatam et immortalem transiit: corporis vinculis solutus ad superos evolavit, cum iisque propiore jam summi Dei numine fruitur, veritatem scientiamque, cujus in hac terrâ insatiabili amore et quasi siti flagrabat, ex puro limpidoque fonte largiter et abunde haurit. Quare ipsum quidem Wassenaerium ne miseremur, immo felicem praedicemus, ejusque memoriam grati ac lubentes celebremus. In quam quando semel ingressus sum, sinite me diutius ei immorari: et quod instaurativa schola quotannis antea solebam Vobis de Literarum studio universe quaedam *praecepta* et monita tradere, his nunc *exemplum* subjungemus, idque in Wassenaerio nostro spectabimus.

Natus est d. I. Martii, a. MDCCLXXXI, gente una in Batavis gentibus nobilissima: de cujus antiquitate et amplitudine dicere non attinet; et quia omnibus nota est: et quia minime Wassenaerius noster ea gloriabatur, et, quasi ipse eam ignora-

ret, sic inter nos communiter vivebat, ut unus ex multis, et animo firmiter infixum tenebat illud veterum effatum, *sola virtus nobilitat.* Octavum agens annum patre orbatus, cum duobus fratribus minoribus, tribusque sororibus matri relictus est, eximiae illi non solum nobilitate, quippe Ysselmudeniae, sed et ingenii animique dotibus, et liberorum suorum educandorum erudiendorumque prudenti ac diligenti moderatrici: quae hunc maximum natu filium probatis praeceptoribus, procul à domo, in disciplinam convictumque tradidit. Ergo usque ad XVI aetatis annum apud duos deinceps praeceptores fuit, primum Creveldiae, postea Naardae. Hic in domo et institutione doctissimi *Anosi*, viri erudiendis adolescentibus ingenuis perquam idonei, Sacerdotis Gallicani Reformati, auditoris quondam nostri et diligentis et jucundi, non solum prioris orsa scholae ulterius excoluit, in historia, geographia, mathematicis, musica, pictura, palaestra; sed Latinam quoque Graecamque linguam ad eum finem didicit, ut aptus haberetur scholis Professorum in Academia audiendis. Graecam quidem adhuc sibi intactam tunc primo inchoavit, et cognitis declinandi conjugandique elementis, locos Gedikiani libri interpretatus, ultro ad Literarum fontem, Homerum, perrexit, scilicet miro ejus legendi amore flagrans, et egregia quaeque expetens, ad hujus lectionem horas subsecivas contulit, objectas quamvis multas intelligentiae difficultates constan-

stantiâ studii perfregit, intra duos menses librum Iliadis primum et partem secundi sic pertractavit, ut et rerum nexum et verborum rationem grammaticam memoriter reddere posset. Domum redux complures menses antequam annuum in hac Academia scholarum initium fieret, totum illud tempus in addiscenda utraque lingua contrivit: Latinâ, per se solus: Graecâ, adjutoribus Viris Reverendis, primum Schouwenburgio, deinde Borgero. Ad hunc quominus bis per hebdomadem discendi caussâ Cattovico Leidam excurreret, nec viae spatium, nec aëris intemperies eum absterruit. Mox nostras in scholas venit, et per hoc postremum vitae suae triennium constanter ventitavit. Quod qua ratione, quo fructu fecerit, nunc animadvertamus, ita ut prius universe de studendi officio moneamus; quandoquidem haec animadversio et admonitio utilis erit cum novitiis ad ingrediendam studiorum viam, tum veteranis jam ingressis eam ad suaviter recordandam strenueque persequendam.

Totum illud quod nos *studere* dicimus, idem est ac Literis doctrinisque discendis certâ viâ et ratione operam dare: idque plures variasque habet partes et formas. Atque, ut in omni actione humana duo cernuntur, agens et res agenda, sic in discendo, discens et res discenda. In discente, tria debent adesse, natura, institutio, exercitatio. Res autem discenda, ut de nostro saltem studio dicamus, sunt Literae Graecae et Latinae: in

quibus quum sit multiplex partium varietas, haec ad quatuor genera et quasi pensa revocatur. Primum constat ipsarum accurata cognitione Linguarum, comparanda grammaticis praeceptis, et scriptoribus antiquis diligenter interpretandis: alterum, Historiâ populorum et rerum gestarum: tertium, recensione veterum auctorum et monumentorum: quartum, Antiquitatibus. Quae quatuor quum nostris in scholis tradantur, has discens audiet et assidue et attente, et quotidie domi repetet: dico *quotidie*, quia nisi repetitio eodem fit die, multa quae docens utilia ad proficiendum disseruit, nec tamen dictavit, recenti recordatione in mentem redeunt, et quasi è fuga retrahuntur; dilatâ autem repetitione, ex memoria effluunt, et, irrevocabilia evanescunt. Nec satis est cujusque diei scholam semel et eodem die repetiisse: scholae quavis hebdomade habitae, iterandae sub finem hebdomadis: scholae cujusque mensis, iterandae exeunte mense: scholae trimestris spatii, sub hujus exitum recolendae: scholae denique totius annui pensi feriis aestivis relegendae meditandaeque sunt. Adeo haec repetitionis exercitatio, ut in omnibus rebus multum, sic in studiis plurimum valet: et paulatim in consuetudinem, ex consuetudine autem in naturam et firmam rei discendae possessionem abit. Habet illa quidem aliquid exceptionis et varietatis pro varietate discentis et materiae: si qui tamen eam despexerunt ut tardarum subsidium naturarum, cujusmodi con-

contemtores haud paucos vidi, isti cum sua sibi velocitate indocti manserunt, et, ut Plutarchi dicto utar,

Vanitatis et arrogantiae poenas dederunt, dum
Evolitaverunt tenues ceu fumus in auras.

Jam vero hac scholarum repetitione, discens non totum studiorum opus confecit, sed ejus necessaria fundamenta jecit. Restat enim domestica lectio bonorum librorum, veterum in primis auctorum: quae in scholis tota explicari nequit; quippe in quibus Homeri, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, Horatii, Virgilii, aliorum, unum alterumque librum accurate interpretamur; ut auditor ad eamdem rationem totos scriptores illos legat. Qua in lectione rursus adhibenda est iterata illa repetitio, intelligentiam priorum confirmans, sequentium aperiens, utrorumque jucundiorem reddens: inveniendi facultatem acuens et ad progrediendum excitans. Discendi enim ea est natura, ut se finibus praescribendis coërceri non sinat. Veluti si quis constituerit alicujus disciplinae cognitionem ad certum terminum gradumque consequi, si hunc gradum attigerit, mox infra eum labetur, et acquisitam cognitionem amittet, nisi eam continuâ cogitatione recolat ac repetat: contra, si eam recolat ac repetat, supra propositum gradum adscendet, multarum partium notiones, quas adhuc implicitas confusasque ha-

buit, evolvet, explicabit, illustrabit, itaque cognitionem suam amplificabit. Ita per aeternas naturae leges perpetuo luctantur Memoria et Oblivio: utraque Graecis dea: illa Mnemosyne, coelestis, mater Musarum, omnium genitrix artium: haec Lethe, soporiferi praeses fluvii, omnem ante actarum rerum cogitationem ex animis mortuorum abluentis, indeque rivum ad superos emittens, et viventium mentes adspergens, nascentia in illis scientiae lumina exstinguens: quae nisi perpetuo Mnemosyne repetendo accenderet, tota humana vita sempiterno ignorantiae somno obrueretur. Adeo gemina et cognata sunt negotia colendi agri et ingenii:

Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Instat enim ubique et tacita obrepit Lethe, proxima quaeque semper corripiens, omnem penitus vitae actionem cognitionemque absorptura, nisi, duce et auspice Mnemosyne, mortales ei sine intermissione resistant exercendo et repetendo:

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Re-

Redeamus ad Wassenaerium nostrum. Tertius hic annus est, quum primum ad me domum venit, auditorem se professurus. Ibi tum sponte in eo eluxit illud *incoctum generoso pectus honesto*, quod studiis non pervulgatum insigne honoris, sed verum honorem debitamque meritis gloriam, doctrinamque non propter emolumenta ejus et praemia, sed ipsam propter ipsius decus ac praestantiam appeteret. Ingenue affirmabat, se per accuratam Literarum cognitionem ad Jurisprudentiam et civilem rationem contendere. Proposui ei aeternum Batavi nominis ornamentum Hugonem Grotium: depromsi ejus immortalem librum De Jure Belli et Pacis, ostendi omnia ex Graecis Latinisque fontibus hausta, et praecepta ad docendum, et argumenta ad probandum, et exempla ad illustrandum. Ille librum evolvit, inspexit, et ingenti percussus admiratione, vehementiore etiam quam antea Literarum amore incensus est. Mox in scholas ventitans, jam tertio mense tantum profecit, ut inter principes veteranos eluceret. Nec mirum! tria illa ei aderant discendi subsidia: ad naturam et institutionem adferebat exercitationem repetitionis iteratae cum in meditandis scholis, tum in legendis auctoribus antiquis, ad eam rationem, quam supra narravimus. Et in auctoribus rite orsus ab Homero, deinceps Hesiodum, Xenophontem, tum Thucydidem legit: aliorum, quos mox totos excussurus erat, partes praecepit, Herodoti, Platonis, Plutarchi, Euri-

pidis, Aristophanis: ne dicam de minoribus, Anacreonte, Theophrasti Characteribus, aliisque similibus. Latinarum autem Literarum sibi tamquam domicilium, in quo habitaret, constituerat Ciceronem, cujus et doctrinâ ingenium aleret, et oratione stylum exerceret: huic adjungebat, veluti diversoria, Terentium, Nepotem, Sallustium, Caesarem, omnino historicos; quod hoc genere maxime delectabatur: tum vero poëtas principes, Virgilium, Horatium, Propertium, Ovidium, in quibus libenter Graeca vestigia indagabat imitationemque notabat.

Jam tempus erat, ut qui tantos progressus haberet, eorum specimen ederet. Sumsit sibi Chrysippum, cujus vitam, placita, librorumque reliquias exponeret: aliorum exemplo nostrorum quondam discipulorum, qui similem operam navarunt Musonio, Aristoxeno, Panaetio, Posidonio. At ingressus hoc argumentum, animadvertens latius patere quam ut brevi conficeretur, id quidem in posterum distulit, aliudque praeoptavit: Ciceroniani operis De Finibus librum tertium et quartum, qui sunt de Stoica ratione: eoque referebat lectionem totius Ciceronis, Diogenis Laërtii, Stobaei, aliorum: tum vero ad scripturam illorum librorum emendandam, et hos et reliquos tres libros, cum vetusto codice scripto Bibliothecae Leidensis comparavit.

Atque haec hactenus memorata hujus triennii acta, tot tantaque fuerunt, ut, si nihil aliud fe-

cisse

cisset, vel his solis insignem diligentiae industriaeque laudem meruisset Wassenaerius. Nunc eodem tempore alia multa magnaque confecit. Primum Jurisprudentiae operam dedit: ejusque Professores assidue audivit, Institutiones, Pandectas, Jus Naturae, enarrantes: nuper Candidatus factus, mox summos honores adepturus erat. In aliarum quoque disciplinarum scholas ventitavit, Physices, Botanices, Historiae Naturalis. Deinde ab his ordinariis studiorum pensis, subinde quasi extraordinaria digressione facta, aliarum cognitionem doctrinarum percepit. Itaque quod Plato pronunciavit signum esse ingenii philosophi, quodque Plutarchus in Ciceronem accommodavit, omnem disciplinam diligere, nec ullum ejus genus contemnere, hoc suo ipse exemplo Wassenaerius comprobavit. In quo talis ingenii documenta quum praeter ea, quae dixi, multa exstiterint; pauca, eaque cum ejus erga me amore conjuncta, referam.

Et sponte sua, et Ciceronem legens animadverterat, Literarum studium constare non posse sine Logicae scientia, quae doceret definiendo, dividendo, argumentando, verum à falso discernere, invenire, dijudicare, cum aliis communicare, omnino via et ratione disserere. Itaque legit nostrum libellum *Praecepta Philosophiae Logicae* inscriptum. Cujus quum essent duae editiones, prima nostra, altera Halae in Germania à celeberrimo philosopho Jo. Aug. Eberhardo repetita, et, ut

quidem titulus profitetur, *scholarum usibus accommodata*, Wassenaerius utramque nactus, eas inter se contulit, quod ego facere adhuc superse-deram, annotationemque diversitatis diligenter confecit, mihique tradidit; unde cognovi novum editorem paucos locos, idque contra meum consilium, vel omisisse vel mutasse.

Hoc libro lecto, ad philosophiae Literarumque Historiam, quam in scholis nostris inchoaverat, accuratius cognoscendam excitatus, majores meos de ea commentarios à me petiit, quos describeret et meditaretur. Omnino supra vulgarem modum cum Universam Historiam, tum illam ejus partem tenebat, ut et philosophorum caeterorumque scriptorum veterum vitas, placita, libros, et populorum res conversionesque, regum principumque facta in promtu haberet. Totius autem philosophiae brevem et compendiariam cognitionem, sed praesenti proposito sufficientem, praecipiebat ex Ernesti Initiis Doctrinae Solidioris. Et vero hujus caetera, itemque Mureti et Ruhnkenii scripta multum lectitabat, idque propter doctrinae praestantiam orationisque suavitatem, quae puritate, compositione, et eleganti philosopha ratione ad antiquorum formam accederet.

Phaedonem quam diligenter meditatus sit, ut fere totum in numerato haberet, ostendit acuta loci impediti explicatio, quam ipse mecum communicavit, ego in Addendis commemoravi. Et tamen editionem nostram quamvis saepius sibi lectam,

etam, rursus legit ab initio ad finem, à me rogatus, ut operarum menda notaret; ad quod genus singulari oculorum cogitationisque intentione valebat. Opus perhumaniter recepit, affirmans se id tam sui, quam mei caussa facere; esse enim bonorum librorum lectionem ejusmodi negotium, ut sibi iterum iterumque repetita semper novum intelligentiae suavitatisque fructum adferret.

Ejusdem officii humanitatem, cum sociis condiscipulis nonnullis, mihi praestitit in Philomathiae libro secundo. Quos si ad primum item et alios superiores nostros libros adhibere potuissemus, invidis et obtrectatoribus nostris, mendarum typographicarum aucupibus, reprehendendi peccandique materiam praecidissemus. Caeterum, in eodem Philomathiae libro secundo ab operarum erroribus purgando versans, animadvertit, quaedam Sanctocrucii scripta me fugisse, eorumque notitiam mihi nil tale exspectanti ultro obtulit; quae à me prodita (p. 263. (*)) omnibus harum rerum intelligentibus documento est singularis curae ac diligentiae, qua omnes libros perlegere et excerpere consueverat.

Selecta nostra principum Historicorum jam aliquoties legerat, quum rursus ea legere constituit, et primam cum altera editione conferre. Qua in lectione non modo quid in rebus, sed etiam quid in Latinis verbis mutatum esset, animadvertebat, ejusque rationem à me exquirebat. Erat enim Lati-

(*) [Hujus Volum. p. 242, sq.]

tinitatis et cultor assiduus, et judex intelligentior quam ab ejus aetate et brevi studiorum spatio exspectari poterat.

Omnino scripta mea omnia valde expetebat, frequenti cognitione et usu terebat, et si quid eorum ignoraret, me interrogabat; sive amore ille mei, sive judicio, ea sibi ad propositam studiorum rationem conducere ratus; semel autem cognita sic tenebat, quasi in iis habitaret: quid quoque loco dixissem, subinde melius norat quam ipse ego, meque dubitantem aut ignorantem, certiorem faciebat.

Fuit nuper simiolus literatorem agens meque conviciis incessens. Hujus obscoenam gesticulationem et absurdum clamorem Vos mecum ridebatis: Wassenaerius etiam materiam sibi eum fecit exercitii grammatici, ejus furta et sermonis vitia notans. Adeo pessimos quosvis libros in suum usum convertere norat.

Venio ad novissima. Proximo mense Majo habita est auctio librorum magni Valckenarii, quorum in marginibus plerumque erant annotationes hujus manu scriptae, sed variae numero ac momento, multae vel paucae, verae vel falsae, prouti aut subito aut cogitate notatae essent. Igitur emtor ne deciperetur, ad pervolutandos libros cum judicio et scientia etiam tempus et laborem adferre debebat. Hoc fecit Wassenaerius cum Vestrum nonnullis, qui jam sciretis quid distarent aera lupinis; mihique utilem indagandi operam praestitistis.

Per

Per hanc opportunitatem aliud quoque mihi mercuriale inventum, sive ἕρμαιον, bonus Wassenaerius attulit. Alias multas Valckenarii schedas apud ejus generum Stephanum Luzacium, virum honoratissimum, servari noram: in his esse Ruhnkenii et Valckenarii mutuas epistolas, non noram. Has Wassenaerius, sciens quantum ego in colligendis Ruhnkenii Epistolis laborarem, pervestigavit, reperit, evolvit: eam, qua Valckenario inventum suum in Photio narrat, quodque ego quondam è Ruhnkenio auditum, non accurate recordans, universe in hujus Vita significavi (*): hanc igitur descripsit, descriptam continuo cursim ad me detulit. Ego, hoc indicio admonitus, caeteras omnes has epistolas à Luzacio, viro humanissimo, et petii et accepi.

Quum saepe ex me in scholis ac sermonibus audivisset, quanta inter Graecam Latinamque linguam compositionis diversitas intercederet, idque experimento Graeca Latine, et Latina Graece, vertendi certissime apparere; Graece autem recentiorum eruditorum hominum complures bene scripsisse, idque factu etiam aliquanto facilius esse quam Latine scribere: hoc igitur audito, Wassenaerius cum praecipuis Graecarum scholarum discipulis me rogavit, ut ex quatuor scholis unam Graecae scriptioni tribuerem. Quod ego quum fecissem nostis profecto, Vos, qui nunc adestis illarum sodales scholarum, quanta cum industria has

(*) [Horum Opusc. Vol. I. p. 641.]

has scribendi exercitationes obierit ac perceperit. Ipse etiam hoc in genere suum sibi, ut solebat, separatim instituit pensum, vertendo Ciceroniano Paradoxorum libello, antea sibi in scholis nostris Latinis pertractato: ejusque Exordium à se conversum mihi ostendit, judiciumque meum ut sibi impertirem, me rogavit. Ego indefessum optimi adolescentis studium magnopere miratus, nolens id eum minore, quam par erat, fructu consumere; suasi ei ut initium vertendi faceret in Historico, ostendens quantum ad intelligendi facilitatem interesset inter historicum et didacticum genus: depromsi ei eumdem Paradoxorum libellum ab Adriano Turnebo Graece redditum: jussi eum, illius et suum Exordium inter se comparare: tum continuo Nepotem in manus dedi, ut conaretur eum Graece reddere. In quo quum sibi opera quamvis subità facilius, quam in illo meditata, succederet, atque utriusque generis et interpretationis differentiam agnosceret, et porro ei dicerem, me puerum aliquot Vitas Nepotis Graece vertisse; domi statim idem agere coepit. Sed fuit hic quoque unus ex postremi anni laboribus, quos haud ita multo post mors intercepit.

Disputandi scholas ut haberem, ipse fuit in primis hortator: meministis qua industria iis praetor praefuerit: ut nostram rationem Vobiscum probaverit et aliis approbaverit, jungendae dialecticae et rhetoricae exercitationis: publicae autem et privatae actionis disjungendae; ut simul ad La-

ti-

tinae orationis facultatem et dialectice disserendi rationem proficeretis. Meministis, ut postrema in disputatione interrogantis partes agens eas amanter et facete concluserit, ponendo hujusmodi syllogismo: quidquid studiis hoc anno salutare fuerit, id etiam proximo anno persequendum esse: fuisse autem salutares disputandi scholas hoc anno studiis; ergo Praesidem rogandum esse, ut eas proximo etiam anno persequatur. At bonus Wassenaerius voti hujus fructum ipse non tulit: dixerat hoc exeunte Junio, Julio exeunte occidit!

Longum est caetera referre, quae vel pro se ipse legendo meditandoque didicit, vel in hoc genere erga alios studiose officioseque fecit. Ad quae quum alia multa domestica, et vetera et nova, negotia accederent, plane mirabile videatur quomodo his tam multis laboribus vires ac tempus suppeditare potuerit. Postremus fuit ei hic labor. Annum vigesimum primum completurus calendis proximis Martiis, ac titulum dominiumque suscepturus erat utriusque Cattovici, et Valckenburgi: quorum reditus mater, ut tutor, administraverat, administrationemque, in qua filium instituerat, eidem jam tradiderat. Quo ille honore adeo non gloriabatur, ut fere nemini, nisi quibus necesse esset, ejus rei notitiam impertiret. Caeterum quomodo in hac rerum commutatione aviti patrimonii possessionem tueretur multum cogitans, eique expediendo an oblatum sibi Majoris Cattoviceni munus acciperet, varie deliberans; ta-

tamen, ne Academica studia nondum decursa abrumpere cogeretur, recusans; interea morbo corripitur, subitoque quasi fulminis ictu nobis eripitur!

Epaminondas bello Leuctrico audiens virum strenuum et laboriosum morbo periisse, *Heu!* inquit, *quomodo tali viro aegrotare vacavit?* Et hoc nobis de Wassenaerio dicere licet, et multo etiam magis illud, Quomodo tam occupatus ordinariis studiis adolescens tam multa extraordinaria, atque adeo tot tantaque à studiis aliena negotia tractare, quomodo denique triennii spatio in Literis ac disciplinis tantos progressus facere potuit? Operae pretium est pauca respondere, quae ad Vos monendos pertineant.

Quum, quod supra diximus, ad proficiendum discenti tria adesse debeant, natura, institutio, exercitatio; saepe fit, ut in his, quamvis paribus, dispares fiant profectus; et plures discentes, in quibus tria illa aequalia sint, non aequaliter proficiant. Scilicet omne momentum positum est in exercitationis labore recte gubernando; siquidem alius multo labore parum, alius parvo multum efficere potest. Sequenda est certa via et ratio, quae à principiis et facilibus orsa aditum ad difficiliora patefacit: nec ulla pars nondum satis perspecta sine animadversione praetermittatur. Veluti, ut hoc utar exemplo, in Graecis et Latinis, verbum, nomen, particula, constructio, ne praetermittatur quin ejus rationem et usum inda-

cagemus ac perspiciamus. Sic factitabat Wassenaerius, probe sibi persuadens, se sic non in minutis rebus, sed rerum magnarum fundamentis versari, nec esse quidquam parvum, quod ad magnum finem tendat.

Porro, vitae agendae constantem ordinem adhibebat; ut totum ei tempus in suas partes distributum, cuique penso ac negotio sua pars constituta esset; ut et solitis rebus tempus superesset, nec subitis deesset. Atque hac in dispensando tempore diligentia et quasi oeconomia, illud etiam consequebatur, ut nec actum quid ei periret, nec agendum elaberetur. Veluti in legendis Veterum scriptis quidquid in rebus vel verbis memorabile videret, id continuo in Adversariis, per literarum ordinem digestis scribebat, unde postea facile quidque promeret: si quid autem ei aliud agenti, subito in mentem veniret, si quid etiam ex aliis narrantibus audiret, agendum, quaerendum, inventum, hoc statim in libello memoriali notabat, deinde prouti opus esset, vel agebat, vel in Adversaria referebat: adeo cavebat, ne sibi quid utile, semel cognitum, ex memoria efflueret.

Duo autem in primis ei profuerunt, quae ex puerili institutione in nostras scholas attulit. Alterum, cognitio elementorum Geometricorum, quae quamquam leviter percepta, tamen eum ad illam methodum adsuefecit, ut etiam in Literis et aliis disciplinis nil sibi traditum temere pro vero acciperet, sed definitiones ac demonstrationes re-

quireret; indeque ad Dialecticae praecepta delatus, hanc facultatem magis etiam confirmaret, et amplificaret. Alterum est, quod non ignarus Historiae Geographiaeque ad nos venit; quarum initia in vulgaribus adeo scholis tradi solita, in gymnasiis tamen, sive Latinis, ut vocantur, scholis multis nimium nimiumque negliguntur. Unde saepe fit, ut hinc discipuli in Academias missi, Academicos doctores Historiam docentes vel non audiant, vel audientes novitate argumenti in distribuendis aetatibus et distinguendis annis se ipsi impediant, denique hoc studium, unum omnium facillimum ac jucundissimum, tamquam difficile ac molestum deserant. At Wassenaerius, qui jam antea Historiae suavitatem utilitatemque praecepisset, nostras de eâ scholas eo magis expetere et adamare coepit; indeque profectus ad alias Historiae partes, veluti Literarum, Philosophiae, Doctrinarum, hac luce, quae aliis essent obscura, sibi clara et perspicua reddidit; quum quamque rem, sive populorum conversiones, bella, pacta, sive leges, Senatusconsulta, constitutiones, sive scripta et placita doctorum, ad suum tempus, locum, auctorem, referre nosset. Vel extremis his paulo ante obitum mensibus, quum ad interiorem scientiam Juris Francici, patrimoniumque suum tuendum pertinere judicaret, Francici Regni historiam, cujus brevem epitomen nostris in scholis praecepisset, ampliorem uberioremque percipere; id exiguo tempore consecutus est; quod Franci-

cici Regni originem et progressum, ejusdem cum caeteris Europae populis nexum et conjunctionem, omnino Veteris, Medii, Recentioris Aevi res rationemque teneret.

Nos igitur quidni moereamus orbati sodali tam docto, tam grato, tam nostrûm amante? Moereamus sane! sed moerorem aliquando sequatur ac leniat ratio. Me vero et adhuc illa, quae nunc Vobis proposui, monita confirmarunt; et recenti casu vehementer afflictum erexit Virgilianae Musae carmen in Daphnidem, nuper a nobis tractatum praesente Wassenaerio; mox, mortuo ipso, forte tunc in mentem mihi veniens; Daphnidem, inquam, pastorum principem, cujus in funere ut olim tota Sicilia luxit, sic ad famam de obitu Wassenaerii nostri, omnis nostra Batava patria, certe nemo non in quo vel paululum inesset humanitatis, et condoluit et ingemuit. Quod carmen quum mirifice temperatum sit ad praesentem nostrum affectum, et acerbitate doloris, et desiderio amoris, et lenimento consolationis; Vos ipsi totum postea legatis: nos nunc, age, sertum inde nectamus, et huic Wassenaerii nostri vel memoriae vel laudationi, aptemus coronidisque instar imponamus:

Exstinctum Musae crudeli funere Daphnin
Flebant, vos coruli testes et flumina Musis:
Quum complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Nos etiam quocumque modo illi nostra vicissim
Dicemus: Daphnin nostrum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsae jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille beatus!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi Daphni, duas, altaria Phoebo;
Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus Musis, et quum lustrabimus agros,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.



PRAE-

PRAEFATIO

LIBRI TERTII

MISCELLANEAE DOCTRINAE.

L. S.

Septem anni sunt, quod hic liber scribi ac typis describi coeptus est. Quod spatium quum publice et privatim in incredibilem temporum nostrorum varietatem incideret; ad hanc argumentorum delectus et explicatio accommodari debuit: quamquam utrumque etiam, veteri nostro instituto, constanter ad virtutis doctrinaeque fructum retulimus. Sed in tanto spatio ac temporum varietate facile fieri poterat, ut quaedam argumenta inter scribendum ac describendum necessariam caussam habentia, justumque sibi hoc in libro locum postulantia insequentibus annis supervacanea viderentur. Atque hujusmodi negotium aliquis amicus noster putavit esse duarum censurarum II et III admonendis nostris sycophantis scripta-

rum; quippe dudum illis contemtu et judicio doctorum virorum sepultis. Hae vero censurae nec scriptae essent, et vel jam descriptae ab hujus libri editione exclusae, si Epistolae Sodalium et Creuzeri ad debitam ipsorum doctrinae et elegantiae notitiam venissent. Et nos nostris sycophantis tantum abest ut invideamus, ut iis etiam summum bonum, νοῦν καὶ Φρένας, optemus. — Ao. MDCCCXVII.



PA-

PARENTALIA.

EX MISC. DOCTR. L. III. pag. 209, sqq.

Age vero, novissimos amicorum nostrorum manes salutando veneremur! Incidit enim hoc, proximum ab edito secundo Philomathiae libro, biennium sane funestum et frequens mortibus hominum nostri amantium, Literarumque studio nobis conjunctorum, multorum, heu! nimium multorum, quam quorum desiderium et jacturam nostra nos aetas ac tempora lenire et consolari sinant. E quibus quum nullus non meritis vel in Literas, vel in nos, vel alios multos, justae laudationis materiem praebeat; nos, et animi dolore et argumenti copia oppressi, eorum commemorationem paucis verbis complectemur: caeterum cogitatione nobis humanae conditionis fragilitatem proponentes, et illud,

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exsilium impositura cymbae.

 Quam-

Quamquam horum versuum ut tres priores verissimam sententiam habere judicamus, ita postremum nihil minus. Mortem non esse exilium, sed, contra adeo, reditum in patriam, poterat Poeta discere à Pythagora, et Platone aliisque Graecorum legendo sibi cognitis: poterat à Romanis, Cicerone, et Virgilio suo: qui nobis magis persuadent, quam Horatius, caeterum admirabilis, at hoc in argumento, vel Epicurum vel plebem sequens. Sed haec hactenus.

I. Amicorum autem, quos memorare instituimus, prima Hieronymi Boschii *sors exiit urna*, die primo Junii anni MDCCCXI: quum ejusdem anni die septimo Februarii, et quarto Aprilis, et superioris mense Junio, Leidam veniens sic apud me fuisset, ut mihi prorsus veterem amorem referret, affirmans frustra laborasse Sycophantas, ut animum ipsius â me abalienarent. *Manibus hoc satis est.* Nam de vivo bis diximus, duo amicitiae nostrae monumenta posuimus: alterum, Epistolam, qua Boschio Partem undecimam Bibliothecae Criticae dicavimus: alterum, Narrationem de ejus editione Anthologiae Graecae, in Philomathiae libro secundo. Huc accedit, quo minus plura dicamus, quod in alienam provinciam invadere nolumus; si quidem et publice proposito praemio invitati sunt docti homines ad Boschii *Elogium* scribendum: et sua sponte id agere dicitur vir huic operi, si quis alius, idoneus, D. J Lennepius, Professor Literarum in Illustri Amstelodamensi

Athe-

Athenaeo. Illud fortasse non inutile sit futuro scriptori monendo, quodque quosdam fugisse vidimus: hujus, ut Curatoris, nullas fuisse partes in me Leidam vocando; quippe qui, me dudum vocato, Curator factus sit: mihique, à prioribus Curatoribus vocato, oblatam cathedram recusare suaserit: ut ipse, illo vivo, narravi, Bibl. Crit. P. xxviii (*).

II. Paucis post diebus altera sors exiit Jani Derkindereni, discipuli peramantis nostrum, quem antea bis memoraveramus, ut magnos in Literis progressus habentem: primum, in Vita Davidis Ruhnkenii, p. 277 (§), deinde in Annotatione ad Selecta Historicorum Graecorum, editionis alterius p. 456. Pater cargator, vir spectatae industriae ac fidei, Amstelodami cargarium (†) negotium factitabat sane quaestuosum: eidem hunc filium destinaverat, artibus idoneis linguisque hodiernis erudiendum curaverat, jamque adjutorem sibi adhibebat: quum hic forte, ut lectione librorum delectari solebat, in historiolas Graeci Romanive argumenti incidit, indeque has Literas discendi mira cupiditate incensus est. Ergo magistrum quaesivit: quem solertem nactus, inde à primis elemen-

(*) [Hujus Vol. pag. 65.]

(§) [Horum Opusc. Vol. I, pag. 789.]

(†) Utimur nomine vulgari, quo fere dicitur procurator navium onerandarum: haec et similia, non multo diversa significatione, usurpata in Latinitate Medii Aevi. Vid. Ducangius T. I, p. 319. Carpenterius T. II, p. 822.

mentis, quae penitus ignorabat, orsus, unius anni spatio tantum profecit, ut nostris scholis uti posset. Et usus iis est per quadriennium, initium faciens a. MDCCXCV, ipse viginti et unum annos natus: et altero jam mense princeps sodalium, non satis habens commune pensum devorasse, proprium requisivit, quo altius evolaret. Legit igitur hoc primo et altero deinceps anno Homerum, Hesiodum, Herodotum, Xenophontem, Thucydidem: eosque totos et grammatica ratione: ex Latinis, Nepotem, Justinum, Terentium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, totos: Ciceronis, Livii, Ovidii, complures libros: ita ut Latinitatis rationem et judicium consequeretur. Quod tantum erat spatium, quantum tam brevi tempore conficere discipulorum meorum memineram neminem. Etenim, quam sibi cumque rem discendam proposuisset, eam celeriter arripiebat, firmiter retinebat, nec ex manibus dimittebat, quin à principio ad finem totam persecutus, singularum etiam partium intelligentiam percepisset. A tali initio et facultate quis non exspectasset eum mox Literarum principem fore. At sine ipsius culpa multae supervenere caussae, quae in itinere instituto eum retardarent. Nam per proximum biennium ter morbo laboravit: qui quum raros ad studia reditus daret, nec eos satis magnos, nec vires ut nuper pares legendis Scriptoribus totis, contentus fuit per morbi intermissiones in Scholas ventitare, domi, lecta re-

relegere, vagari per multos libros, ex alio in alium involare: quod genus studiorum antea contemnebat, nil ordiri nisi quod ad finem perduceret, nil inchoatum relinquere, solitus. Sanato confirmatoque accidit a. MDCCIC ut Leidam migrarem: quo et ipse me sequi volens, parentum caritate domi retentus est. Ibi tum apparuit, quod alios etiam magistros animadvertisse necesse est, discipulos quosdam, quamvis non amplius in scholam ventitantes, tamen porro ita maxime ad proficiendum juvari, ut quam proxime magistrum degant: cujusmodi quid et sibi in quodam familiari usu venisse Socrates narrat apud Platonem in dialogo Theage p. 11, 12. Filius apud parentes manens paulatim aliquantum ex priori discendi ardore remisit: accedente praesertim frequenti amicorum et cognatorum reprehensione, eum culpantium, quod id aetatis adhuc apud suos aleretur, nec ipse sibi victum quaereret, sed, relicto quaestuoso patris negotio, infructuosam Literis operam navaret. Quibus ipse voculis nullo quidem modo à Literarum studio, cui se in perpetuum consecraverat, abduci potuit: sed tamen commotus est, ut in animum induceret, ea, quae didicisset, ad quaestum conferre, et primam quamque vacantem scholasticam quamvis inferioris ordinis cathedram petere. Itaque, in Gymnasio Amstelodamensi, infimae classis Praeceptor factus est. Ibi quum ei quotidianum opus esset, per antemeridianas et pomeridianas horas, puerorum animis, pri-

prima Grammaticae elementa, declinationes et conjugationes inculcare, infra sane ipsius dignitatem ac doctrinam, vespertinae tamen ei remanebant vacuae, quas lectioni veterum Scriptorum tribuebat. Quamquam et hanc ei felicitatis partem mox ademit matrimonium, in quod incidit, indotatum, et multis liberis foecundum: quibus sustentandis, etiam vacuas horas privatis scholis habendis consumere debuit. Sic in scholis continuo docendi labore fatigatus, domi à liberis turba strepituque exceptus, neque requiescendi, nedum aliquid suo sibi studio legendi, tempus locumve reperiebat. Attamen hanc sortem patienter tulit, meliorem ei brevi successuram sperans. Quod dum sperabat, et nos, ne frustra speraret, operam dabamus, liberos ejus erysipelas morbus invasit: quibus opem paterno et effuso animo ministrans, ipse eodem morbo implicitus et cum duobus è liberis absumtus est. Caeterum in illa conjugialis aerumna vitae, quum in Literis parum addiscere posset, cavit tamen ne quid dedisceret: semperque illum scientiae modum obtinuit, quem antea habuerat, quemque supra declaravimus, et duobus illis in libris significavimus: quorum in priore testati sumus, eum praeclara studiorum et variae simul accuratae que doctrinae laude florentem, cum Mahnio in eo discipulorum meorum pari à Ruhnkenio numeratum esse, ex quo hic sibi alterutrum collegam obtingere optaret: in altero autem libro acutam ejus verisimilemque Xenophonteam

team correctionem laudantes, diximus, eum dignum professoria cathedra, adhuc in subsellio scholastico praeceptoris infimae classis acquiescere. Sed et alias ab eo factas esse correctiones meminimus. Exstant certe edita ejus industriae opera duo: alterum, Rudimenta Grammaticae Graecae: alterum, accessio, quam ipse, sodalis Philomathiae, Epistolis et Appendici Primae contulit. Ex quibus omnibus existimare licet, quantum ejus scientia nobis Literarum fructum attulisset, si vita ipsi et longior et facilior contigisset.

III. Tertius fuit Wassenarius noster, cujus memoriam in principio hujus libri edidimus.

IV. Quartus, Fredericus Jacobus Bastius, et ipse bis a nobis laudatus, Bibliothecae Criticae P. XI. p. 118, et Philomathiae Libro II, p. 248. Natus d. XVI Martii, a. MDCCLXXI, Buxovillariae (Buchsweiler), oppido ditionis Hasso-Darmstadiensis in Alsatia: ubi pater erat Gymnasii Rector, Praeceptor Seyboldus, alibi nobis notatus, caeterum elegantis doctrinae non expers, cujus disciplinae puer multum debuit. Theologiae destinatus, huic aliisque Literis percipiendis adolescens Jenam petiit, salario adjutus a Serenissima Amalia, Ducis Saxovimariensis matre, bonarum artium patrona egregie docta. Huc venit a. MDCCLXXXIV, quinquennium manens, audivit Griesbachium, Doederlinum, Reinholdum, alios, maxime omnium Schutzium, Literarum nostrarum decus, quo auctore ac doctore se iisdem consecravit.

vit. Relicta Jenensi Academia a. MDCCLXXXXI Comes ab Epistolis additur Legato Hasso-Darmstadiensi (De Jan.) Vindobonae; ubi in Caesarea bibliotheca aptam suo studio materiam nactus, plurimos Graecorum Scriptorum codices excerpsit. Ibidem Hasso-Darmstadiensem Principem Georgium Carolum fautorem adeptus, huic inscripsit libellum Germanicum *de Platonis Symposio* a. MDCCLXXXXIII. Mox Latine scriptum, et patrono suo, Legato, dicatum, edidit *Specimen Editionis Novae Epistolarum Aristaeneti* a. MDCCLXXXXVI. Proximo anno fuit item Comes ab Epistolis Gazerto, viro amplissimo, Hasso-Darmstadiensi Consiliario, ad Conventum Rastadiensem, pacis caussâ habitum, misso. Hinc redux eandem officii operam praestitit illustri Comiti à Pappenheim, ejusdem Hasso-Darmstadiensis aulae Parisiis Legato: cui percarus fuit, eoq̃ue absente Legationis negotia solus administravit. Qua in urbe eumdem, quem Vindobonae, vitae cursum tenuit, vacuum â negotiis tempus ad codices Graecos pervolutandos excerpendosque conferens. Epistolam Criticam ad Boissonadium edidit a. MDCCCV, cujus praestantiam declaravimus censura ejus in Bibliothecae Criticae P. XI. prodita, unde, ad cognoscendam Bastii eruditionem, haec certe exordii pars referenda est: „ Scriptor adhuc nobis cognitus erat ex specimine editionis novae Epistolarum Aristaeneti, anno MDCCXCVI Vindobonae edito; unde praeclaram de ejus doctrina spem conce-

ceperamus. Quam spem hic liber non modo explevit, sed etiam multum superavit; quippe cujus argumentum et opera per omnem Graecae Criticae provinciam late patet. Nam et ipsius linguae apparet accurata et grammatica cognitio: et lectio multiplex optimorum Auctorum: et observatio diligens dictionis elegantioris et rarioris: et acumen in plurimis iisque egregiis emendationibus: et judicii subtilitas, cum universe, tum de veterum librorum bonitate et editionum fontibus: et vero usus ac tractatio frequens codicum scriptorum bibliothecae Parisinae; unde Graecorum vel correctiones vel novi loci proferuntur. — Quo jucundius nobis accidit ejus propositum illustrandi Luciani, quod profitetur p. 42." Hunc autem suum librum tum recens editum, ipse nobis miserat, addita humanissime scriptâ epistolâ; unde initium factum mutuae benevolentiae, quae deinceps literarum inter nos officium frequentavit. Alteram hujus libri editionem fecit a. MDCCCIX, à nobis memoratam Philomathiae Libro II. Biennio antea nobis impertiverat, Phaedoni nostro expoliendo, varias lectiones septem codicum Vindobonensium: de quibus diximus, p. 106, editionis nostrae. Interea ipse honoribus auctus, factus Consiliarius Legationis, Eques Ordinis Hasso-Darmstadiensis *Meritorum*, Instituto Imperiali Francico epistolarum commercii caussa adscriptus, quorum nomina posita in titulo editionis secundae exstant. Per aestatem a. MDCCCXI

Pa-

Parisiis Darmstadium profectus, in itinere Heidelbergae totum diem apud Creuzerum nostrum fuit. Qui non modo ex ejus sermonibus, ingentes ipsius in codicibus scriptis excutiendis labores, et librorum edendorum propositam multitudinem, sed etiam ex corporis adspectu inusitatum virium robur ac valetudinem succo et sanguine quasi turgentem, admiratus est. Unde, nemine quidem tale quid metuente, tamen mox apparuit illud Hippocrateum, *ἡ ἐπ' ἄκρον εὐεξίη σφαλερή*, summam valetudinem esse periculosam. Redux Parisiis misit nobis exemplar promissum Gregorii Koeniani, d. XV Octobris, adscriptâ paucis verbis salutatione. Mox d. XIII Novembris vesperi alicunde domum rediens, apoplexi concidit in via Honorea, indeque sublatus, mortuus domum relatus est. Nos viri obitu eo magis dolemus, quo magis et nobis favit, et Batavorum in his Literis studia ac rationem, quam quidam recentes ejus populares Hellenistae contemnere videri volunt, ipse probavit, laudavit, secutus est. Vidimus catalogum, partem bibliothecae Bastii complexum eam, quae ad *Literaturam Antiquam* et *Novam* refertur: et vidimus optimorum librorum editionumque multitudinem nostra exspectatione majorem. Variae autem lectiones è codicibus scriptis ab ipso excerptae, non solum in marginibus editionum exstant, sed etiam singularibus inscriptae chartis, fasciculos LXV explent, in quibus complures etiam inediti libelli Graeci, et ipsius animadversiones,

con-

continentur. Catalogus, conscriptus, ut videtur, ab homine docto, multa habet, quae ad cognitionem literariam vitae et studiorum Bastii pertineant. Auctio horum librorum et fasciculorum proscripta in d. XXX Martii a. MDCCCXII, deinde in diem incertum dilata, jam facta sit, nec ne, nondum audivimus. Nam ipsi quominus mandata ad emendum daremus, et oculi nos nostri utendis illis chartis impares, et vero tempora, prohibuerunt.

V. Jam vero et ex Helvetia, natali patria, duplicis nos domestici funeris acerbitas afflixit, et cognati optimi et sororis optimae. Sed de illo prius dicamus, quando illius sors prior exiit urna. Joannes Wyttenbachius patrem habuit cognominem, rerum sacrarum in Republ. Bernensi Praesulem, auctoritate et prudentiae laude florentem. A natura factus ad probitatem, beneficientiam et industriam, à fortuna destinatus ad rem publicam gerendam, huic cognoscendae mature studuit; adolescens ac paene puer in idonea huic studio positus statione, adscriptus officialibus Quaestorii, quam Cancellariam vulgo vocant, ut in ea per legitimos gradus in eum ordinem adscenderet, ex quo Senatores legebantur. Fuitque haec ei cognitio materia non solum negotii, sed et otii et unicae oblectationis. Et quod ille in Andria Pamphilus juvenilibus adolescentium sodalium studiis omnibus mediocriter obsequendo, nec iis adversando, nec aliis se praeponendo, sine invidia laudem invenit et amicos sibi paravit: eumdem fructum ube-

uberius etiam simili via, sed verioribus instructus subsidiis, W. noster assecutus est. Nam quae vulgo usurpantur, venari, piscari, aucupari, equitare, aurigare; pila, alea, chartis, ludere: fidibus aut tibiâ canere: vinum, aut similia vini potulenta, bibere: tabaco, quod dicitur, uti: et quidquid huiuscemodi adventitium, praeter naturae necessitatem adscivit hodierna consuetudo: horum omnium ille nihil, ne mediocriter quidem: et tamen si forte in coetus talia agentium incideret, compotantium adeo et comessantium, eorum laetitiae obsecundabat, et quamvis abstemius ac sobrius jucundi sodalis partes tuebatur. Ad hanc facilitatem comitatemque accedebat mira candoris, ac benevolentiae significatio, sermo plenus rerum scitu dignarum è civili prudentia et historiarum varietate, qui eum et junioribus et senioribus commendaret. Anno MDCCLXXXV, aetatis vigesimo quinto, stationis cancellariae decimo, commeatum accepit peregrinandi per exteras terras in biennium; ut fere illic liberaliter instituti juvenes solent. Primo Goettingam veniens, annum ibi commoratus est, audiens celeberrimorum scholas Professorum de Jurisprudentia, Historia, Geographia, Diplomatica, Rerumpublicarum cognitione vulgo dicta Statistica, Politica; Oeconomia in primis et Technologia, id est de artibus officinarum, Beckmannum: privatim quoque Heynii nostri institutione stili Germanici utens. Inde peragrata illa Germaniae parte, lustratisque praecipuis urbibus

bus Lipsia, Dresda, Berolino, Hamburgo, aliis, mensem apud nos Amstelodami fuit: tum plerasque alias urbes Batavas obiens, porro in Belgium trajiciens, Lutetiam Parisiorum venit: ibique complurium commoratione mensium facta, ad suos rediit. Atque omnibus illis in terris locisque quum diligenter observasset, quae ad suum discendi consilium pertinerent, magnamque utilium rerum cognitionem collegisset, hanc continuo ad usum actionemque, patriaeque emolumentum, convertere coepit. Itaque porro se ad omnes Reipublicae partes perspiciendas applicuit, eas maxime, quae ad vectigalia et sumtus, eorumque invicem accommodandorum rationem, spectarent: proventum frumenti, pecoris, vini, mellis, olei, aliarum rerum et opificiorum: mercaturam, exportationem, et invectionem: decimas, tributa, portoria: alia hujus generis innumerabilia. Huc in primis referebat omnium opificiorum artes, quas diligenter in Beckmannianis scholis cognoverat: eaque de causa frequens officinas artificum ingrediebatur, cum quoque de sua arte disserebat; si quid forte novi ab eo discere, aut eum docere, posset. Ibi tum saepe accidebat, ut artifex fateretur, se, quominus artem suam melius etiam tractaret, ex re familiari laborare, et alieno subsidio egere. Quod W. numquam surdis auribus audiens, laborantem semper consilio, opera, re, juvit. Unde paulatim factum est, ut aliorum etiam hominum, nisi re, consilio tamen et opera, ab

eo juvari volentium, tantus ad eum numerus confflueret, ut brevi tempore negotiorum procuratione obrueretur; quippe qui per naturae suae beneficientiam et gratuito aliis operam praestaret, neque cuiquam honesta petenti negare aut vellet aut posset. Interea amicis eum subinde adhortantibus, ut uxorem duceret gentique suae propagandae operam daret: „ Huic rei quantum satis est operam dant frater et alii gentiles: mihi quidem adoptivi filii multi sunt, omnes hi, qui mea re et opera egent et utuntur: vos vero nolite me in illam vitae conditionem includere, quae me cogat non amplius civibus meis, sed mihi soli, vivere." Deinde suo sibi tempore Senator factus brevem pacis fructum cepit; Gallici mox regni conversione ingruente, Helvetiam quoque implicante, Bernae opes affligente. Quibus de rebus, ut recenti memoria et in totius Europae luce gestis, dicere opus non est. Illud non reticendum: his in fluctibus cum civilibus tum bellicis, quum Senatus Bernensis maximum et momentum et discrimen esset, W. nostri fidem et constantiam inter caeteros eluxisse, ejusque sententiam semper habitam esse eam, quae à sano sinceroque judicio, neque corrupto ullâ vel propriae utilitatis spe, vel partium studio, vel quocumque affectu, profecta esset. Ac veluti tranquillus limpidae fons aquae in ipso fundo pellucet, atque imagines propinquarum rerum integras nulloque tremore aut flatu turbatas suscipit ac reddit: sic hujus animus sim-

simplex et apertus, nil simulatum tectumve alens, unicuique totus ad inspiciendum patebat, et externarum rerum visa, facta aliorum, actionesque, et fortunae casus, mediis in fluctibus, severo judicio accipiebat, nil alieni illis vel amore aut odio, vel cupiditate aut metu, affingente. Roganti mihi, ut istius conversionis narrationem à se factam ad me mitteret, perscripsit eam, sane lectu dignam, ex rerum civilium scientia et caussarum observatione; ut plane scriptam Polybiana ratione diceres, ad quam rationem, sine imitatione, suo ipse ingenio ferebatur. Senatu optimatum à plebejis dimisso, ipse tamen ab his amabatur et colebatur, ut qui semper utrisque ac toti patriae consuluisset. Reconciliatis ambabus factionibus, lectus Senator utriusque Senatus, *universi* et *urbani*, Praefectus Quaestorio Vectigalium, moderandae Academiae Triumvir, his muneribus per reliquum vitae tempus praefuit. Ad quae quum, ut antea, alienorum procuratio negotiorum accederet, testamenta, tutelae, arbitria, advocationes, et alia cujuscumque generis, ipseque haec omnia cum religione et cura administraret, nec valetudini parceret, saepiusque rheumatismis tentatus, à medicis monitus, ut finem aut certe modum faceret illi procurationi, eos eo minus audiit, quod natura laboriosus viribus et consuetudini suae fideret, omniaque magnâ cum facilitate tractaret; quippe qui mirifico cuncta ordine digesta teneret, cujuslibet negotii et agendi certum tempus

 ser-

servans, et actis rationibusque ponendis certum locum tribuens. Itaque pergebat solito more vivere, nil quidquam vitae metuens; veluti mihi, cujus res in Batavis incertae videbantur, a. MDCCCX. prospiciens, suaque omnia offerens, nullâ interpositâ morâ aliquot longiores epistolas scripsit, quasi optime valens, quamvis debilitato corpore; se minus bene valere ne significans quidem, nedum caussans. Proximo anno valetudo dudum dubia in hydropem evasit. Cui levando quum vernum aestivumque tempus ruri degisset, vergente autumno Bernam rediit, praesente medici sui ope usurus, cujus in curatione porro degens d. XII. Novembris vesperi in lectulo recubans, cum suis coenans et colloquens, dum se in alterum latus convertit, placide, ut voverat, ita exspiravit. Hic quantum sui suarumque virtutum desiderium reliquerit singulis et universis civibus totique patriae, declararunt Ephemerides Bernenses, non illae, ut aliae, vaniloquae, sed veritatis testes et consentiente populi judicio confirmatae. Nos optamus, ut et patriae cives alii similes obtingant, et in hujus erga nos amore et officiis alius pari virtute cognatus succedat.

VI. Hunc virum quando jure meritoque laudavimus, religioni habemus tacere de optima sorore, quae nobis hanc de illo notitiam perscripsit, cum diligenter, tum dolenter et amanter, ipsaque paucis post mensibus diem suum obiit, nosque induxit ad recordationem non modo hujus viri, sed

etiam

etiam majoris nostrae sororis, dudum defunctae; ut eo acerbior multiplici jactura, vetere et recente, dolor ad animum nostrum accideret. Ergo et in sororibus, non minus mortuis, quam vivis, pietatem colamus, earumque memoriam comiter et usurpemus et prodamus. „ De mulierum virtute, inquit Plutarchus, dissentio à Thucydide, qui eam optimam mulierem esse pronunciat, de qua foris minimus vel in bonam partem vel in malam sermo sit: censens nimirum, ut corpus, ita famam quoque bonae mulieris inclusam esse, neque in publicum exire debere. Mihi autem elegantior videtur Gorgiae opinio, qui mulieris, non formam, sed famam, vult multis esse notam. Optime vero Romanorum legem constitutam esse judico, quae, ut viris, ita mulieribus quoque post mortem publice debitam laudationem tribui jubet." Ergo si justum est, virtutem in muliere laudare, in sorore eam reticere sane injustum sit. Et nos eâ memorandâ obsequimur et Plutarchi judicio, et Romano mori, et nostro dolori, et pietati, hoc illius caritati debitum officium existimantes: et vero religioni, nefas ducentes ab institutis his virorum parentalibus sororios manes excludere. Omnino fraterni amoris multae sunt caussae, quas enumerare omnes longum sit: prima quidem et necessaria, iisdem parentibus nasci: tum plures, aliae aliis ita majores, ut majorem animorum conciliationem habeant: unâ vivere, nutriri, educari, à pa-

parentibus pariter amari et curari: lusum et seria, laeta et tristia, communia habere: invicem ridentibus arridere, flentibus adflere: majus etiam vinculum adfert societas institutionis puerilis: longe autem maximum communio juvenilis disciplinae, et cognitionis elegantiorum Literarum, qua et ingenium ad veri pulcrique judicium, et animus ad virtutem, excolitur; unde existit morum, sensuum, studiorum, similitudo, et ipsa amicitia, alterum ut se ipsum amans, sine qua verus fraternus amor esse nequit. Ego vero quum unum fratrem, et tres sorores, haberem, frater ac tertia soror me juniores nunc etiam supersunt: ille belli et pacis artibus Minervae alumnus, emeritis laudabiliter longae militiae stipendiis, sibi vivit, suisque se literulis tuetur: haec conjuge sacerdotali ac tribus filiabus floret. Sed ejusmodi, qualem dixi, aequalitatis et condiscipulatus necessitudo mihi intercessit cum sororibus duabus me paulo majoribus. Et in artibus quidem juventuti utriusque sexus necessariis valde nos mutuo conciliabant Historia et Geographia: quas ita et ad eum modum perdiscebamus, ut quamcumque earum partem invicem interrogantes et interrogati memoriter redderemus: nec tantummodo ex nostris compendiis, sed etiam extra haec in rebus novissimis, veluti belli septennis, quod in illam aetatem incidit, gesta et vicissitudines assidue in novellis, quae dicuntur, ephemeridibus politicis, legentes, sic tenebamus, ut ea postea semper secun-

eundum ordinem temporis, quamvis subito, referre possemus. Inde utriusque linguae, id est Francicae et Germanicae, praecipuos poetas et scriptores, qui ad mores formandos ingeniumque expoliendum valerent, legimus, et stilum exercuimus, vertendis insignibus illorum locis ex altera in alteram linguam, scribendis epistolis ad exemplum Sevigniae et Gellerti, pingendis characteribus ad imitationem Bruyerii. Interea ego, qui separatim Graece Latineque discens, Virgilium et Homerum cognovissem, sororibus narrare, illam à nobis lectam ac tantopere laudatam Voltarii Henriciadem fere ex Aeneide expressam esse, Aeneidem ex Iliade et Odyssea: illae mirari, quaerere Homeri Virgiliique carmina Gallice reddita: legere, mox è manibus deponere, praeferre Voltarium, dicentes videri poetam quemque ipsum sua linguâ utentem legendum esse. Quod si sors nostra nos diutius unâ manere sivisset, haud scio an Graece Latineque didicissent. Et sic quoque, ut mulieres, doctae et erant et habebantur. Minorem etiam formâ commendatam multi petebant proci: quorum illa caeteros ut parum literatos contemnebat: uno excepto, qui et Literis et moribus amabilis videretur, Salchlii, collegae quondam patris mei in Theologiae cathedra Bernensi, filio: cujus, ut, poetae, haud exigua exstitit fama, et nos carmen *De Malo* memoravimus in Bibliothecae Crit. P. x, p. 135; quocum nupta tres et quadraginta annos in Helvetia, obiit d. XIV

Julii a. MDCCCXII, duabus relictis filiabus, quarum minor nupta Lutetiae Parisiorum tertio post matris obitum mense optimum maritum morte amisit: major apud patrem vivit: qui ut saepe ad pangenda carmina Musam invocavit suam, sic quin nunc eam deflendae optimae uxori invocaturus sit, non dubitamus. Major nostra soror à literatis et ipsa petita procis, nacta maritum Ludovicum Galliepum, Artium, ut vocantur, Pulcrarum Professorem, Hanoviae mortua est a. MDCCLXXIX, conjugii septimo, relictis item duabus filiabus, sed parvulis, in tutelâ patris, qui, earum institutionem diligenter ac prudenter moderatus, nuper ibidem obiit a. MDCCCIX. Harum utraque in domesticum à me convictum recepta: minor domi meae subito morbo exstincta obiit a. MDCCCIIC: major hunc vigesimum et primum annum apud me est, et diu sit. Mihi fratri, terni illius consortii reliquo, ad Batavos delato, in tanto annorum spatio, sorores non nisi semel invisere licuit. Ergo veterem consuetudinem mutuo desiderantes, et longinquam spem velut immensum mare prospectantes, desiderium literis scribendis consolabamur. Utraque literas scribebat, quales pauci possunt literati, amanter, facete, argute, cum rerum copia et varietate, et narrationis nativa facilitate; ut longissimae quaeque maxime delectarent: utraque non minus probitatis et beneficentiae, quam ingenii et eruditionis, fama floruit.

Haec

Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

VII. Nobis vero hujus parentalis argumenti, quantum absolvimus, tantum succrescit; adeo per hos annos amicorum funera continuavit fatum. Occidit et Heynius et Larcherus, uterque saeculi decus: occiderunt clari doctrina viri plures: Chardonus Rochettius: Joannes Randolphus V. S. R. Episcopus Londinensis, Plutarchi nostri sospitator: tum veteres nostri sodales, pueritiae Ithius, adolescentiae et Philomathiae Wagnerus, proximae et sequentis aetatis Paradysius et Temminckius, ille etiam et collega et medicus noster, et multis consuetudinis sermonumque suavitatibus nobis carus. Quibus si suum cuique debitum officium hoc in libro praestemus, eum justo et seriorem et longiorem emittamus. Itaque pios manes deprecamur, ut hac brevi mentione contenti, uberiorem nobis aut remittant, aut in aliud tempus differre permittant. Neque etiam nostro praeconio indigent, ipsi sua se doctrinae fama tuentes, cui comparandae satis illis longum vitae spatium superfuit. Et vero nos quemque eorum vivum aliis librorum nostrorum locis commemoravimus, et quae cujusque de Literis merita essent, quae nobiscum necessitudo, significavimus. Quidam etiam publice disertos laudatores nacti sunt: Heynius Heerenium, Larcherus Boissonadium, Paradysius Tollium nostrum. Haec nunc hactenus.

VIII.

VIII. Diversa est eorum caussa, qui alumni disciplinae nostrae, in eaque egregie versantes, occubuerunt anteaquam industriae suae publicam laudem tulissent: qui profecto nostra opera et scriptione ab oblivionis injuria vindicandi sunt. Quo in genere fuit Wassenarius noster. Quem biennio post in similis fati consortium secutus est *Davides Catharinus de Haan*, Petri filius, viri in primis inter nostrates spectati, probitate, mercatura, familia, natorum cum felici proventu, tum diligenti institutione. Hi tunc erant numero septem, quum antea octo fuissent: eorumque quatuor deinceps nostris quoque scholis usi sunt, non solum ut assidue commune pensum peragerent, sed etiam ut adjungerent proprium ac domesticum, lectionem principis alicujus scriptoris, à cujus intelligentia deinde ad alios scriptores proficiscerentur. Hoc item alterum jam annum naviter factitabat Davides Catharinus, fratrum quartus ordine, perlectoque Homero, versabatur in Xenophonte, ac subinde privatim ad me ventitans, et de locis difficilioribus quaerens, valde mihi progressus industriamque suam probabat, quum subito eum bellici impetus turbinis è nostro suorumque amplexu conspectuque abstulit. Annus erat abhinc tertius, MDCCCXIII, mensis Aprilis: putabamus res jam ad pacem et apocatastasin spectare, earumque salubritate terrarum orbem, longa calamitate fessum, tandem recreatum iri. Necquicquam: novus delectus, prioribus acrior, per Francicum impe-

pe-

perium, populosque ei subjectos, denunciatur. Rursus feralis Alecto bellicum insonat,

cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem; qua protinus omne
Contremuit nemus, et sylvae intonuere profundae,
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Poscuntur arma, viri, equi, apparatus: novum instituitur genus equitum, *satellites honorarii*, nisi malis eos verbum verbo reddens *custodes honoris* dicere. Legebantur è filiis familiarum ditiorum et honestiorum, qui suum ipsi equum aliaque in militiam adferrent. Quod acerbius etiam peragebatur in praefectura Amstelodamensi et Hagana, cui suberat Leida. Neque designato concedebatur mercede conducere volonem vicarium, qui ipsius loco militaret: quod alibi et alias licebat. Neque certum discrimen observabatur, ut maxime legerentur aut validi corporibus, aut animis feroces, petulantes, protervi, audaces, quales saepe sunt et haberi volunt adolescentes. Domus Haania tot filiis florens, quum prioribus è delectibus se expedivisset dandis vicariis, hujus postremi acerbitatem effugere non potuit. Designatur Davides Catharinus, inexorabili imperio, optimus adolescens, nec corpore robustus, et animo mitis, lenis, placidus: potius Μουσάων ἔρνος, quam ὄζος Ἄρηος. Fratres majores certatim se ejus in locum offerre: ille

ed-

eorum beneficium generoso animo recusare, asseverans se ipsum suam sortem ferre velle. Nos eum hilarare, militiae oblectamenta memorantes: novorum populorum locorumque cognitionem: proverbium, plurimas belli partes esse inanes, τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου κενά· frequens otium reditus ad studia concedens: posse ei obtingere praefectum doctrinâ politum, Xenophonteae Anabaseos studiosum, quales semper haud paucos fuisse in Francicis exercitibus, tum id quod tunc ferebatur, honorarios satellites Batavos non aciei et pugnae destinari, sed pro obsidibus servari, equos eorum in supplementum veteranis datum iri: denique notum illud: *haec olim meminisse juvabit*. His libenter auditis delectari visus, res ad profectionem componit, libros illos Graecos, et unum alterumque Latinum, sarcinis addit: mox ipse caeterique commilitones abducuntur Metim, Lotharingiae caput, ubi exercerentur, donec castris praeliisque idonei fierent. Hic eum prima fefellit spes de praefecto doctrina polito: adjungitur contubernio decani duri et ferocis, cui hoc principium muneris et antiquissimum erat, ut sarcinas tironum inspiceret, ac si quid suo judicio supervacaneum esset, quod sane multum erat, auferret: in his erant sine dubio libri: abjiciuntur; denique servantur à domino ac domum remittuntur. Caeterum tironum hoc in negotio non una fuit conditio; ista communis, ut ad paucitatem supellectilis redigerentur; famulos haberent nullos;

ſos; ipsi se, vestimenta sua, equum, instrumentum equestre ac militare totum, curarent et purgarent, stabulum everrerent, vilissima quaeque ministeria obirent: quod profecto adolescentibus libere natis, liberaliter educatis, Musarum alumnis, è parentum suorumque sinu abreptis, iniquum et indignum accidebat, eorumque animos magis etiam ab hujus militiae caussa abalienabat. Finitis induciis, quae fuerant à Calendis Juniis ad Idus Augustas, mittuntur Magontiacum, inde ulterius mittendi Lipsiam versus Dresdamque, ubi tunc omnis belli impetus constiterat. Neque tamen eo pervenerunt, sed inter Moenum Saxoniaeque fines haeserunt; sive quod ad belli usum nondum satis exercitati censerentur: sive quod mox Francicus exercitus, inclinatis rebus, reditum ad Rhenum moliretur. Cujus reditus pars fuit praelium ad Hanoviam, ejusque urbis incendium, exeunte mense Octobri: de quibus ad suos Leidam scripsit. Hae novissimae ejus fuere literae. Brevi enim postea ipse et alii, qui una cum eo ad Magontiacum erant, commilitones, equis ademtis, pedibus Treviros ire jubentur. Quo quum magna cum aerumna, per complures pluvios deinceps dies, per itinera illuvie stagnantia, et amnibus concisa exundantibus, tandem eluctati pervenissent, Haanius continuo in letalem morbum incidit. Ibi tum insignis erga eum fides et cura commilitonum exstitit, qui recusantes in militari valetudinario eum collocare, privatum mundumque domicilium ei conduxerunt,

co-

cognitum probatumque medicum adhibuerunt, et omne ministerii genus praestiterunt: at exsuperante atrocia mali, et humanam opem respuente, in eorum manibus exspiravit. Hic non praetereunda est Creuzeri nostri benevolentia: qui a nobis rogatus, et in Germaniam proficiscenti Heidelbergâ commendatitias literas submisit multas: et monitus eum Treviris aegrotare, continuo ejus caussâ ad Trevirenses scripsit amicos: quamquam sera fuit haec opera, properante fato aegrotantis, et commeatu tabellariorum inter utramque Rheni ripam intercluso. Ad nos autem in Bataviam allatus nuntius de illius obitu optimum quemque gravissimo luctu affecit, simul et commiseratione boni adolescentis, crudeli sorte et in militiam abrepti, et frustrati cum vitae tum reditionis fructu, ejusque praecipuo gaudio, quod mox commilitones passim reduces perceperunt, ut patriam liberam recuperarent, quam servam reliquissent.

IX. Et proximus deinceps annus, quamvis laetissimus ille ad libertatem ac pacem, nec ipse tamen caruit luctu ex duorum amissione discipulorum, insignium progressibus ac singulari discendi cupiditate, quae utrique, per studii vigiliarumque quamdam quasi intemperantiam, vitae finem maturavit.

Prior fuit J. D. Boudrit, Leidensis: cui quum vivo aliquoties testimonium impertiverimus, quo diligentiam suam fautoribus approbaret, mortuum hujus publicae commemorationis expertem praeter-

termittere non debemus. Hic natus d. XXIX Martii a. MDCCXCI, paene puer à Ravio, collega quondam nostro, Theologiae et Oratoriae Sacerdotali conciliatus, eoque doctore antea orbatus, quam ejus exemplo vocem habitumque ad virilem firmitatem excoluisset, se rerum copia ac scientia tutatus est. Nam et complures diversarum Professores disciplinarum assidue audiebat, et audita fideliter domi commentabatur, et praeterea dies noctesque in omnium lectione librorum conterebat, veterum, novorum, Graecorum, Latinorum, Orientalium, Philosophorum, Poëtarum, Historicorum, aliorum; vix ut sibi quidquam laxamenti et quietis concederet. Nostris quidem scholis quinquennium studuit: intereaque, ut facultatis in hoc genere suae specimen proderet, scripsit *Lectiones Homericas*, idque sua sponte, me ignorante, nedum adhortante. Perscriptum mihi ostendit spissum volumen, de quo illud valeret, *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.* Erant magnam partem similes aliorum poetarum et scriptorum loci, non modo Graecorum et Latinorum, sed Hebraeorum, Arabum, tum recentiorum, Belgicorum, Germanicorum, Anglicorum, Francicorum: in his quaedam ab aliis nondum observata: erant etiam quaedam è nostris scholis suscepta, quae pertinerent ad constituendam scripturam, et verborum obscuriorum ex analogia et origine interpretationem: quaedam etiam ad hanc rationem factae ipsius propriae animadversiones. Suasi ei, ut illud prius

genus certo modo circumscriberet, hoc autem posterius omni ratione augeret et excoleret. Promisit se facturum: facere ingredientem excepit tempus, quod multorum studia discipulorum turbavit, patria in Francicae provinciae formam redacta, multorum civium fortunis afflictis aut eversis, Academica institutione ad Francicum modum ordinata, Literarum nostrarum scholis desertis. Ibi tum et ipse spe sua et voluntate maturius sacerdotii ministeria capessere, sermones sacros componere et recitare. Sic novis laboribus ad veteres accedentibus, magis etiam debilitatus, superveniente morbo exstinctus est, d. XVII Decembris, a. MDCCCXIV.

Alter brevi postea secutus est, d. III Januarii, a. MDCCCXV, Bartholemaeus Cornelius van Dorp. Natus Delphis Batavorum, parentibus perquam honestis, d. VI Januarii a. MDCCXCIII; puer variis deinceps in tutelis jactatus est. Patrem quadrimus amisit: cui successit vitricus: hoc post quartum annum mortuo, sola mater fuit: qua item altero anno mortuâ, puero praefuit avunculus, tum patruus Cornelius van Dorp, mercator Roterodamensis, fide et opibus spectatus, qui eum tradidit disciplinae et contubernio viri docti et prudentis J. Servaas, Med. Doctoris, eamque artem factitantis in pago Delphiportu (*Delftshaven*). Ibi tum puer primum in constanti discendi via positus, proficere coepit. Omnino saepe professus est, multum se illi viro debuisse, cum ad eum

La-

Latinae linguae modum consequendum, ut Professorum scholas cum intelligentiae fructu audire posset; tum ad initia philosophiae, mathematica et physica, tum vero ad judicii diligentiam et observationem errorum vulgi et vitae communis. Venit ad nos Leidam a. MDCCCXI, Jurisprudentiae se daturus, et scholas adhibiturus earum artium, quas apud priorem magistrum didicerat, patria quidem jam in Francicam provinciam redacta, at in Academiis adhuc vetere more retento. Quo item sub proximi anni finem abrogato, et Universitatis Parisiensis ordinatione apud nos constituta, disciPuli plerique veterem studiorum cursum mutare coacti sunt. Ita et ipse, qui primo anno apud nos scholis de Historia Universali, et Antiquitatibus Romanis operam dederat, jam omne suum tempus Jurisprudentiae tribuebat. Interea periculum subeundae militiae satellitii honorarii aegre, nec nisi insperato favore et commento conscriptoris, effugit; ad quam eo magis deligebatur, quod robore et statura commendaretur. Proximo anno, liberatâ patriâ, interceptas scholas repetivit, et Jurisprudentiae scholis adjecit mathematicas, physicas, literarias, nos quoque Ciceronis opus de Finibus interpretantes audivit, et se propius ad nos applicuit, stilo exercendo paraphrases capitum illius operis scriptitans, easque dijudicatum ac probatum privatim ad nos ventitans, magnamque progressuum spem adferens. Quae spes, heu! brevis et vana fuit. Nam quum tot scholis

assidue interesset, alia et varia argumenta secum domi tractaret, nec sodalium officiis abesset, his tam multis rebus quum tempus non suppeditaret, illud corporis curae, recreationi, ambulationi, quieti, somno subtraxit. Itaque valetudo infirmari, inflammatione faucium tentari: atque sic affectus ad me aliquando venit lectum scriptionem quamdam suam: suadebam ei medicum adhibere, promittebat se facturum: caeterum nil periculi subesse: tamen studendum esse: nec enim sine studiis vitam vitalem fore. Discessit à me domum, ubi medicum quidem arcessivit: at illo invito, solitam vitae studiorumque rationem sequens, gravius aegrotare, sanguinem exspuere, similibusque affectionibus premi, quae ipsi sero medicinam quaerenti mortem attulerunt. Reliquit apud omnes, qui eum norant, haud vulgarem moerorem, quod in moribus, vultu, et sermone, decoris et humanitatis singularem habuisset significationem.

X. Tandem nos tristi parentalium officio defunctos sperabamus, quum rursus eodem revocamur obitu luctuoso Jani Petri van Heukelom, adolescentis ornatissimi, discipuli nostri sane probati. Natus hic Leidae parentibus honestissimis, his puer orbatus, cum fratre minore relictus tutelae propinquorum, prudentium virorum, ab horum uno, V. R. van Geuns, laudatae viro doctrinae et facundiae, Teleiobaptistarum tunc apud Leidenses, nunc apud Amstelodamenses, Ecclesiaste, ad me de-

deductus meisque scholis commendatus est. Fuit idem amicissimus Haanii, de quo diximus, sodalis, cum eodem et assiduus in schola, et privatim domum ad nos ventitans consultum de studiis: ejusdem discidium mortemque acerbissime tulit. Itaque quam illi tribuimus morum literarumque laudem, cum hoc communicatam volumus. Biennium, quod illi superstes fuit, Jurisprudentiae operam dederat, quum eum nobis subita mors eripuit. Est hic apud nostrates, ut alios septentrionales populos, mos, ut hiberno tempore fluviis lacubusque glacie constrictis, ingens hominum, certe juniorum, multitudo, eo confluat: in primis eorum, qui in ferratis soleis currant, et inusitata velocitate per aequor glaciei quasi volent: alii trahis vehantur: alii aliud ludant: alii ambulent et spectent. Et habetur hoc unum ex praecipuis hibernis oblectamentis. Neque tamen mortis periculo caret; quod multi sint loci, ubi oculi incautorum falli possint fraude et insidiis glaciei, vel ruptae et apertae, vel tenuiter adstrictae nec satis duratae, vel ab undis non sustentatae, quippe subsidentibus et in alvei fundum vergentibus. Hoc fraudi fuit nostro discipulo. Nam die solis otioso x Decembris anni MDCCCXV pluribus hominum millibus Rheno insultantibus, ipse quoque cum nonnullis sodalibus eo venit cursurus. Ibi tum longius provecti, locum suspectum celeritate pervadere conantes, ecce! rupta sub pedibus glacie, in undas incidunt ipse et duo

sodales. Atque hi quidem in terram eluctantur: ipse vero aliquamdiu luctatus submergitur: post horae circiter quadrantem extrahitur mortuus, certe calore et spiritu ita vel exstincto vel oppresso, ut omnibus quamvis propere adhibitis artis medicae remediis resuscitari non potuerit. Sic amisimus bonum discipulum, omnibus commendatum laude industriae, progressuum, humanitatis, comitatis, et vitae laudabiliter actae, duos et viginti annos natum. Atque hoc loco facere non possumus, quin discipulos nostros moneamus, ut in corporis exercitiis alia potius tractent, vel palaestrica, vel bellica, ingenuis adolescentibus magis decora et utilia: istud autem hibernum et prorsus frigidum, ut poetae dictum sequar, Periculosae plenum opus aleae, quo inceditur per aquas subpositas glaciei dolosae, aliis relinquant.

Ἀλλὰ φόωςδε τάχιστα λιλαίεο, à mortuis ad vivos redeamus, hujus libri editionem urgeamus; ut antea exeat, quam nobis fatalis necessitas novum parentale argumentum objiciat.

XI. At inanis fuit nostra spes. Jam enim fatalis necessitas nobis insciis novum argumentum objecerat, nec praetereundum, et ad acerbitatem doloris grave, amissionem capitis in paucis cari, Frederici Guilielmi Boersii, de quo pauca diximus Bibliothecae Criticae P. xi, p. xxi (*), nec nunc multa noster nos dolor et temporis angustiae dicere

(*) [Hujus Vol. p. 58, sq.]

re sinunt, longae quamvis materiem scriptionis afferente. Natus gente honorata Leidae, ibidem educatus et utraque disciplina institutus est, primum puerili, deinde academicâ, ut vocant, id est scholis Professorum. Quum mature solers ingenium in eo eluceret, destinatus est ab avunculo, apud quem alebatur, rei publicae aliquando gerendae, et ad hoc propositum studiorum suorum consilia accommodavit. Ergo Jurisprudentiae se dedit, ad eamque rite percipiendam, animum Philosophiâ et Literis instruxit. In Graecis audivit Ruhnkenium, tunc Lectorem, quem caeterae totius discendi rationis auctorem secutus est: in Latinis et Historia Oudendorpium: in Philosophia Lulofsium: in Jure Civili Scheltingam, in Jure Publico Weisium et Pestelium. Ad hoc scholarum pensum, accedebat aliud domesticum et quotidianum, multorum lectio librorum eaque insatiabilis: non solum Graecorum et Latinorum, sed et novitiorum, Belgicorum, tum vero exterorum, Gallicorum, Britannicorum, Germanicorum, harumque linguarum usus et meditatio eum in finem, ut iis et ad legendum et ad colloquendum valeret, Gallice etiam pure et accurate scriberet. Inerat praeterea jam in adolescente magna oris commendatio, sermonis varietas et jucunda comitas, quae per totam vitam mansit, certe raro nec nisi tempore aegrotationis eum reliquit. Tali ergo quum laude floreret, accessit etiam eruditionis fama è scripto libello, et consequendo titulo Doctoris Juris ad disceptandum

proposito, *de Anthropologia Jurisconsultorum Romanorum quatenus Stoica est*, Lugduni Batavorum, MDCCLXVI. Quo in libello quum appareret scriptoris et philosophum ingenium, et Philosophiae Jurisprudentiaeque diligens cognitio, et elegans Literarum doctrina, nemo erat qui dubitaret, scriptorem, si modo id agere vellet, idoneum fore cathedrae cujusvis harum disciplinarum obeundae. Sed vetus reip. gerendae propositum eum ab instituendo alio vitae genere avocavit; et non ita multo post factus est Advocatus Societatis Indicae Orientalis. Quod munus quam fuerit plenum laboris et negotiorum, quam varium et multiplex, intelligunt, qui norunt, quanta pars Reipublicae Batavae fuerint coloniae Asiaticae et Africanae, huius Societatis regimini subjectae, quantumque momentum, cum ad patriae florem ac potentiam, tum ad fortunas singulorum civium. Officium Advocati malumus verbis Pestelii, viri egregii, referre ex Commentariis de Rep. Batava p. 162 (*): „Duo viri ex tribus quisque nominatis a Principe „Arausiaco electi, et *Advocatorum* nomine appel„lati, Curatoribus adsunt, ut eorum fide, dili„gentia in exquirendis rebus Indicis ac commo„dis Societatis, probataque prudentia in consi„liis dandis et decretis efficiendis, niti possint." Boersius initio *Secundus Advocatus* factus, interje-

(*) [§. 164. Edit. Ai. 1782. — Vol. I. p. 532. §. 165. edit. Ai. 1795.]

jecto tempore in locum Primi successit. Amstelodami habitans, ad me venit recens Professorem perhumaniter salutatum, affirmans me sibi quamquam ab aliis commendatum, tamen sponte conciliatum esse; quod ego, item ut ipse, Literarum cognitionem ad Historiam Philosophiae retulissem. Hoc fuit initium nostrae conjunctionis: quae deinceps, dum ambo Amstelodami fuimus, mutuis officiis, multis congressibus ac sermonibus frequentata est. Decem annis post (1781), patria subito bello à Britannis perculsa, naves nostras intercipientibus, portus obsidentibus, Societas Indica Orientalis, ipso suasore, duos Legatos, quorum ipse unus fuit, in Galliam misit, qui cum Rege, Administris, et Praetoribus, agerent de militibus conducendis, navibusque instruendis, et è Gallia in Indiam emittendis, ad colonias Societatis adversus hostium incursum defendendas. Ibi quod ei supererat à legationis officio temporis, ad cognitionem urbis, populi, morum, regiminis, hominum, in primis doctorum, contulit, et proposito negotio dextre solerterque peracto, pace restituta, (1783) domum rediit. Interea dissensiones civiles inter duas adversarias reipublicae partes increverant; et deinceps ita invaluerunt, ut ad manifestum bellum spectarent: quod praevertit, immo jam accensum exstinxit, adventus Borussici exercitus praetore Brunsvicensi Duce (1787). Vetere reip. forma restituta, partibus Nassavicis confirmatis, Boersius Societatis Indicae caussa legatio-

nem in Britanniam obiit, similemque inde atque è Galliâ et laudem retulit, et cognitionis fructum percepit. Domum redux, interjecto quodam tempore, munere *Advocati Societatis Indicae* se abdicavit, aliud capessivit, magis illud cum potestate et interiore reip. administratione conjunctum: factus est *Pensionarius* civitatis Leidensis: sic autem vocabantur tunc civitatum Hollandiae singularum, jus suffragii habentium, legati ordinarii ad senatum Ordinum Hollandiae, penes quem summa potestas Populi Hollandiae erat: hoc autem munus priori praeoptabat, quod minus occupatum negotiis esset, et plures opportunitates offerret tuendarum partium Nassavicarum, quas ipse sequebatur, non suae sed publicae utilitatis caussa sic faciendum judicans. Jam enim tunc in Gallia fervebant istae lites inter factiones Regiam et Popularem, mox in apertam vim erumpentes (1789), et victrice Populari, in omnem atrocitatem proruentes. Ad hujus factionis progressus frequentes sane et magnos, nostrorum hominum Antinassavicorum animi erigebantur, ejus exercitus ut datores libertatis, aequalitatis, et fraternitatis, quas se allaturos profitebantur, exspectabant. Incredibile dictu est, quam late hic error serpere coeperit, quamque multos infatuaverit, seniores etiam, veteres magistratus, priore reip. conversione loco motos, alios nil passos, tum vero juniores, qui sibi nescio quam cum libertate communionem intercedere

pu-

putarent. In his fuerunt quidam studiosi adolescentes, qui ad legum decorique contemtum progressi, Boersium in auditorium publicum audiendae orationis caussa venientem cum irrisione exciperent, occentantes dictum quoddam, quod ipsi partes Nassavicas defendenti in Senatu Leidensi exciderat, indeque ad vulgi notitiam emanaverat. Hic tam inaudita petulantia commotus, et magis etiam facinoris impunitatem indignans, simul et instantem patriae sortem commiserabatur, in quam aditus hostibus pararetur, qui eam, nulla legum conditionumque habita ratione, libidinoso et superbo sub imperio vexaturi et exhausturi essent. Quod plane ita evenit. Nam quamvis laudans Gallicum populum ut ingeniosum, humanum, affabilem, comem, qualem ipse praesens expertus erat, hoc referebat ad eum, qui sub justo regio imperio fuerat: ad eum, qui postea fuit, nil minus. Tunc vero istis cogitationibus dies noctesque agitatus in gravem morbum incidit, eumque cum delirio conjunctum, quod subinde in furorem abiret. Igitur custodiebatur domi suae et à suis. Nam quamvis caelebs, sua ipse in domo habitabat, eaque famulitio instructa et supellectile, omnibusque partibus, quibus lauta domus censetur. Accidit paulo post, ut Gallico exercitu omnem agrum urbesque hujus reip. occupante, dominarentur partes Antinassavicae, et exauctoratis veteribus magistratibus novos ad novam formam imperii popularis constituerent: quosdam etiam

etiam Professores Leidenses, ut deditos maxime Nassavicis partibus, suis cathedris privarent, Pestelium, Kluitium, et fratrem Boersii Carolum, Theologiae Professorem, ipso minorem quadriennio. Hic, ut princeps cognatorum, quorum in tutela et curatione aegrotans frater esset, hujus fortunis sic se consulere debere existimavit, ut eum, relicta sua domo et familiâ, curandum alendumque collocaret certa annua mercede apud magistrum hujusmodi custodiae, quae Delphis est. Quod hic optimo consilio fecerat, id aegrotans frater summam injuriam interpretans, vehementius etiam quam antea animo exasperatus et furore incensus est; ut malum arte insanabile dubiae medicinae temporis relinqueretur. Vicit tamen naturae bonitas. Nam quum isti fervores et aestus quinto demum anno aliquantum resedissent, ut erat ingenio actuoso et scientiae cupido, vetera sua studia desideravit, librosque suos arcessivit. In his maxime eum ceperunt ac tenuerunt Graeci, eorumque quotidiana lectione oblectatus et paulatim in quamdam rationis viam reductus est. Legit Aristophanem et Herodotum. Tunc quoque nostrum congressum requisivit. Veni ad eum cum Paradysio. Excepit nos lacrimans: mox ad pristinam hilaritatem rediens multa narravit, nil de suo morbo, quippe se semper sanae mentis fuisse putans: caeterum ipse omnem sermonem occupans, ex alio aliud memorans, satis prudenter disserebat, unum saltem alienationis vestigium ser-

servans, quod se non Boersium, nec patris, qui vulgo haberetur, sed alicujus Germani dynastae, quem nominabat, filium esse dictitabat. Proximo mense solus eum invisi, si forte solum magis audiret, sibique illum errorem de patre suo eripi pateretur. Ipse rursus sermone in omnia alia deferebatur, nec interpellandi ansam praebebat. Surrexi ut abiturus, et „ Vale, inquam, spero nos proxime alio in loco collocuturos." Ad haec ille, quod volebam, erigitur: et „ Ecquid, inquit, habes à meis cognatis mandati, ut mecum agas." „ Nil equidem, inquam, novi habeo; nam horum semper fuit propositum, ut ex hac tutela exires, quamprimum constitisset te plane sanatum esse: nosti enim profecto te aegrotasse: vin' verum audire ?" Quum se velle dixisset, narravi de morbo, delirio, furore. Haec omnia ei nova et inaudita accidebant, nil recordabatur, nisi se voluntate cognatorum, ipsius bonis inhiantium, vi è sua domo abreptum, in hanc custodiam deportatum esse. „ Ergo, inquam, si vis sanatus haberi, deponi hunc de cognatis, et illum de patre errorem. Neque est, quod te istius morbi pudeat. Est haec à Graecis dicta μελαγχολία, quae non in tardos et hebetes, sed in veloces et ingeniosos, homines incidit: de qua Aristoteles in Problematibus (XXX, 1): indeque Cicero in Tusculanis (I, 33: III, 5). Favorinus autem, egregius philosophus, Plutarchi aequalis, his eam verbis ornat, ut dicat, *eam non parvis nec abje-*

ctis

ctis ingeniis accidere, ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωικόν." Haec et talia libenter audiit, mihique discedenti promisit, se istos errores depositurum. Haec inter nos acta sunt Kalendis Juniis a. MDCCCI: et, paucis interjectis diebus, libertati suaeque ipse tutelae restitutus est. Rediit paulatim pristina vitae consuetudo, et illae supra laudatae dotes; sermo utilium jucundarumque rerum commemoratione frequens, perfacetus, sine offensione et acerbitate; immo in omni congressu urbanitas et cum benevolentiae significatione amabilitas. Quamquam habuit haec laus quandam exceptionem primis post recuperatam sanitatem et libertatem annis, ut nonnumquam ei dissenrenti duriora quaedam adversus amicos praesentes dicta exciderent; quae hi silentio praetermittebant, affectionis veteris accessionem interpretantes; ne adversando mentis nondum satis firmatae proclivitatem sollicitarent. Sed illis morbi reliquiis tempore detritis atque abstersis jucundior cunctis accidebat. Nemo autem unus fuit, qui plures homines nosset, nemo cui cum pluribus vel notitia, vel familiaritas, vel consuetudo, vel aliquid officii intercederet; ut per totam Batavam terram haberet, apud quos devertere et commorari posset. Et veterem hunc suum morem repetivit, simul ac rursus rerum suarum dominus esse coepisset; continuo familiares illos et amicos invisit: quibus omnibus gratus et acceptus hospes venit. Ventitavit etiam in conventus Societatum erudita-

rum

rum, quarum Socius fuerat, Leidensis, Harlemensis, aliarum; nam fuit multarum. Et ipse sodalitium instituit, quo, ut suo opere, maxime delectabatur, cujus conventus convivio, menstruis intervallis, celebraretur ab hominibus doctis vel doctrinae amantibus, in *Aggere Leidensi*, vico medio trium urbium, Leidae, Hagae, Delphorum, ubi ipse habitabat: hoc sodalitium à suis amicis obiri valde cupiebat, eosque cum adducebat, tum arcessebat: et ipse ei gratificans aliquoties veni. Publici autem muneris nullam partem attingere voluit, quamvis delati. Veluti quum Meermannus V. Ill., idem nunc nobis lugendus, sed quum is sub Rege Francico, Cubicularius, Administer, Praefectus Institutionis Publicae factus esset, Boersiumque, auctoritate Regis, collegam hujus praefecturae allegisset, ejusque nomen ut allecti in Ephemeridibus publicis prodidisset, ipse mox in iisdem Ephemeridibus epistolam edidit ad Meermannum, recusans illud munus, humaniter quidem, sed iis tamen verbis, ut facile appareret, quid de Francico dominatu sentiret. Scripsit et alia, sed fictis sub nominibus: in quibus et libellus fuit pertinens ad indignationem injuriae Amstelodamensibus à Francico Rege, ut ajebat, factae, qui illis Curiam ademisset, sibique regiam fecisset. Sed hae mox aureae visae sunt res, per insecutas ferreas. Patria Francica provincia fit. Continuo aes ejus alienum, ingens illud, in cujus foenore plurimi cives positas habebant

bant suas pecunias, triente circumscribitur. Hinc plurimorum civium fortunae eversae. Accedit militaris conscriptio: vectigalium acerbitas: publicanorum exactiones: veterum omnium rerum commutatio: alia, quae recensere infinitum, et singularis scriptionis argumentum, sit. His in calamitatibus Boersius magis aliorum, quam sua caussa, dolebat. Nam quamvis et ipse publici aeris circumscriptione magnam fortunarum partem amiserat, tamen, quia solus erat, et res suas diligenter dispensabat, habebat satis reliqui, unde liberaliter viveret, at non satis unde aliis, uti solebat, succurreret. Fecit nihilominus, ut nil ex vetere sua erga alios beneficientia imminueret. Omnino magis specie illatae indignitatis, quam ablatae utilitatis, movebatur. Veluti ineunte Novembri anni MDCCCXII, quum Academia ad Francicum modum ordinaretur, Professoribus novo Francico vestitu, plane illo abhorrente a gravitate moris majorum, indutis, ipse praesens ita indignatus est, ut sibi temperare non posset, quin sensum animi vultu et voce promeret. Ecce vero! illo ipso tempore, quo Libertas Batava conclamatur, sepelitur, et Francicae dominationi in perpetuum subjicitur, dominus in Russia ruit, indeque mox fugiens, proximi anni eodem mense Novembri trans Rhenum rejicitur, et Libertas Batava reviviscit. Boersius hoc Virgilianum in se accommodabat:

Li-

Libertas sero tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, et longo post tempore venit.

Et sic erat: Francico illo undeviginti annorum tempore in privata quiete acto, ejus aetas magis otium quam negotium postulabat. Attamen ad remp. gerendam se revocari passus est. Et delata ei sunt amplissima munera: lectus est Statuum Generalium Collega Primi Collegii: et vero unus è Quinqueviris curandae Academiae Lugduno-Batavae. Nos ejus prudentiae doctrinaeque fructum percepturi eramus moderandâ ab eo ad majorum morem Academia; quem ejus fructum nobis abstulit dura quaedam fati iniquitas, non nisi biennium Libertati restitutae ipsum superesse, nec destinatum munus inire, sinens. Obiit septuagesimo quarto aetatis anno, d. XXVIII Decembris a. MDCCCXV, omnibus insigne desiderium suavitatis virtutumque suarum relinquens. — Ao. MDCCCXVII.



DISPUTATIONES DUAE

PRAEMIO ORNATAE.

DISPUTATIO

DE

UNITATE DEI (*).

EX COMMENTAT. THEOL. LEG. STOLP.
T. III. p. 1, sqq.

Cum duplex sit laus, qua doctrinarum praestantia censeatur, altera, ipsarum, quae traduntur, rerum magnitudo et momentum, altera, scientiae firmitas atque evidentia; reperiemus, neque doctrinam ullam ab utraque hac laude perfectam abso-

(*) [Ad Quaestionem, Ao. MDCCLXXVIII a Curatoribus Stolpianis, V. V. Clarissimis, positam, quae Belgice sic se habet: *Is het door het enkele licht der Rede betoogelijk, dat er niet meer dan één God zijn kan? welk is dat betoog? en zijn er ooit volken of wijsgeeren geweest, welke tot de kennis van die waarheid zijn gekomen zonder behulp of spoor eener Goddelijke Openbaring?* Huic disputationi praemium adjudicatum est die XIII Octobris MDCCLXXIX.]

solutamque esse, neque doctrinarum esse eam conditionem, ut gravissima quaeque firmissima sit. Enimvero, ne longe abeamus, quae potest excogitari major graviorque doctrina, quam ea, quae in Divinae naturae explicatione versatur? Haec una inter omnes eminet, atque altissima veluti arce reposita est: haec mentis nostrae cogitationem a rerum humanarum fragilitate ac terrena faece abducit, supra astra evehit, et ad contemplationem convertit ejus naturae, quae caussam atque fontem hujus universi continet: haec cum aliis disciplinis, tum iis maxime, quibus nostra nititur felicitas, quae ad vitae morumque rationem et virtutis studium pertinent, robur ac firmamentum adjungit. Sed huic tali tantaeque doctrinae, qui certam scientiae firmitatem conciliare studuerunt, quorum neque numerus est exiguus, neque vituperanda voluntas: ex his igitur quotusquisque illud, quod suscepit, perfecit? Immo detrimentum etiam nonnulli doctrinae huic adtulerunt: qui cum omnes ejus partes omniaque placita uno Mathematicae necessitatis vinculo constringere et complecti conarentur, bonis dubitandi, plerisque contemnendi caussam praebuerunt. Neque poterat, profecto, isto demonstrandi, sive studio, sive errore, quidquam perversius capitaliusque reperiri.

Nam primo, Philosophiae munus derelinquebatur praecipuum: quod ejusmodi est, non ut discentes vana scientiae firmitatisque specie ad assentiendum inducantur, sed ut res perceptae ita

tra-

tradantur, ut perceptae sunt, cuilibet pretium suum auctoritasque sua statuatur, certae ut certae, incertae ut incertae, verisimiles ut verisimiles proponantur, neque veritatis gradus turbentur. Deinde ad ipsius veritatis studium perniciosus erat iste mos. Multi enim, qui Mathematicae demonstrationis specie fuissent decepti, suumque postea errorem agnovissent, commoti fraudis indignatione, omnia simul certa cum dubiis, vera cum falsis abjecerunt, atque totam adeo doctrinam repudiarunt. Quo magis mihi enitendum esse video, Clarissimi Viri, ne obsim doctrinae huic universae, dum ejus parti satisfacere studeo. Igitur hanc disputationem ita suscipiam, non ut apud me jam constitutum sit, quid evincere velim: sed ut, positis certis firmisque initiis, quodcumque ex iis justa conclusione effectum sit, illud teneam ac tuear, atque ut abjectis opinionibus praejudicatis, unam rationem, ad quemcumque me ducat exitum, sequar.

Ceterum, quum quaestio a Vobis posita, V. V. Cl., duas habeat partes: alteram, ipsam rationum argumentorumque disceptationem, quibus efficiatur non plures esse uno Deo: alteram, explicationem opinionum, quae de hoc loco valuerunt apud gentes destitutas divinae doctrinae luce, ut appareat, quantum ipsi suae naturae viribus homines in ejus loci cognitione scientiaque profecerint: dabitis mihi, ut spero, hanc veniam, V. V. Cl., ut primum dicam de parte historica. Habe-

bebit enim ipsa inventio censuraque argumentorum faciliorem exitum, si prius expositum fuerit, aliarum gentium de hac re sententia quibus initiis orsa quibusque gradibus progressa sit.

Omnis disputatio, quae via ac ratione suscipitur, ab ejus rei, de qua agitur, definitione proficisci debet; ne ejus vis et notio fluctuet, et sub uno quidem eodemque nomine, haud tamen de una eademque re disputetur. Ac definitio ejusmodi, quae definiti naturam interiorem patefaciat, ut longe plurimarum rerum, ita Dei effici nulla potest. Quare contenti simus tali ejus attributo, quali tamquam certa nota secernatur ab aliis omnibus rebus, quodque eam vim habet, ut, eo sublato, ipsa tollatur divina natura. Igitur in summa varietate opinionum reperiemus omnes in eo consentire et consensisse homines, ut Deum esse dicerent *Naturam* (vulgo *substantiam*) *aeternam, quae caussam moventem omnium rerum contineat, eamque summe intelligentem ac potentem.* Nam, ut ceterum dissensio sit maxima, utrum Deus sit corporeae naturae, nec ne, utrum sit effector materiae, an conformator tantum, utrum extra hanc rerum universitatem sit positus, an per eam totam diffusus, aut quaecumque tandem sit alia varietas; omnes certe in eo attributo quod posuimus, conveniunt. Et vere Lactantius, Instit. I, 5, 21. commemoratis philosophorum de Deo opinionibus, ita pronunciavit. „*Horum omnium sententia, quamvis sit incer-*

„*ta*,

„ *ta, eodem tamen spectat, ut providentiam*
„ *unam esse consentiant. Sive enim Natura,*
„ *sive Aether, sive Ratio, sive Mens, sive fa-*
„ *talis Necessitas, sive Divina Lex, sive quid*
„ *aliud dixeris: idem est quod a nobis dicitur*
„ *Deus: nec obstat appellationum diversitas,*
„ *quum ipsa significatione ad unum omnia re-*
„ *volvantur.*" Neque vero moramur Epicureos, similesque iis homines, qui Deum quidem non tollunt, nullas vero in condendo gubernandoque mundo partes ei tribuunt. Cum enim mundum suae ipsum naturae necessitate existere velint, nulla omnino caussa est quare Deum esse dicant.

Neque vero, ut plene constituatur caussa, satis est, rem de qua dicitur, *s. subjectum* definire: eadem est adhibenda diligentia rei, de qua dicitur altero, *s. praedicato;* ut perfecte intelligatur, quae sit vis hujus enunciationis *Deus est unus.* Quid igitur? Num operam consumemus inanem, ut *unum* quid sit definiamus, cujus notio et clara est et per se ipsa evidens, et simplex ut nullae sint ejus partes, quibus ad notionem distinctam ac definitionem possit redigi. Superest igitur, ut ejus varias significationes distinguamus, ab iisque omnem ambiguitatem circumscribamus; ne forte omnes eos, qui dicunt *unum esse Deum*, iisdem verbis eandem rem dicere putemus. Ac primo quidem omnis res quae est vel esse potest a Metaphysicis vocatur *Una*, eique tribuitur *Unitas* ea, quae proficiscitur ex

principio repugnantiae, quo efficitur ut quaelibet res sit una haec res, quae est, neque alia et plures: neque vero haec est ea unitas, quam hoc loco quaerimus. Deinde *Unum* dicitur illud, cujus omnes partes penitus coëunt, ut earum nulla varietas sit, quam unitatem maxime in Deum cadere Veterum Recentiorumque monuerunt haud pauci.

Tum enunciatio ita potest accipi: mundum factum esse, s. moveri ac gubernari, non a duabus, tribus, pluribusve caussis intelligentibus atque aeternis, sed ab una; ut non etiam statuatur, utrum plures praeter hanc ejusmodi naturae sint vel esse possint. Porro ita interpretari possumus enunciationem, ut ejus vim ad existentiam referamus, praeter Deum, qui hunc mundum fecerit, nullam aliam esse ejusmodi Naturam, seu, ut Dialectice loquar, *ex genere Deorum unicum existere individuum.* Denique vis enunciationis ipsam possibilitatem complecti potest; ut haec sit sententia, praeter Deum, qui hunc mundum fecerit, repugnare ut alia sit ejusmodi Natura; seu ut idem Dialectice dicamus, *ex genere Deorum unicum esse possibile individuum*, et quae, praeter unum, cogitatione informentur, esse repugnantia. Nobis in argumentorum disceptatione ratio habenda erit posteriorum enunciationum, maxime quartae et quintae. Hoc etiam in antecessum monemus, nominibus *Unicus* et *Unus* quamquam aliquid varietatis adjunxerit vitae con-

sue-

suetudo apud Romanos, tamen in disciplinis eandem tribui vim. In qua si quid mutabimus, suo quodque loco monebimus.

PARS I.

Jam primum omnium constat, Veteres, cum loquantur de multis variisque numinibus, ex populari loqui opinione: cum vero suam ipsi ex animo proferunt sententiam, tum vero ita ab iis pronunciari, ut appareat, eos statuisse, Deum quidem supremum omnium rerum effectorem ac gubernatorem, non esse nisi unum. Neque vero erat, quod ipsis eorum testimoniis comprobarem, illam iis placuisse sententiam; nisi essent haud pauci, qui hoc in dubium vocarent. Quibus cum respondetur, ejus sententiae vestigia per totam Veterum doctrinam expressa esse manifesta; illi locos requirunt, ubi hoc disertis dicatur verbis. Cum adferuntur loci, hos illi continuo calumniantur interpretando, neque aliquid ex iis effici volunt. Qua quidem contentione et partium studium produnt et antiquitatis ignorantiam. Horum alii omnem Philosophiam reprehendunt, ut revelatam religionem extollant: alii veterem Philosophiam exagitant, ut recentiorem laudent. At vero contra se res habet; doctrina enim quaeque sua se praestantia, non aliarum vituperio tueri debet. Igitur et Vos, V. V. Cl., recte et pro vestra fecistis prudentia, quod pecu-

lia-

liariter de hoc loco disputari voluistis: et ego ita me vestrae voluntati satisfacturum spero, si, facto initio ab antiquissimis Graecorum, hujus placiti veluti historiam per varias philosophorum familias usque ad recentiora tempora deducam. Cognitis enim sententiis ejus gentis, quae plurimos fecit in Philosophia progressus, facile erit de reliquarum gentium opinionibus existimare.

Ex numero eorum, quorum scripta commemorentur a posteris, nemo est antiquior ORPHEO, qui Mysteriorum rationem Graecis tradidisse et versibus ad posteritatem propagasse fertur. Patres quidem Ecclesiastici, quos in reprehendenda Graecorum Theologia, nemo facile nimiae lenitatis accusare possit, aliquot versus Orphicos memorant, quibus diserte enuntiatur *Unus* esse Deus: veluti Εἷς ἐστ' αὐτογενής· ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται. qui est apud Justinum M. Adhort. p. 15. D. et plerosque ceteros. Alios in eandem sententiam versus ex Patribus collectos edidit Gesnerus in Fragmentis Orphicis: quos quidem omnes iis remittimus, quippe haud dubie profectos ex pia Christianorum fraude. Hoc unum volumus, hos versus, quamquam spurios, ab Orphica doctrina non abhorrere. Primum quod ne Patres quidem iis usi essent, si res ipsa et ratio eos repudiaret. Deinde quod alii haud dissimiles versus a certioribus laudantur scriptoribus: v. c. auctor libri *de Mundo*, qui, ut non est Aristoteles, ita satis est antiquus: hic igi-

igitur ex Orpheo adfert: Ζεύς ἀρχὴ, Ζεῦς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται. Quem versum laudans Plutarchus de Defect. Orac. p. 436. D. ita loquitur de Orphica Physiologia: *cum duae sint in rerum natura omnis ortus caussae, Mens efficiens atque materia; hi potiorem duntaxat, nimirum Mentem celebrabant, omni rerum explicationi adhibentes hanc rationem:* Ζεῦς ἀρχὴ, Ζεῦς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται, *caussas vero naturales ac necessarias neglexerunt.* Sunt quoque ex iis, qui ita recentiore tempore de mysteriis scripserunt, ac si ipsi fuissent initiati: ex his igitur multi sunt, qui diserte in iis traditam fuisse doctrinam de unico Deo perhibeant. De quo quidem nec assentimur magnopere, nec repugnamus: quamquam eam doctrinam a mysteriorum ratione minime abhorruisse putemus.

Pleni sunt Patrum libri versibus Sibyllinis. Et ERYTHRAEAE quidem SIBYLLAE, quam Trojano bello vixisse, cujusque ex carminibus versus circiter mille Romam allatos ferunt: hujus igitur aliquot versus adfert Lactantius Inst. I. 7. et in iis hunc, Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστιν ὑπερμεγεθὴς, ἀγένητος. Piget reliqua exscribere, quae omnia sunt in eodem genere: piget aliorum Patrum locos adferre. Neque operae est pretium sententias proferre ex Graeco libro, quem iidem Patres et alii ad antiquissimum Aegyptiorum Philosophum, Hermen Trismegistum referre haud dubitarunt. Scili-

licet Patres, cum Graecam Philosophiam exagitarent, in eaque Unitatem Dei multis manifestisque testimoniis confirmatam cernerent, quae repudiari negligive non possent, ita se caussam suam callidissime acturos sperabant, si plura etiam Graecis, veluti Trinitatis aliarumque rerum cognitionem tribuerent, eamque ex commercio cum Judaeis et Aegyptiis ad eos fluxisse contenderent. Igitur monumenta et vera in illam sententiam detorquebant, et falsa cupide arripiebant.

Prodeant certiores auctores, et princeps eorum HOMERUS. Hic quamquam Deos ad humanam imbecillitatem informavit, tamen Jovis imperium adeo supra reliquos omnes evexit, ut haec per totam carminis rationem sententia dominari videatur, Deum quidem supremum non esse nisi unum. Ne omnia ejus in hanc rem dicta excitemus; satis habet auctoritatis vel unus locus Il. Θ. initio, quo suprema Jovis majestas, specie informatur augustissima. Igitur nec Patres dubitarunt, hanc Homero sententiam tribuere, et alios eo trahere locos: veluti Justinus Mart. Cohort. p. 17. C. et Cyrillus Alex. contra Julian. I. p. 27. C.

Homero proximus est HESIODUS, cujus quin eadem fuerit opinio, ipsum carminis ejus argumentum dubitare non sinit. Clemens quidem Alexandrinus eum in iis numerat, quibus Deus aliquam sui cognitionem concesserit, et versum ejus de Uno Deo summo laudat Cohort. p. 48. A.

Non est nostri instituti Physiologiae Homeri-

cae

eae Hesiodeaeque rationem uberius explicare. Satis est animadvertisse, opinionem eam fuisse sapientioribus ejus aetatis hominibus, imperium omnium rerum Deorumque penes unum esse. Quod si enim apud poetas, quorum interest vulgi se opinionibus accommodare, et res a sensibus remotas corporeis imaginibus complecti et sub sensus revocare: igitur si apud poetam tam certa sunt ejus opinionis indicia; nae in aliorum sapientum mentibus eam et frequentem et magis integram fuisse, credibile est.

Antequam de Philosophis dicamus, videamus de PHERECYDE, qui fuit Theologus, quod genus interjectum est inter poetas et philosophos, profectum illud ex Orphica disciplina. Pherecydis quamquam est incerta aetas, tamen quibusdam notis definiri propriis possit. Nam si verum est, quod inter Antiquos constat omnes, eum Pythagorae fuisse magistrum, et si R. Bentlejus recte ejusdem Pythagorae annum natalem refert ad Olymp. XLIII., fuit Pherecydes vel aequalis Thaletis, vel paulum eo senior. Ejus libri hoc fuisse exordium perhibet Diogenes Laertius I, 119. *Ζεὺς μὲν καὶ Χρόνος εἷς ἀεὶ καὶ χθών.* Ubi *εἷς ἀεὶ* non esse mutandum in *εἰσαεὶ* cum Is. Casaubono, constat ex aliis qui hoc fragmentum laudant, quos memorat Galeus ad Hermiae Irris. cap. 12. Cum his facit, quod ait Aristoteles Metaph. XII, 4. *Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες τὸ γεννῆσαν πρῶτον ἄριστον τιθέασιν, καὶ οἱ Μάγοι.* Ex ipsa Pherecydis senten-

tia

tia apparet, eum de prima caussa movente et intelligente, quam Jovem vocat, ut de unica statuisse.

Veniamus ad Philosophos, quorum apud Graecos duplex est universe familia: Ionica, profecta a Thalete: et Italica, quae a Pythagora fluxit: quarum haud scio, an unus sit fons in doctrina Pherecydea. Ionici maxime in exquirendis caussis rerum naturalium versabantur, et, ut ait Socrates apud Xenophontem 'Απομν. I, 1, 11. *ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔφυ, καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίνεται τῶν οὐρανίων.* Quod minime ita est accipiendum, ac si omnia posuissent in materiae rerumque corporearum viribus, et nullam partem reliquissent caussae efficienti intelligenti. Nota est sententia THALETIS vel ex Cicerone Nat. Deor. I, 10. *aquam esse initium omnium rerum: Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* Ut fallatur Augustinus, Civ. Dei VII, 2. qui ait, *Thaletem nil huic operi ex mente Divina praeposuisse:* qui error inde natus videtur, quod Thales Deum, non extra mundi machinam positum, sed per eam totam diffusum esse voluit. Aliorum, qui Augustini errorem sequuntur, opiniones disceptat I. I. Bruckerus Hist. Crit. Phil. T. I. p. 468. Ciceronem sequuntur Minutius Felix cap. 19. et Lactantius Inst. I, 5; quorum testimonium in hac caussa repudiare difficile est: eorumque veram esse sententiam ipsa Thaletis ratio significat, cujus initia ducta sunt a

Phe-

Pherecyde. Qui secuti sunt Thaletem, non longe ab ejus sententia discesserunt. ANAXIMENES vim efficientem tribuit *aëri* quem ajebat esse *et infinitum et immensum et semper in motu*, ut est apud Ciceronem N. D. I, 10. Quod vero additur *eum gigni*, est ab Epicurei Velleji fraude; quippe alio loco Acad. II, 37. nil ejusmodi memoratur, neque etiam ab aliis scriptoribus. ANAXIMANDER eandem hanc caussam *Infinitum* vocavit. Sed nimirum hi dissentiebant a Thalete in caussa materiali, in caussa efficiente consentiebant. At vero, ut de his dubitetur, de ANAXAGORA certe dubitari nequit, *qui* (Cic. N. D. I, 11.) *primus omnium rerum descriptionem et motum mentis infinitae vi et ratione designari et confici voluit.* Quod hanc sententiam habere, viderunt homines docti: eum primum diserte motum atque ordinem rerum tribuisse caussae intelligenti tali quae non per totum mundum diffusa esset, sed extra eum habitaret. Ita enim pronunciavit: Ὁμοῦ *πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ αὐτὰ διῄρει καὶ διεκόσμησε.* vid. Plutarch. Plac. Phil. I, 7. Sed notior est res, quam quae pluribus a me verbis explicari debeat.

Hactenus de Ionicis Philosophis, qui ante Socratem fuerunt, et rerum caussam intelligentem statuerunt, et de ea ita locuti sunt, ut eam unam, nec plures, esse putarent. Quae sententia magis etiam celebrata uberiusque explicita est ab ejusdem familiae alumnis, qui ex Socratis disciplina

profecti sunt. De quibus antequam dicamus, dicendum est de PYTHAGOREIS, a quibus hanc sententiam clare diserteque expressam reperiemus. PYTHAGORAS igitur, qui rerum naturam numeris significare solebat, duo principia esse voluit, ex quibus omnia facta essent, τὴν Μονάδα *unitatem, caussam efficientem: et* τὴν Δυάδα *dualitatem caussam patientem et materiam, ex qua effingantur omnia a caussa efficiente.* Ita est apud scriptorem, qui vulgo Plutarchus perhibetur, de Placit. Philos. I, 7. et disertius adfertur a Diogene Laërt. VIII, 25. ex Alexandro, deperdito Historiae Philosophicae scriptore. Non est quod doctorum hominum, in explicanda Pythagorae mente, argutias vel sequamur, vel referamus. Satis est intellexisse, hanc ejus esse vim. Mundi caussam efficientem esse unam: sive, ut praeter eam nulla alia sit, sive non possit esse alia: sive partes ejus omnes tam arcte sint connexae, ut unitas existat: sive ita sit una, ut partes nullas habeat: harum igitur interpretationum quamcumque quis amplectatur, illud valeat necesse est, PYTHAGORAM caussam efficientem hujus universi, non in pluribus ejusdem generis individuis, sed in uno individuo posuisse. Jam vero hanc caussam efficientem esse Mentem, eamque per totum mundum diffusam (Cic. N. D. I, 11.), sed eam tamen unicam, verbis affirmavit disertis, quae exstant apud Clementem Alex. Adhort. p. 47, C. et Cyrillum contr. Julian. I. p. 30, C. Ὁ μὲν

Θεὸς

Θεὸς εἷς· χ' οὗτος δὲ οὐχ ὡς τινὲς ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τᾶς διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν αὐτᾷ ὅλος; ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος· κρᾶσις τῶν ὅλων· ἀεὶ ὢν· καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυναμέων καὶ ἔργων ἁπάντων· ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατήρ· νοῦς καὶ ψύχωσις τῶ ὅλω κύκλω· πάντων κίνασις. Neque desunt aliorum ejusdem familiae effata, quibus magistri confirmetur sententia. ONATUS quidem summo Deo alios minores subjicit, apud Stobaeum Phys. I, 3. δοκεῖ δέ μοι καὶ, μὴ εἷς εἶμεν Θεὸς· ἀλλ' εἷς μὲν ὁ μέγιστος καὶ καθυπέρτερος, καὶ ὁ κρατέων τῶ παντὸς· οἱ δὲ ἄλλοι πολλοὶ διαφέροντες κατὰ δύναμιν· hi alii Dii adeo differunt a summo Deo, ut ab eo creati sint, quales sunt minores Dii apud Platonem in Timaeo. Exstat etiam hocce THEARIDAE apud Clementem Al. Strom. V. p. 611, C. Μία δὲ ἄρα τῶν ὄντων ἀρχὰ μὲν ὄντως ἀληθινὰ· μία· κείνη γὰρ ἐν ἀρχᾷ τέ ἐστιν, ἓν καὶ μόνον. PHILOLAI quoque dictum laudatur a Philone Judaeo Mund. Opif. p. 23, A. Ἔστι γὰρ ὁ ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων Θεὸς, εἷς, ἀεὶ ὢν, μόνιμος, ἀκίνητος, αὐτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων. Ne vero quis EMPEDOCLEM, qui ex quatuor elementorum naturis omnia constare voluit, iisque efficientem caussam φιλίαν, et interitionem νεῖκος, praefecit: hunc igitur ne quis putet, vel his ipsis quatuor naturis vim tribuisse Divinam, quod dicit Epicureus apud Ciceronem N. D. I, 12. vel φιλίᾳ aut νείκει· legat Aristotelem Met. III, 4. et XII, 4. Pythagoricae fami-

liae propago fuit schola *Eleatica*, in qua XENOPHANES, quemcumque tandem vim adjunxerit Deo, certe unum esse eum pronunciavit: vid. Menagius ad Diog. Laërt. IX, 19, et J. A. Fabricius ad Sextum Emp. Pyrrhon. I, 33. p. 59. Locum ex ejus carmine protulit Clemens Alexandr. Strom. V. p. 601, C. *εὖ γοῦν καὶ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος διδάσκων ὅτι εἷς καὶ ἀσώματος ὁ θεὸς, ἐπιφέρει. Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος, Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίїος οὔτε νόημα.* Hujus discipulus PARMENIDES, quin fuerit in eadem sententia, non est quod dubitemus. Nam cum diceret, rerum universitatem compluribus contineri orbibus; medio eorum caussam tribuit efficientem omnis generationis ac Divinitatem, ut est apud Stobaeum in Physicis p. 50. Neque temere huc refert superstitem ex ejus poesi locum Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 603, A. — *ἀγέννητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστιν. Οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀγένητον.* Atque eodem redit ZENONIS ac MELISSI ratio, qui in eadem schola clari extiterunt. Quippe, teste Stobaeo Phys. p. 2., Deum dixerunt esse *τὸ ἕν, καὶ πᾶν, καὶ μόνον ἀΐδιον.*

In magna veterum monumentorum jactura, plura etiam, praeter ea, quae attulimus, supersunt indicia, ex quibus appareat, philosophos eos, qui ante Socratem et Platonem floruerunt, plerosque in eo consensisse, Naturam eam, quae caussam efficientem moventemque omnium rerum con-

contineret, non esse nisi unicam. Verum, cum ex iis, quae diximus, satis effectum arbitremur, accedamus ad Socratem et qui ab eo fluxerunt philosophos, si pauca prius de EURIPIDE dixerimus. Hic Anaxagorae disciplina repletus, primus Philosophiam in hominum celebritatem et scenam eduxit, multasque et dignas ejus sapientiae fama de summo Deo protulit sententias: quas ne Vobis, V. V. Cl., exhibeam, facit diligentia viri nostra aetate eruditissimi, L. C. Valckenarii, qui in Diatriba in Fragmenta Euripidis, immortali opere, hunc locum copiose persecutus est: ejusque disputationis summam, facere non possum, quin ipsis Viri verbis referam: *Deorum*, inquit p. 36., *quales a Graecis vulgo colerentur, contemtor Euripides, unicum agnovisse videtur Deum αὐτοφυῆ, mentem puram, aeternam, atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam: non ille, quae aliorum fuit opinio, Deum mentem esse censuit, quae materiae velut infusa, ac cum illa arcte conjuncta, hanc molem instar spiritus agitaret: sed puram et a materia longe semotam: cui materiae, natura sua quiescenti et confusae, mens ista Divina motum indiderit atque ornatum, creatrix coeli et terrae. Coelum autem, sive aethera, et terram, velut duo elementa consideravit, ex quibus omnia in hoc universo nascerentur, et in quae omnia, cum viderentur mori, in suum quodque resolverentur*, cet. Et quoniam de Euripide diximus, ne praetereamus

 ejus

ejus in scena socium, SOPHOCLEM, cujus in hanc sententiam verba passim laudantur ab Ecclesiae Patribus, Clem. Al. Strom. V. p. 603, B. et hinc Eusebio Praep. Evang. XIII. p. 680, D. Justino Mart. Cohort. p. 17, D. et Cyrillo contra Julian. I. p. 32, A. *Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστιν Θεὸς, Ὃς οὐρανὸν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν, Καὶ πόντου χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βιὰν* cet. Equidem is sum, qui certis fundamentis meam superstruere velim disputationem, non qui rationes vanas etiam cupide amplectar. Itaque facile concedo R. Bentlejo Epist. ad J. Mill. p. 13. judicanti, hoc fragmentum ex ficti Hecataei fraude profectum esse: magis quidem ille propter alias caussas, quam quod opinionem de unico Deo a Sophoclis ingenio abhorrere putaret. Ceterum in eandem fraudis suspicionem vereor ne adduci possint Aeschyli, Menandri, Philemonis et Diphili sententiae, quae exstant apud Clementem Al. Str. V. p. 600—611.

Prodeat jam SOCRATES, qui Philosophiam ex coelo in terram, et a rerum abditarum studio ad vitam et mores deduxit. Socrates igitur apud Xenophontem, quamquam justum putavit, secundum patrias leges Deum colere; tamen de Deo summo, qui caussam motus atque descriptionis omnium rerum contineret, ita locutus est, ut eum solum et unum esse judicaret. Ex multis locis duorum commemoratione defungar. Ἀπομν. I, 4, 17. *disce*, inquit, *o bone vir*, *etiam men-*

tem

tem tuam, dum inest in corpore, illud ex arbitratu suo gubernare. Quamobrem existimandum est, illam quoque sapientiam, quae est in hoc Universo, omnia ita, ut ei videatur, regere: non, oculum tuum ad multa usque stadia pertingere posse, Dei vero oculum non posse omnia simul complecti: neque, mentem tuam, tam de rebus quae hic accidunt, quam de illis quae in Aegypto et Sicilia, cogitare posse, et non posse Dei sapientiam (τὴν τοῦ Θεοῦ Φρόνησιν) *simul omnia curare: — intelliges, numen* (τὸ Θεῖον) *tantum ac tale esse, ut omnia pariter videat, et audiat omnia, et ubique adsit, et pariter omnium curam gerat.* Illustris etiam alius est locus, quo, minime quidem sublatis popularibus Diis, supra eos omnes longe longeque evexit effectorem gubernatoremque hujus universi, Ἀπομν. IV, 3, 13. *Ita enim se nobis Dii ostendunt. Cum ceteri Dii, quum bona nobis largiuntur, nil horum ita largiuntur, ut in apertum prodeant: tum is Deus, qui mundum composuit et continet, in quo pulcra et bona sunt omnia, qui eum incolumem servat, et utentibus sanum ac recentem praestat et morbi senectutisque expertem, atque jussa ejus exsequentem celerius cogitatu: is igitur Deus, maximarum rerum effectione se cognoscendum dat; ipse haec gubernans a nobis conspici non potest.* Hanc Xenophontis sententiam passim laudant Patres, post Clementem Alex. Cohort. p. 46, C. et Strom. V. p. 601, B. qui quidem in ea mutat,

et, ut est eorum ingenium, eam ab Hebraea prophetissa fluxisse contendit. Possumus et alium Socrati excitare testem, Scriptorem de Placitis Phil., qui Plutarchi nomine fertur, I. 7: *Socrates et Plato Deum esse dixerunt Unum τὸ ἓν, a se ipso existens, unigenitum, singulare, vere bonum; quibus omnibus nominibus Mens, seu Natura quaedam intelligens significatur. Est igitur Deus Mens, separata forma* (χωριστὸν εἶδος) *id est, Aliquid ab omni materia secretum, nullique permixtum patibili rei.*

A Socrate, tamquam fonte, multae in omnes partes fluxerunt philosophorum familiae: quarum auctores communem magistrum, Socratem, scriptis celebrarunt. Quae quidem scripta exceptis iis, quae a Platone et Xenophonte sunt, omnia vetustas absumsit. Ex Socratis discipulis fuit etiam ANTISTHENES, a quo Stoici profecti sunt: hic *Deum naturalem unum, populares multos esse* dixit, ut est apud Ciceronem N. D. I, 3. Minutium Fel. cap. 19. Lactant. Inst. I, 5.

Sed omnium, qui ex Socratis schola prodierunt, ingenio, doctrina, auctoritate princeps fuit PLATO. Hunc vel reprehensores Graecae Philosophiae Patres, de uno veroque Deo magnifice et graviter pronunciasse, consentiunt: v. c. Clemens Alex. Cohort. p. 44, sq. et Lactantius Inst. I, 5, 23. Primum hujus mundi fabricam ac descriptionem, atque adeo creationem reliquorum, qui vulgo colerentur, Deorum, uni tribuit Deo sum-

summo ac Principi; in Timaeo p. 526. E. eum ποιητὴν et πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς vocat; rationem quoque exponit, qua Deus ad efficiendum mundum fuerit adductus p. 527, A. Quem locum afferre juvat ex versione Ciceronis: *Quaeramus igitur caussam, quae eum, qui haec machinatus sit, impulerit, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. Probitate videlicet praestabat: probus autem invidet nemini: itaque omnia sui similia generavit: Haec nimirum gignendi mundi caussa justissima. Nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nil admiscere, quoad natura pateretur; quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet* (i. e. *materiam*) *id sibi assumsit, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluctuans: idque ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim judicabat esse praestantius. Fas autem nec est, nec unquam fuit, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus.* Atque hic ipse summus Deus alios creavit Deos, quos ita alloquitur p. 530. *Haec vos qui Deorum satu orti estis attendite, quorum ego effector sum et pater. Quae a me facta sunt, mea voluntate manebunt indissoluta; quamquam omne quod vinctum est solvi possit. Sed non rectum est illud solvi, quod bene vinctum sit. Sed quoniam generati estis, immortales quidem et indissolubiles non estis. Nec tamen unquam dissolvemini et mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea vobis est major effica-*

ciorque, ad vitae perennitatem caussa, quam vincula, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati. Ne quem vero fallat, nomen Θεὸς non una eademque significatione accipi a Platone. Nam et summum opificem mundi eo appellat, et creatos ab eo gubernatores coelestium corporum, et exemplar ad quod mundus conformatus est, et mundum ipsum. Sic etiam ipse, quem Plato sequitur, Timaeus in libello de Anima Mundi p. 554. C. *Θεὸν δὲ τὸν μὲν αἰώνιον νόος ὁρῇ μόνος, τὸν ἁπάντων ἀρχαγὸν, καὶ γεννήτορα τουτέων· τὸν δὲ γεννατὸν ὄψει ὁρέομες, κοσμόν τε τόνδε, καὶ τὰ μέρεα αὐτῶ, ὅκοσα ὠράνια ἐντι.* Ceterum in aliis Platonis libris multa sunt, in hanc sententiam: velut Epistola, quae fertur, II. p. 707. B. *περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστι, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνος αἴτιος ἁπάντων τῶν καλῶν.* quae verba Patres ita accipiunt, ut de Uno et vero Deo valeant. Et vero Leg. VII. p. 640. G. ubi ex sua ipse sententia loquitur, vocat eundem *τὸν μέγιστον Θεόν.* Sed omissis reliquis ejus locis, audiamus duos ex ejus secta Philosophos. Alter est APULEJUS Doctr. Plat. I. p. 3. ex quo ejus sententiae summa cognosci potest: *Initia rerum tria esse, arbitrabatur Plato, Deum, et Materiam, Rerumque Formas, quas ἰδέας idem vocat: — Sed haec de Deo sentit, quod sit incorporeus. Is unus, ait, ἀπερίμετρος, rerumque genitor, omnium rerum extortor, beatificus et beatus, optimus, nihil indigens, ipse conferens cuncta:*

cta: — Materiam vero improcreabilem incorruptamque commemorat: cet. Alter est MAXIMUS TYRIUS, qui Platonem ita de summo Deo sensisse pronunciat, Diss. XVII. *eum deorum hominumque esse creatorem, omnium bonarum rerum effectorem, Mentem purissimam et a corporea concretione remotum.*

Neque vero ARISTOTELES, quamquam in multis rebus dissensit a magistro Platone, in unitate Dei ab eo dissensit. Quae quidem manifestius ab eo expressa est, quam ut Patres, minime illi Graecorum laudatores, repugnare possent. Minucius Fel. XIX, 9. *Aristoteles variat, et adsignat tamen unam potestatem. Nam interim Mentem, Mundum interim, Deum dicit, interim Mundo Deum praeficit.* Lactantius Institut. I, 5, 22. *Aristoteles, quamvis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi et dicat et sentiat, in summum tamen Unam Mentem mundo praeesse testatur.* Quod illi crimen inconstantiae repetiverunt a Vellejo Epicureo apud Ciceron. N. D. I, 13. *Aristoteles quoque in tertio de Philosophia libro multa turbat, a magistro Platone dissentiens* (ita enim legendum pro *non dissentiens*): *modo enim Menti tribuit omnem divinitatem: modo Mundum ipsum dicit Deum esse: modo quendam alium praeficit; eique tribuit eas partes, ut replicatione quadam Mundi motum regat atque tueatur: tum coeli ardorem dicit Deum esse.* Sed facilem habent haec crimina responsio-

sionem. Et primum illud est tenendum, quod monuimus de Platone, nomen Θεὸς non unam constanter habere vim. Deinde in libris praesertim Exotericis Aristotelem se ad populares saepius accommodasse opiniones. Tum hanc reprehensionem hoc ipso nomine parum valere, quod sit profecta ab Epicureo Vellejo, qui caussae suae inserviens alios philosophos libenter in erroris suspicionem adducit. Porro, quod Deum Metaph. XIV, 7, *Animal beatum atque aeternum* vocat, quo nomine reprehenditur ab Athenagora Legat. VI, 11. hoc non ex sua ipse sententia pronunciat, sed vulgari hominum opinione ferri, dicit. In libro de Mundo, qui falso tribuitur Aristoteli, res tamen traduntur minime ab ejus doctrina abhorrentes; ibi capite ultimo diserte dicitur *Deum licet unicus sit, varias tamen habere appellationes.* Sed ex germanis ejus libris testimonia petamus. Physic. Ausc. Libro VIII. ita locutus est de caussa prima movente, ut omnia ei adjungeret quae in Divinitatem caderent. Cap. 7. §. 6. *probabile esse,* ait, *illam potius esse ἓν ἢ πολλὰ, cum propter rerum in hoc mundo consensum, tum quod non definitus earum sit numerus, et una tamen sufficiat;* et §. 7. rationes afferre conatur necessarias ejus sententiae: *Motum enim esse aeternum et continuum, adeoque unum: motum vero unum esse non posse, nisi si sit et unum quod moveatur et unum quod moveat.* conf. cap. 15. Et de eadem caussa prima movente dis-

se-

ferens Metaph. XIV. hoc ipsum dicit cap. 7. *eam immobilem esse ipsam, ejusque naturam positam esse in movendi actione, non facultate:* et cap. 8. *eam Mentem esse ac Deum et summa felicitate praeditum.* Hactenus egregie et consentanea ratione. Quid vero est quod deinceps cap. 9., tot tantasque faciat caussas moventes, quot sunt genera motus, et sideribus ejusmodi caussas tribuat, earumque summam novem et quadraginta esse velit. Equidem saepius miratus sum, locum hunc adeo apertum ad reprehendendum a Patribus fuisse neglectum. Atqui talis tamque manifesta repugnantia vix in pinguissimae mentis hominem cadat, nedum in Aristotelem: quo, ne quid aliud dicam, nemo certe fuit acutior. Qui quidem hunc XIV. Metaphysicorum librum volunt esse eundem atque tertium de Philosophia, de quo Cicero loquentem facit Vellejum, nulla satis idonea utuntur caussa. Igitur aut ipse hic locus falso scriptis insertus est Aristotelicis, aut interpretatione ad sententiae sanitatem revocari potest. Quod age conemur efficere. Capite 6. universo mundo communem et simplicem motum adjungit, eum qui fit in orbem. Jam vero, mundus ex Aristotelis sententia est unicus: vid. de Coelo I, 9. Igitur hic motus, qui fit in orbem reliquos complectitur, et horum caussae ab illius caussa continentur, vid. cap. 9. Caussa motus qui fit in orbem dicitur Mens et Deus cap. 8. reliquorum motuum caussae non

item,

item, cap. 9. Haec igitur caussa est supremus Deus, de quo scriptor de Placitis Phil. I, 7. *Aristoteles statuit, supremum quidem Deum separatam formam esse* (i. e. χωριστὸν εἶδος, *natura quae nil habeat corporei*) *superimminentem sphaerae universi, quae sphaera est aethereum corpus; quintum ab illo vocatum. Quod corpus cum sit divisum in quinque sphaeras, natura quidem contiguas, mente vero et ratione separatas, quamlibet sphaerarum animal esse arbitratur, et anima et corpore compositum, quorum corpus quidem aethereum sit, ac circulari modo revolutum: Mens vero immobilis, cujus natura posita est in ipsa actione motus, anima eorum est.* Quod sine dubio sumtum est ex perdito Aristotelis libro. Ceterum Platonici quamquam frequentes sunt in Aristotele reprehendendo, quod rerum Providentiam non unicam fecerit, sed inter plures naturas distribuerit, nullam tamen hujus loci faciunt mentionem: veluti Atticus ap. Euseb. Praep. Evang. XV, 12. et Proclus ad Plat. Tim. II. p. 90. Neque Justinus Martyr, qui peculiari libro Aristotelis placita evertere conatus est, et p. 140. A. locum protulit ex Physic. Ausc. VIII, 7. ejus cum loco Metaphysicorum repugnantiam memorat: contra, alio loco, ubi ejus a Platone dissensum exagitat, tamen fatetur, Deum unum summum ejus sententia confirmari: Ἀριστοτέλης — δύο ἀρχὰς, Θεὸν καὶ ὕλην εἶναί φησι· καὶ μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν οὐ τὰς ἰδέας, ἀλλὰ τινὰς νοητοὺς Θεοὺς εἶ-

εἶναι λέγει. Neque tandem acerrimus ille Dogmaticorum insectator, Sextus Empiricus, cum non uno loco Aristotelis sententiam vel memoret, vel reprehendat, istam excitat repugnantiam: v. c. Pyrrhon. III, 28, p. 218. *Ἀριστοτέλης μὲν ἀσώματον εἶπεν τὸν Θεὸν καὶ πέρας τοῦ οὐρανοῦ.* contr. Mathem. IX, 33. *Κατὰ γὰρ Ἀριστοτέλην, ὁ πρῶτος Θεὸς ἦν πέρας τοῦ οὐρανοῦ.* Ex quibus omnibus hoc efficitur, locum Aristotelis Metaph. XIV, 9. aut antiquitus non extitisse in ejus libris, aut non pro repugnante habitum fuisse.

Veniamus ad STOICOS, qui Antisthenis sententiam, quam supra memoravimus, constanter retinuerunt. Nam cum Dei nomina variis tribuerent rebus, principem tamen atque aeternum unicum esse voluerunt; cujus rei gravis est testis Plutarchus Def. Orac. p. 420. A. *Τοὺς Στωικοὺς γινώσκομεν οὐ μόνον κατὰ δαιμόνων ἣν λέγω δόξαν ἔχοντας· ἀλλὰ καὶ θεῶν ὄντων τοσούτων τὸ πλῆθος, ἑνὶ χρωμένους ἀϊδίῳ καὶ ἀφθάρτῳ· τοὺς δὲ ἄλλους καὶ γεγονέναι καὶ φθαρήσεσθαι νομίζοντας.* Hic est ille Deus, de quo scriptor de Placitis Phil. I, 7. *Stoicos*, ait, *vocant Deos, et Mundum, et Sidera, et Terram: Deorum vero summum esse Mentem in aethere.* His adjungamus Athenagoram Legat. VI, 12. *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς κἂν ταῖς προσηγορίαις κατὰ τὰς παραλλάξεις τῆς ὕλης, δι' ἧς φασὶ τὸ πνεῦμα χωρεῖν τοῦ Θεοῦ, πληθύνωσι τὸ θεῖον τοῖς ὀνόμασι, τῷ γοῦν ἔργῳ ἕνα νομίζουσι τὸν Θεόν.* Ceterum, cum universa Stoicorum de Deo sententia no-

notior est quam quae explicari hoc loco debeat, tum eam ejus partem, quae est de Unitate Dei, diserte iis vindicarunt Justus Lipsius Physiolog. Stoicor. I, 9. et Joach. Kuhnius ad Diogenem Laërt. VIII, 135.

Atque haec quidem sunt placita earum scholarum, a quibus Philosophia constituta est, quarumque auctoritas et apud posteros floruerit, et nunc in nostra disputatione valere possit; ut non sit, quod singulas singulorum philosophorum sententias peculiariter commemoremus. Neque etiam in hoc loco quidquam est mutatum, posteaquam aliae gentes ad Graecorum Philosophiam studia sua adjecerunt. Horum principem excitemus CICERONEM, quem multi negant, certum et constantem de Divina Natura tenuisse sententiam. Quo quidem nomine ab iis eum reprehendi, qui de rebus etiam obscurissimis tamquam de certis et exploratis pronunciare solent, minime est mirandum. Omnino, ut de aliis rebus, ita de Natura Divina, pauca Cicero affirmavit. Sed haec ipsa pauca ejusmodi sunt, ut appareat, eum hanc firmiter tenuisse sententiam, Deum et esse et unicum esse. Nam libro II. de Divinatione, ubi ex sua ipse mente loquitur, ait cap. 72. *esse praestantem aliquam aeternamque Naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo Mundi ordoque rerum coelestium confiteri cogit.* Et de Nat. Deor. II, 16. ex Academici persona reprehendit Stoicos, *quod plures in-*

du-

ducant Deos, cum in uno satis sit roboris atque virium. Porro aliis locis de summo Deo et rerum omnium gubernatore ut de unico loquitur: v. c. Somnio Scip. C. 3. *Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociati.* Ibidem C. 4. *Principis Dei majestas adumbratur Aristotelica et Parmenidea imitatione: Novem tibi orbibus, vel potius globis, connexa sunt omnia: quorum unus est coelestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens et continens ceteros.* Deinde, Leg. I, 7. *hominem*, ait, *praeclara quadam conditione generatum esse a summo Deo.* Ibidem 8. *homines et reliquos Deos parere coelesti huic descriptioni, Mentique Divinae et praepotenti Deo.* Et ib. II, 4, cum ostendit, *Legem Naturae esse Mentem summi ejus Dei, principem legem* ait, *illam et ultimam, Mentem esse omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei —, quae vis non modo senior est, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei.* Atque, ut multis partibus, ita hac, secutus est Platonis auctoritatem: quod recte animadvertit Lactantius Instit. I, 5, 23: *Plato, qui omnium sapientissimus judicatur, monarchiam plane aperteque defendit, nec Aethera, aut Rationem, aut Naturam, sed, ut est, Deum nominat: ab eo Mundum hunc perfectum atque mirabilem esse fabri-*

catum. Quem Cicero secutus atque imitatus in plurimis, Deum frequenter confitetur ac supremum vocat in iis libris, quos de Legibus scripsit: ab eoque regi mundum argumentatur, quum disputat de Natura Deorum, hoc modo: „ Nihil est praestantius Deo: ab eo igitur Mundum regi necesse „ est. Nulli igitur est Naturae obediens aut sub„ jectus Deus: omnem ergo regit ipse Naturam." Quae verba cum sint ex secundo de Natura Deorum, et ex Stoicorum ratione dicantur a Balbo, nolumus ipsi Ciceroni tribuere; ne forte quis parum acute nos agere arbitretur. Quamquam hac quidem in re Ciceroni optime convenit cum Stoicis. Nil enim est disertius eo loco, quem continuo adjicit Lactantius, quo ex sua ipse persona loquitur Cicero: „ *Quid autem sit Deus in Con„ solatione definit. Nec vero Deus ipse qui intelli„ gitur a nobis alio modo intelligi potest, nisi Mens „ soluta quaedam et libera, segregata ab omni „ concretione mortali, omnia sentiens et movens.*

Non alienum videtur ab hoc loco, monere, negligenter atque incaute agere eos, qui, cum ostendere volunt, vanam nullisque rationibus innixam fuisse Antiquorum de Divina Natura sententiam, ejus rei auctorem ipsum excitant Ciceronem, libro primo de Natura Deorum. Quis enim ibi loquitur? Nimirum Vellejus Epicureus, qui Divinam vim ab universi gubernatione removeret, et caussae suae inserviens aliorum placita in temeritatis vanitatisque suspicionem adducere conaretur.

tur. Hoc in Empedocle fecit. Hoc in Platone et Xenophonte. Hoc in Anaximene. Longum est omnia recensere, in quibus non veritatem secutus, sed accusatoriae calliditati malevolentiaeque obsecutus est.

Neque vero non frequens fuit haec opinio apud reliquos Romanos scriptores. Exstat VALERII SORANI dictum quod ex Varrone memorat Augustinus Civ. Dei, VII, 9. cujus quaecumque tandem est vis, haec eo redit, Jovem *unicum* et summum esse Deum:

Jupiter omnipotens regum rerumque Deûmque
Progenitor Genitrixque Deûm, Deus unus et omnis.

Ipsum etiam VARRONEM in eadem fuisse sententia, eamque disertis verbis prodidisse, non uno loco testatur Augustinus Civ. Dei IV, 9, 31. XIX, 22.

Jam quid suppares huic aetati memorem poetas? Noti sunt in vulgus VIRGILII versus Aen. VI, 724. ducti illi vel ex Pythagorica disciplina, qua Deus informabatur, ut qui per totam mundi machinam intentus esset, sive a Platone, qui et ipse Mundo animam a supremo Deo factam adjungebat:

Principio coelum ac terras camposque liquentes
Lucentemque orbem Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

Horum sunt simillimi Georg. IV, 221.

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractus maris coelumque profundum.

Quid porro illis HORATIANIS sublimius augustiusque dici potuit de Jove. Carm. I, 12, 15.

Qui res hominum ac Deorum,
Qui mare et terras variisque mundum
Temperat Horis.
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum.

et Carm. III. 4, 45.

Qui terram, inertem qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia:
Divosque mortalesque turmas
Imperio regit unus aequo.

OVIDIUS denique nonne mundi fabricam a Deo repetit, Metamorph. I. 21.

Hanc Deus et melior litem natura diremit.
Nam coelo terras et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre coelum.

Gravis in primis Philosophiae auctor apud Romanos fuit SENECA, qui Stoicam rationem de unitate Dei pluribus locis explicuit. Veluti de Benefic. IV, 8. — *hunc Naturam vocas, Fatum, For-*

Fortunam: omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. Quaest. Natural. II, 45. *Ne hoc quidem crediderunt, Jovem qualem in Capitolio et ceteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eumdem quem nos Jovem intelligunt, custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundani hujus operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? Non errabis: hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Providentiam dicere? Recte dices: est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconfusus eat, et actus suos explicet. Vis illum Naturam vocare? Non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? Non falleris: ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua. Idem Etruscis quoque visum est: et ideo fulmina a Jove mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur.* Neque minus sunt egregia ejusdem alia testimonia, quae ex perditis ejus libris servavit Lactantius Institut. I, 5, 26. *Annaeus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam saepe summum Deum merita laude prosequitur. Nam quum de immatura morte dissereret, „ Non intelligis, „ inquit, auctoritatem ac majestatem judicis tui, „ rectoris orbis terrarum coelique, et Deorum „ omnium Dei, a quo ista numina, quae singu- „ la adoramus et colimus, suspensa sunt." Item*

in Exhortationibus: „*Hic, quum prima funda-„menta molis pulcherrimae jaceret, et haec or-„diretur, quo neque majus quidquam novit Na-„tura, nec melius, ut omnia sub ducibus suis „irent, quamvis ipse per totum se corpus inten-„derat, tamen ministros regni sui Deos genuit.*"

Et quia in Romanis versamur, non praetermittendus STATIUS, qui Theb. IV, 516. *triplicis mundi summum Deum* memorat, *quem scire nefastum sit.* In quibus verbis explicandis variae sunt hominum doctorum opiniones. Mihi vel ad Mysteria vel ad imitationem Platonis referenda videntur. Plato nimirum Tim. p. 526. E. dixerat: *τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.* quo loco pro *ἀδύνατον* antiquitus *ἀθέμιτιν* fuisse in nonnullis libris apparet ex versione Ciceronis de Univers. Cap. 2. *Atqui illum quidem quasi parentem hujus Universitatis invenire difficile, et cum jam inveneris, indicare in vulgus nefas.*

Sequitur ut de PLUTARCHO dicamus, qui ut ingenio nemini est postponendus veterum scriptorum, ita haud scio an doctrinae copia et veritatis studio neminem habeat parem. Et hujus quidem sententiae cum multa in ejus scriptis sint testimonia, paucis, et quantum speciminis loco satis sit, utemur. In libro de Iside et Osir. p. 377. F *neque vero*, ait, *alii apud alios sunt Dii, aut sui Graecis, Barbaris item sui, et alii septen-*

tri-

trionalibus, alii austrinis. Sed quemadmodum Sol, Luna, Coelum, Terra, Mare, communia sunt omnibus, tantum aliter ab aliis appellantur; ita Unius Mentis hoc Universum temperantis vires, quae omnibus rebus praesunt, pro varietate legum alias apud alios habent dignitates, alia nomina. Locus est in eandem rem disertus in libro de Oracul. Defectu p. 425. F. cujus sensum obscuraverat parvum vitium: *Deinde*, inquit, *si statuamus, plures esse mundos, quae tandem erit necessitas ut plures sint Joves atque adeo* (nam pro μὴ legendum est δὴ) *in singulis mundis princeps et Dux Deus, ratione et mente praeditus, qualis est noster Jupiter, qui a nobis Pater omnium et Dominus appellatur. Aut quid obstabit, quominus Jovis fato omnes mundi obediant, isque singula inspiciat ac dirigat.* cet. Ac de hoc Uno et Supremo Jove, sunt ea, quae dicuntur p. 426. C. *Nam Homericus iste Jupiter non usque adeo longe oculos a Troja, in Thraciam et Nomades Istri accolas intuens. Verus autem Jupiter pulchras habet ipsique convenientes in variis mundis mutationes, non extra mundos prospiciens in infinitum inane, neque solum praetereaque nihil, quae nonnullorum fuit opinio, considerans, sed opera Deorum et hominum, motusque et conversiones siderum multiplices, contemplans.* Porro nil gravius excogitari potest iis rationibus dictisque, quibus Deo vindicat unitatem in libro de EI apud Delphos, p. 393. ubi quamquam de Apolline loqui-

tur, ita de eo loquitur, ut eum pro uno et summo Deo, qui nomine tantum a Jove reliquisque Numinibus differat, habere videatur: cumque de unitate ejus naturae disserat, patet eam ipsam superstructam esse unitati individuae, seu numeri, ut cum Deus omnia quae in ejus naturam cadere possunt, simul et semper complectatur, sibique semper unus et idem sit, etiam significetur, talem naturam ac vim non in pluribus subjectis, sed in uno tantum, inesse. *Itaque*, ait, *de eo quod est, non licet dicere, fuisse id aut fore: quae verba inclinationem significant atque discessum ac mutationem, quae locum in EO QUOD EST non habent. Sed ita est dicendum: Deus est, neque vero est in tempore, sed in aeternitate immobili et experte mutationis ac temporis, qua nihil est neque prius, neque posterius, neque recentius. Sed unus cum sit Deus, uno praesenti durationis momento* (ἑνὶ τῷ νῦν) *totam aeternitatem complet: et solum illud, quod in aeternitate est, revera est, non factum, non futurum, non praeteritum, neque orsum, neque desiturum. Sic igitur Deus a nobis cum veneratione salutandus est: ES UNUS. Non enim multitudinem capit divina natura* (οὐ γὰρ πολλὰ τὸ θεῖόν ἐστιν), *ut unusquisque nostrum, qui constamus congerie mixta, et infinitis diversissimisque affectionibus, ut conflantur conventus ex variis hominibus. Sed illud quod est, unum est; et unum est illud, quod vero*

ro

re est: igitur Deus vocatur Sεjus, nomine quod negat multitudinem; quia unus est et solus.

Neque vero praetereundus est ARISTIDES, magnae homo doctrinae et eloquentiae, Hadriani Imperatoris temporibus. Hujus in scriptis, quae pervenerunt ad nostram aetatem, exstat Hymnus, prosa scriptus oratione, quo numen ac majestas Jovis ita celebratur, ut princeps, pater, rex Deorum hominumque, et solus atque unus ab omni aeternitate fuisse dicatur.

Igitur ad hanc usque aetatem ab ipsis inde incunabulis disciplinarum, omnes, qui quidem divinam Naturam non penitus tollerent, constanter hoc tenuerunt: Deum qui primam motus caussam contineret, non esse nisi unicum. Neque fere, excepto Aristotele, hoc argumenti conclusione conficere quis conatus est; quippe rem per se satis manifestam nil a demonstratione firmamenti requirere, judicarunt. Venimus jam ad ea tempora, quibus Christiani Patres doctrinam Evangelicam scriptis divulgare, et contra reprehensiones adversariorum vindicare coeperunt. Quibus quidem scriptis factum est, ut locus de Unitate Dei postea tractaretur uberius ab iis etiam, qui alieni essent a Christiana religione. Nam Patres, ut jure Philosophiam reprehendebant, quod licet constanter tenuisset unicum esse summum Deum, tamen nullam vim habuisset ad defigendam hanc opinionem in singulorum universorumque hominum mentibus: ita nimium etiam hoc in loco se jactarunt,

runt, et demonstrationes necessarias ipsi suis ingeniis expromere conati sunt. Quae demonstrationes quam habeant laudem, postea videbimus. Nunc hoc unum volumus, Philosophos, qui his et sequentibus temporibus de divina Natura exposuerunt, copiosius de Unitate disserere coepisse; non quod certiora firmioraque argumenta, quam veteres, adferre possent; sed ne de praecipuo illius doctrinae capite, aut tacuisse, aut obiter prodidisse viderentur.

Equidem haud ignoro, esse qui his de rebus neminis cujusquam eorum, qui post Christum natum vixerunt, scriptorum testimonium valere contendant; quippe quidquid bene dictum sit de divina Natura, religione, virtute, id ex libris N. T. fluxisse. Quos ego homines, etsi pauca affirmo, tamen ab antiquitatis usu prorsus alienos esse affirmo. Primum hoc temere sumunt, quod probare nequeunt, Evangelii doctrinam, ut primum ab Apostolis extra Palaestinam differri coepit, ita continuo ad omnium notitiam dimanasse, ejusque magnopere aliquam rationem habitam fuisse ab hominibus doctis et philosophis. Sed, ut hoc iis demus, quid est in Seneca, Plutarcho, et aequalibus, quin idem vel docuerint philosophi ante Christum natum, vel ex eorum doctrina nasci potuerit? Quod si Seneca et Plutarchus legissent libros V. et N. T.; essent profecto in eorum scriptis expressa vestigia ejus lectionis. Nunc nulla prorsus sunt. Igitur Vete-

res

res Plato, Aristoteles, aliique ex sacris libris suam hauserunt Doctrinam? Sed quid est, quod nullum apud eos reperiatur Judaicae gentis indicium? Quid quod inter utramque doctrinam tantum intersit, quantum unusquisque non imperitissimus facile videt? At, inquiunt, Thales, Pythagoras, Plato, cum in Aegyptum proficiscerentur, per hanc opportunitatem cum Judaeorum doctoribus confabulati sunt. Hoc nimirum est ad fabulas confugere, quarum quidem vanitatem exploserunt omnes, qui vel paululum de his rebus judicare possent; ex quibus unus adeo J. Clericus, Art. Crit. Vol. I. p. 28. et Ep. VII. nobis sufficit. Verum si hebetiores sunt isti, quam qui rationes percipiant, moveat eos D. Pauli auctoritas, qui diserte pronunciat Rom. I. 19, 20, ad Dei cognitionem alias, praeter Judaicam, gentes, naturae bonitate pervenisse.

Enimvero et has et alias rationes lubens praetermitterem, si ad Vos dicerem solos, viros praestantes acumine, et quod in his rebus plurimum valet, antiquitatis usu exercitatos. Verum, quum ea conditione disputem, ut fortasse Vestra commendatione haec disputatio ad publicam notitiam perventura sit; video illud a me postulari, ut uberiore hujus caussae explicatione consulam quoque hominibus minus paratis vel a judicandi sollertia vel ab antiquitatis scientia.

Primum hoc affirmamus, notionem unitatis Dei non adeo esse abditam et inaccessam, ut humanum

num ingenium ad eam consequendam non satis ipsum habuerit virium, sed auxilio adduci debuerit divino. Veluti, notionibus trianguli quadrangulique cognitis, ipsa nos natura ducit ad cognitionem theorematis de quadrato hypothenusae. Et multi tamen reperiuntur, qui trianguli quadratique rationem cognoscant, theorema de quadrato hypothenusae non cognoscant. Ita Divinum quoddam esse Numen pauci homines ignorant: illud unicum esse non continuo intelligunt. At, inquit, illud est Mathematicae rationis, qua ex initiis reliqua necessario consequuntur: illud non item. Concedo. Sed nisi est Mathematicae rationis, Deum unicum esse; est tamen rationis vel Probabilis, vel Moralis, certe rationis. Atque ita se res habet, ut qua nobis ratione persuadeatur Deum esse, eadem, si explicetur, etiam persuadeatur, eum unicum esse. Quod quidem in conclusione hujus disputationis ostendere conabimur.

Est haec sententia Horatii, *Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit:* quam ille poetis dixit, sententiam, nos ad philosophos referamus. Suis viribus humanum ingenium intelligit Deum esse: suis viribus ejusdem inde unitatem colligit. Quid igitur est, quod veluti mali poetae, ubi res ipsa nobis exitum ostendit, Deum ex machina inducamus. Quid quod non idem faciamus in iis nodis, qui magis etiam vel opus habeant vel digni sint vindice Deo: Qualis est

haec

haec ipsa notitia, Deum esse; Ejus providentia mundum gubernari: Hominum animos esse immortales: Praemia iis et poenas post mortem parari: Virtuti esse studendum etiam quum damnum adferat: Vitium esse fugiendum etiam quum utilitatem habeat. Igitur aut tota religio naturalis ex Divina revelatione repetatur: aut si quasdam ejus partes sua bonitate consecutum est humanum ingenium; sit in iis partibus unitas etiam Dei; quae profecto faciliorem habet intellectum inventionemque, quam illae, quas memoravimus partes.

Sed liberaliter agamus. Demus, quod volunt, non nisi divino auxilio hominibus innotuisse Deum esse unicum. Nimirum eos habemus adversarios, cum quibus hoc quidem nobis conveniat: Divinae revelationis, praeter Judaicam gentem, aliam participem nullam fuisse. Itaque ostendemus, illud quod isti sumunt, notitiam unius Dei a Judaeis ad Graecos fluxisse, multas variasque habere et difficultates et temeritates.

Et primum quidem, quid caussae fuisse dicamus, quare hoc unum a Judaeis ad Graecos manaverit, non item alias doctrinae theologicae partes: verbi caussa, mundi creationem, eamque ex nihilo et sex dierum spatio confectam; humani generis ab unius viri foeminaeque conjugio propaginem; et alia multa. Nam qui Graecorum Cosmogonias et Theogonias ex Sacris V. T. libris profectas esse volunt; ne digni quidem sunt no-

nostra animadversione: quippe qui ita disputant, ut incertum sit, utrum magis rerum linguarumque ignorantiam, an fingendi licentiam miremur.

Porro, notionum, quae vel ab homine cum aliis hominibus, vel a gente cum aliis gentibus communicantur, haec est ratio, ut non quasi nudae et sincerae tradantur, sed cum quodam veluti colore, contracto ab iis inter quos versatae sunt. Una eademque Philosophiae forma, apud varias gentes varios habitus sumit: Unius ejusdemque rei notio pro varietate ingeniorum varie informatur, ut si eam expressam videamus, simul vestigia appareant ejus gentis, in qua habitavit et a qua venit. Ita in artibus reliquis est: veluti quum populus ab alio populo navigiorum fabricam didicit, hanc ita didicit, ut appareat quo populo magistro usus sit, cujus in ea ingenium, consuetudo, mores, agnoscantur. Quare si notitia unitatis Dei a Judaeis ad Graecos manavit, necesse sit in ea reperiri Judaicum colorem, et vestigium earum virtutum, quibus maxime Judaei vim numenque Dei censebant; ut, v. c., sit osor signorum; zelotypus, qui nullum praeter se numen coli velit: stator et acerrimus vindex legum per Moysen latarum: quarum profecto notionum ne umbra quidem apud Graecos apparet antiquos. Habet enim eorum notio de unitate Dei colorem nativum et Graecum, minime vel peregrinum vel Judaicum. Quid autem intersit inter nativum et peregrinum colorem, cernere licet;

ret; si philosophorum sententias de unitate Dei comparemus, eorum qui ante Porphyrium fuerunt, cum eorum qui post eum fuerunt. In recentioribus apparet color ex Judaicae Christianaeque doctrinae notitia ductus: in antiquioribus est patrius et nativus color, et gentis veluti imago, quae suis et propriis, non alienis viribus, nitatur.

Et vero Judaei a consuetudine cum aliis gentibus tam pertinaciter se abstinebant, ut haud facile notitia eorum ad exteras et longinquas regiones perveniret. Neque mercaturae fere studuerunt, nisi regnante Solomone: neque illa maritima itinera Graeciam versus pertinuerunt: et ut hodieque fit, magis spectarunt ad opes congerendas, quam sanam religionem pervulgandam.

At vero, inquit, non per ipsos Judaeos, sed ab iis per Aegyptios et Phoenices, unitatem Dei acceperunt. At vero nullae gentes graviori superstitioni et pejoribus de Divina natura opinionibus erant deditae, nisi gentes illae, aut certe earum vulgus, ex quo fere nautae et mercatores etiam fuerunt: earumque religio ineptissimis iisdemque atrocissimis continebatur officiis. Et tamen Judaeos, gentem simplicem et incultam mire contemnebant Phoenices et Aegyptii, homines ut perverse sentientes de Divina natura, ita exculti artibus et voluptatum subsidiis. Hi ergo, tamquam mercem apud Judaeos quaesitam, notitiam unius Dei, non in suam ipsi regionem et pa-

tri-

triam, sed in Graeciam importarunt? Quid? Si quis in Sinam veniens, postquam ejus gentis artes atque ingenium non sine admiratione cognovisset, audiat narrari; Sinenses quamvis egregia multa invenerint in artibus ac disciplinis omnibus, tamen unum esse Deum sua ipsos sagacitate videre non potuisse: ejus enim rei notitiam cum Sinensibus communicatam esse per mercatores Tartaros, qui eam accepissent a gente Cosackorum, rudi quidem illa et inculta, sed Christiana tamen. Hic igitur nonne sibi videatur tale quid audire, quod, nisi continuo rejiciat ut falsum et ineptum, certe eo usque repudiet, donec firmissimis rationibus demonstratum fuerit? Itaque profecto et nos videmur de nostro jure concedere, cum contra istos disputamus. Est enim potius eorum, qui rem novam et a verisimilitudine abhorrentem nobis persuadere conantur, eam demonstrare, quam nostrum, qui eam negamus, rationibus refellere.

Sed fuerunt, inquit, apud Aegyptios et Phoenices multi etiam sapientes viri, qui de rebus divinis verius judicarent, quam civium eorum vulgus. Scio. Atqui, inquit, hi ipsi fuerunt, qui notitiam unius Dei a Judaeis acceptam Graecis traderent. Nil vidi magis! Viri, quibus natura satis tribuerat ingenii, ut populares errores et intelligerent et contemnerent, eodem ingenio non illud etiam intelligant, quod natura in loco si non aperto, certe minime recondito posuit, vim divi-

nam

nam potius uno numine contineri, quam per plura esse divisam. Quod quidem tam de Graecorum, quam Phoenicum et Aegyptiorum sapientibus affirmamus. Nisi forte putemus, eos non tantum valuisse ingeniis, quantum viri ex medio aevo haud pauci, qui errores publicae religionis auctoritate consecratos agnoscere potuerunt.

Age vero, jam illud ostendamus, Judaeos post Alexandri Macedonis tempora Graecis demum innotuisse, et in historiarum monumentis, quae illam aetatem antecedunt, nominis factive Judaici ne vestigium quidem exstare. Multi ex Graecis, principes doctrina et ingenio viri, Thales, Solon, Pythagoras, Democritus, Plato, sapientiae ducti amore longinquas adierunt regiones, Aegyptum, Phoeniciam, Babyloniam. Quid igitur caussae est, quod in eorum vel scriptis vel vitis ac rebus gestis nulla prorsus Judaeorum fiat mentio? Thaletis, Solonis et Pythagorae tempora incidunt in rei publicae Judaicae instaurationem ex captivitate Babylonica. Tum Cyrus Lydos et Croesum subegerat: cujus res cum rebus Graeciae magnam sine dubio habuerunt conjunctionem; ut vix credibile sit, Graecis facta et expeditiones Cyri reliquas ignotas fuisse, praesertim sapientibus, qui per eam Asiae partem peregrinabantur. Quare, si tum Judaeorum aliquod nomen, aut fama doctrinae fuisset apud alias gentes, nonne Solon et reliqui, quos nominavimus, pro eo quo incensi erant doctrinae amore, quum apud Aegyptios et Chal-

Chaldaeos versarentur, ad vicinos etiam Judaeos accessissent? Aut Homerus, qui fuit aetate Solomonis, florentissimi ex Judaicis regibus auctoritate et sapientiae laude; Homerus igitur, qui fuit unus omnium poetarum doctissimus; qui exterarum gentium cognitionem longinquis collegerat peregrinationibus; qui res cum quas ipse viderat, tum quas ab aliis fando acceperat, libenter per carmina commemoravit: qui Aegyptiorum et Phoenicum mentionem haud raro fecit: Homerus igitur, quod quidem ex ejus carminibus intelligi possit, Judaicarum rerum nullam prorsus habuit notitiam. Qui Pythagoram cum Ezechiele collocutum esse volunt, in temporis rationibus turpiter errant, et homines multorum annorum spatio disjunctos aequales faciunt. Sunt adeo, qui Platonem doctrinam de Trinitate ex libris sacris V. T. accepisse dicant. Sed nil est tam ineptum, quin ab istis fingatur, qui Graecam a Judaica doctrina repetant: quorum quidem cum nullus non pueriliter ineptiat, imperitissimus quisque impudentissimus est ad fingendum. Mittamus Poetas, qui fere omnes et doctrina abundabant, et eam carminibus expromere atque ostentare solebant: ex quorum scriptis, quae innumera profecto fuerunt, ne tenuem quidem umbram rei Judaicae consequi potuerunt, quicumque hoc agere conati sunt. Mittamus etiam Philosophos, quorum ex ea aetate omnium principes supersunt Plato et Aristoteles: cedo unum vestigium Judaicum ex eorum scriptis? Atqui Pla-

to ipse doctrinae caussa in Aegyptum profectus erat. Et Aristoteles, ut erat in omni historia versatissimus atque curiosissimus, cum ipsum Alexandrum habebat, tum alios ejus expeditionis socios, qui per literas ei solebant scribere, si quid peregrinis in terris ac gentibus reperissent, quod dignum Philosophi cognitione judicarent: hi igitur si aut adiissent Judaeos, aut novum et memorabile judicassent gentem esse, quae unum Deum coleret, nonne ejus rei notitiam cum Aristotele communicassent? et erat profecto locus Judaeis in copiosissimo Philosophi opere, quo maxime quidem Graecorum, sed populorum tamen etiam aliorum quorumdam, res publicas descripsit. Nunc neque in iis, qui ad nos integri pervenerunt, Aristotelis libris, neque in eorum qui perierunt fragmentis, Judaeorum exstat mentio.

Videamus Historicos, qui vel tractarunt vel attigerunt Aegyptiacas, Persicas, et cum iis conjunctas res alias. Ex magno numero, duo soli, sed primarii, supersunt, Herodotus et Xenophon; quorum ille eas ipsas regiones studiose peragravit, et res, quas ibi vel ipse viderat vel ab aliis acceperat, diligenter memoriae mandavit: hic Persiam et magnam partem vicinae Judaeis Asiae per militiam cognovit; hi ergo, cedo, ubi Judaeos memorarunt? Neque vero magis qui perierunt, Ctesias, Eudoxus, aliique multi Judaeorum mentionem injecisse videntur. Cujus rei certissimum hoc est argumentum, quod Josephus, et post eum Cle-

Clemens Alexandrinus, Eusebius, aliique Patres, qui omnia undique Graecorum Scriptorum de Judaeis testimonia cupide solliciteque conquisiverunt, veri quidem sanique adferre nil potuerunt. De quo dicemus, posteaquam de Alexandri aetate exposuerimus. Nam, quod modo diximus, Judaeos Graecis post illam demum aetatem innotuisse, hoc non eam vim habet, ac si tunc Judaei continuo per Graecas gentes nomen aliquod habere coepissent. Immo ita se res habet, ut vel sic tamen tenuis et obscura inter Graecos fuerit Judaeorum cognitio, donec eorum regio crebris Ptolemaeorum et Seleucidarum bellis frequentaretur, et coloniae in Aegyptum et Syriam deducerentur.

Et primum quidem Scriptores rerum Alexandri, qui quidem fide digni sunt, ad unum omnes de Judaeis tacent. Atqui hoc ipsum erat tempus, hic ipse locus, quo Graeci ex diuturna se ignorantia solverent, et Judaeos cognoscerent. Capta Syria, et expugnata Tyro, Alexander Aegyptum petebat: permeabat Palaestinam, cujus una urbs Gaza valido munita Persarum praesidio, ejus progressum retardabat. Igitur quum ipsam Judaeam peragrasset, certe in ejus finibus per aliquod tempus Gazae expugnandae caussa moraretur, tamen illam gentem Alexander adeo neglexisse videtur, ut unice de Gaza expugnanda et Aegypto occupanda cogitaret. Nam quod apud Josephum est, et qui eum sequuntur, posteriores Scriptores, de

de Alexandri Hierosolymas adventu, tale est, ut facile appareat, illud fictum esse a Judaeis, qui neglectum ignorationemque sui aegre ferrent. De quo quidem, cum inter omnes constat, qui recte historicam fidem aestimant; tum ne plura dicam, facit diligentia viri praestantissimi, *Baronis de Ste Croix*, qui totam rem diligenter et acute exposuit peculiari Dissertatione Gallice scripta, *Examen Critique des Historiens d'Alexandre le Grand.* p. 68. et seq. et not. XIII.

Mirum aliis, Judaeis non ferendum, videri debuit, nullam eorum mentionem factam esse a Scriptoribus rerum Alexandri; cum memorentur Dahae, Aspii, Malli, Sabracae, Arachosii, barbara et inaudita nomina. At Judaei se sponte Alexandro subjecerunt, ut nulla vi armorum adversus eos uteretur; neque aliquid ageret, quod memorandum videretur Scriptoribus? At iidem Scriptores de iis etiam gentibus prodiderunt, quae sponte se regi dederunt, neque earum ingenia, mores, res publicas, silentio praeterierunt. Verum esto: in historiis rerum Alexandri non magnopere locus fuerit Judaeis: habuit tamen, ut modo diximus, militiae socios doctos homines et philosophos haud paucos; neque tamen vel ipsi aliquid de Judaeis memoriae prodiderunt; neque cum Aristotele, aliisve ejus aetatis Philosophis communicasse videntur. Et quandoquidem hujus sententiae firmum habemus argumentum hoc, quod Josephus veri sanique adferre nil potuit, cum de-

monstrare vellet Judaeos Graecis non incognitos fuisse; hoc quale sit, age, videamus.

Apion Alexandrinus Judaeis novitatem exprobraverat, dicens eorum nomen recens et inauditum ad aliarum gentium aures accidisse, neque adeo multa secula esse, cum in aliorum hominum ignoratione fuisset. Quid crimen diluendum sibi sumsit Josephus duobus libris, et caussam ita egit, ut ejus disputationis magna pars versetur in reprehendenda Graecorum negligentia novitateque, et in colligendis Graecorum Scriptorum locis, quibus Judaeorum mentio facta esset. Jam illud non est hujus loci, quaerere, recte nec ne Graecis vicissim objecerit negligentiam novitatemque. Hoc unum intelligi volo, ita se rem habere, ut, si Scriptorum testimoniis, quae Josephus adtulit, sua constet auctoritas, nil efficiatur, nisi forte unum alterumque Graecorum ante Alexandrum de Judaeis obscuram tenuemque famam hausisse; certiorem notitiam tum demum ad Graecos delatam esse, posteaquam ipsa Judaeorum regio crebris Ptolemaeorum Seleucidarumque bellis frequentari coepisset. Nunc vero pleraque talia sunt testimonia, ut jure possint reprehendi.

Primum L. I, 22. memorat, Pythagoram pleraque instituta et placita a Judaeis sumsisse. Et quandoquidem ipsius Pythagorae nullum fertur scriptum, ex quo de notitia cum Judaeis quid colligatur; testem excitat Hermippum. Clarus hic fuit historiae philosophicae scriptor, sed diu post Alex-

Alexandrum: vid. Vossius de Hist. Graec. I, 16. Quid vero est quod ex Hermippo adfertur? nimirum hoc: ταῦτα δ' ἔπραττε καὶ ἔλεγε, τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος. Igitur hoc unum est quod Hermippus dicit; *Pythagoram Judaeorum et Thracum opiniones imitatum esse*: estque hoc potius profectum ex conjectura Hermippi, qui Judaeorum notitiam habuit, quam ductum ex Scriptoribus, qui proximi aut fuerunt aetati Pythagorae, aut Alexandro antiquiores: quorum quippe, ut diximus, nullus Judaeorum mentionem fecit. Neque vero Hermippus dixit Pythagoram apud Judaeos fuisse. Quod si hoc dixisset, Josephus profecto non, omisso diserto testimonio, ad anceps et obscurum confugisset. Et erat omnino locus in eo libro, ut omnes, quas quidem nosset, Pythagorae res proderet Hermippus, quippe qui vitam doctrinamque ejus pluribus libris conscripsit. Atqui ab hac Josephi auctoritate pendent Patres, qui Hermippo teste contendunt Pythagoram a Judaeis profecisse: veluti Origenes contra Cels. I. 15, 16. qui hac etiam in re fallitur, quod locum Hermippi, quem ex primo ejus libro περὶ τῶν Πυθαγόρου βιβλίων laudaverat Josephus, sumtum putavit. Et quandoquidem Hermippus Judaeorum cum Thracum mentionem conjunxit, et eorum invicem instituta similia esse significavit; quid est, si minus suis ipsi ingeniis unitatem Dei cognoscere potuerunt Graeci, quin eam potius a vicinis et notis

Thracibus, quam a dissitis et ignotis Judaeis, acceperint. Nam, ut est apud Herodotum IV, 94. Zamolxin Deum colebant diro quidem sacrificio; sed tamen animos post corporis mortem, ad illum abire arbitrabantur: praeterea non Jovem qui coelo tonaret fulguraretque, Deum esse credebant; sed Zamolxin, quem ipsi colerent, solum nec praeter eum quemquam Deum esse statuebant: *οὗτοι οἱ αὐτοὶ Θρήϊκες καὶ πρὸς βροντήν τε καὶ ἀστραπὴν τοξεύοντες ἄνω πρὸς τὸν οὐρανὸν, ἀπειλεῦσι τῷ θεῷ, οὐδένα ἄλλον θεὸν νομίζοντες εἶναι εἰ μὴ τὸν σφέτερον.*

Ceterum, de Pythagora verbum addamus. Graeci Scriptores, qui proderent, eum Judaeorum habuisse notitiam duo sunt: alter Hermippus is, de quo diximus: alter Porphyrius de vita Pythagorae cap. 16. *ἀφίκετο δὲ καὶ πρὸς τοὺς Αἰγυπτίους, φησὶν, ὁ Πυθαγόρας, καὶ πρὸς Ἄραβας, καὶ Χαλδαίους, καὶ Ἑβραίους, παρ' ὧν καὶ τὴν περὶ ὀνείρων γνῶσιν ἠκριβώσατο.* qui profecto locus minorem etiam habet auctoritatem. Nam Cyrillus contra Julian. X. p. 340. A. illa verba ex Porphyrio ita refert, ut *καὶ Ἑβραίους* omittat: quod contra fit a Patribus, quum Judaeorum laude Graecos vituperare possunt. Huc accedit, quod ipsum illud *φησὶν* ostendit, Porphyrium haec referre ex fabularum Scriptore Diogene, cujus libros *περὶ τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων* recenset Photius Biblioth. Cod. CLXVI. p. 184. seq.

Proximum Josephus laudat Theophrastum, qui Tyrios dixit habere jusjurandum *Corban* dictum; ut Tyrios loco Judaeorum nominaverit. Si verum

rum est, quod ait Josephus, solos Judaeos jusjurandum hoc habuisse, satis intelligitur, exiguam aut nullam Judaeorum rationem notionemve habuisse, ut eorum loco Tyrios nominaret. Neque tamen video, quid sit, quin eodem nomine Tyrii quoque jusjurandum habuerint. Sed hoc non magnopere miror. Illud magis mirabile accidit, quomodo factum sit, ut Josephus obscurum hunc Theophrasti locum protulerit, alium eumque disertum neglexerit; quem commemoravit Eusebius Praep. Evang. IX, 2. qui quidem Porphyrii orationem, quae est de Abstinent. II, 26. ita accepit, ac si ex Theophrasto sumta esset. Locus in Porphyrii libro corruptus est: *Καίτοι Σύρων μὲν Ἰουδαῖοι διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς θυσίαν, ἔτι καὶ νῦν, φησιν ὁ Θεόφραστος ζωοθυτοῦν εἰ τὸν αὐτὸν (τρόπον) ἡμᾶς κελεύοιεν θύειν ἀποστχιημεν ἂν τῆς πράξεως.* Neque vero sanior est lectio apud Eusebium. Quare si quis Theophrasti mentionem huc aliunde invectam dicat; nil dicere videatur quod quidem a veri similitudine abhorreat: praesertim quum omittatur a Josepho, qui omnia apud Scriptores vestigia Judaeorum sedulo quaesivit. Verum, fac, Judaeorum mentionem esse ab ipso Theophrasto: videtur profecto ita de iis loqui, ut qui neque eos accurate noverit, neque in exemplum imitationis proposuerit.

Tertius, qui a Josepho excitatur, est Herodotus II, 104. ubi de circumcisione agit: *Φοίνικες δὲ καὶ Σύροι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολο-*

γέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύροι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες οἱ τούτοισι ἀστυγείτονες ἐόντες ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι. His verbis suum ipse judicium addit Josephus: *τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσιν Ἰουδαῖοι.* Atque Palaestini Syri ab Herodoto dicuntur non Judaei, sed ii qui maritimam oram a Tyro inde usque ad Aegyptum tenebant: ut recte docet Wesselingius ad h. l. et III, 4: qui haec insuper addit: *Herodotum Judaeorum familiarem usum habuisse, expiscari non potui. Phoenices Syrosque Palaestinos non neglexit, eos innuens, qui loca regionis maritima habuerunt, quales Philistaei: at hos genitalia circumcidisse a veritate alienum videtur.* Sed, ut Judaeos ipsos Herodotus significaverit, adeo parum eos cognovisse videtur, ut et nomen ignoraverit eorum, et hoc unum eorum quod de circumcisione est, memoria dignum judicaverit.

Quarto loco excitatur Choerilus qui posuit in gentibus, quarum milites in Xerxis erant copiis, etiam cohortem quam ita describit:

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
Ὠικέετ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ.

Exin miranda specie gens castra secuta est,
Phoenicum ignoto quae voces ederet ore.
Haec Solymos habitans montes stagnum prope vastum.

At

At vero hic omnino a vera ratione aberrat Josephus, quum hoc de Judaeis et Lacu Asphaltide accipit: Solymi populi et montes in Lycia noti sunt apud Historicos et poetas: hi ultra oceanum ponebantur ab Homero, cujus rei caussas explicat Strabo I. p. 39. quem si quis comparet cum his versibus, minime profecto dubitet, Choerilum de Solymis Lyciis dixisse, eorumque situm ad exemplum Homeri significasse. Verum non est quod de hoc loco plura dicamus, post viros egregios, Scaligerum et Bochartum, qui ab Josephi editore in Nota laudantur.

Pergit Josephus ad alios Auctores, quibus efficiat, Judaeos apud alias gentes non tantum cognitos fuisse, sed quoque sapientiae laudem habuisse. Igitur excitatur Aristoteles. Magnus, profecto, auctor! Quo libro, quo loco? Nimirum a Clearcho inducitur in Dialogo, memorans de Judaeo quodam sapiente et de ejus gente ac patria. Enimvero et minime verisimile est hunc locum a Clearcho esse, ut docte ostendit vir egregius, Jo. Jonsius de Scriptoribus Hist. Phil. I, 18. et si vel maxime germanus esset, atque a Clearcho, temere quis hanc Judaeorum mentionem ipsi tribuat Aristoteli; quippe qui per Dialogorum morem inducitur ea dicens, quae Clearcho fingenti videntur, non quae ipse vere dixit. Hanc tamen Josephi auctoritatem Patres Ecclesiastici, ut solent, sequuntur, atque passim jactant, Judaeorum sapientiam ab ipso Aristotele celebratam esse. Sed

ex

ex recentioribus quoque multi fuerunt, qui temere ista uterentur auctoritate: qui quam acuti et diligentes fuerint in dijudicandis testimoniis Scriptorum, hoc uno documento intelligi potest, quod eadem opera Aristotelem Judaeum fecerunt. Nam, quod vix credibile videatur, homo doctus Marsilius Ficinus de Christ. Relig. cap. 26. haec verba protulit: *Clearchus, Peripateticus scribit Aristotelem fuisse Judaeum.* Turpissimi erroris caussa fuit negligentia, qua Latinam versionem Josephi male intellexit, et prava interpunctione corrupit; nam cum verba Graeca, *κἀκεῖνος τοίνυν τὸ μὲν γένος ἦν Ἰουδαῖος*, ita reddita essent, *Atque ille, inquit Aristoteles, Judaeus erat;* Ficinus ita legit, *Atque ille, inquit, Aristoteles Judaeus erat.* Videatur Jonsius l. c. p. 116. Palaestinae quidem, ut idem notat, et maris mortui mentio fit apud Aristotelem Meteorolog. II, 3. Judaeorum nusquam in reliquis ejus libris.

Ceteri, quos excitat Josephus, Scriptores, omnes post Alexandrum fuerunt; ut non sit, cur de iis multa dicamus. Plurimum tribuit Hecataeo, qui Judaeos haud exiguis ornarit laudibus. In Hieronymo haud mediocriter offenditur; qui, quum praetor fuisset Syriae et diutissime in illis regionibus versatus, ne verbum quidem de Judaeis dixerit: et erat idem cum doctus homo, tum scriptor successionum Alexandri; quae profecto erat ea historiae pars, in qua suus Judaeis debebat esse locus. Sequitur Scriptorum turba,

qui

qui Judaeorum οὐ παρέργως mentionem fecerunt; quorum quidem nomina duntaxat memorantur, loci non adferuntur, Theophilus, Mnaseas, Aristophanes, Euemerus, Hermogenes, Conon, Zopyrion: οὐ γὰρ ἔγωγε, inquit, πᾶσιν ἐντετύχηκα τοῖς βιβλίοις. quorum partim post Alexandrum fuisse constat, partim adeo sunt ignoti, ut vel nomina, nisi prodita essent a Josepho, obruisset oblivio. Atque ex his omnibus si quid laudis conciliare potuisset genti suae, credo, fecisset: quippe qui obscura dubiaque etiam testimonia cupide arripuit. Jam auctores rerum Phoeniciarum Dius, Menander, incertae sunt auctoritatis. Neque Manetho ea prodit, quae certo ad Judaeos referri possint. Denique, II, 16. quum ostendisset Moysem Graecorum sapientibus praestitisse, hoc etiam adjecit, *de Divina natura et Moysen et Graecorum sapientes eadem sensisse, neque tamen se affirmare, ab illo eam doctrinam ad Graecos venisse.* Mox Judaeorum de Natura Divina sententiam explicans, eam Orphica ratione ex illo Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, cet. adumbrat. conf. II, 22.

Itaque si Josephus, et homo doctus, et Judaeus, et hoc ipsum sedulo agens, ut genti suae antiquitatem famae et aliquam apud exteras nationes celebritatem vindicaret, efficere nil potuit, quid est quod Patres Ecclesiasticos, non indoctos quidem illos, sed tamen hoc in loco a Josephi auctoritate suspensos, moremur? Josephus si

cum

cum iis, qui post eum ejusdem caussae patrocinium susceperunt, conferatur, modestiae profecto laudem mereatur. Hic unum sibi sumserat hoc: Judaeorum nomen non ejus regionis finibus circumscriptum fuisse, sed extra eos ad alias gentes personuisse. Et si omnibus argumentis ac testimoniis, quae ad hanc obtinendam caussam excitata explicitaque sunt ab eo, sua constaret fides et auctoritas: nihilo tamen magis inde conficiatur, quod ne ipse quidem spectavit Josephus, cum nomine Judaeorum simul famam atque notitiam de Religione et Cultu eorum percrebruisse. Patres Ecclesiastici, quamquam novas rationes nullas adtulerunt, sed ab Josepho veluti pendent, confidenter affirmant, Graecos a Judaeis veras de Deo notiones accepisse. Jam recentiores etiam, nullis cognitis rationibus, eandem tuentur sententiam, ac si res ipsa loquatur. Ita cum ignorantia crescit judicandi temeritas. Hic est ille fons errorum, quibus multi, neque indocti, decipiuntur. Quod si enim diligentius in rerum antiquarum ratione studium ponerent, profecto de his aliisque multis rebus acutius veriusque judicarent. Nunc plerique antiquitatis unam attingunt partem, quae rebus Judaicis continetur; neque eam diligenter tractant, ut accurate de ea existimare possint; Graeca et externa negligunt. Igitur suo quisque modulo res antiquas metitur: et quo quis rudior est ab antiquitate, ita eam

Ju-

Judaicarum rerum circumscribit finibus, eosque latissime profert.

Ceterum quae de Judaica gente disputavimus, minime eo valent, ut eam in comtemtum adducamus, qui est mos quorundam nostra aetate scriptorum: sed ut intelligatur, notitiam ejus ante Alexandri tempora ad exteras nationes aut nullam aut levissimam pervenisse.

Redeamus unde digressi sumus. Philosophi qui post Plutarchum floruerunt, sive Platonici sive Eclectici, qui quidem hoc argumentum tractarent, locum de Unitate Dei vel demonstratione confirmare, vel verbis affirmare, haud neglexerunt. PLOTINUS Ennead. VI. L. V. multis rationibus ex Pythagoreorum disciplina petitis, efficere conatus est, eum unum esse; quod summi Boni natura in unitate posita esset. Quae rationes eo redeunt, ut Deo non tantum tribuatur Unitas Naturae, i. e. ut ipse non ex partibus constet, sed unitas etiam individui, i. e., ut praeter eum alius esse non possit; quod summitas in uno esse debeat: et quod rerum Universitas ad unam descriptionem facta, ab una gubernari natura summe intelligente debeat. PORPHYRIUM, quamquam non constat Unitatis Dei prodidisse demonstrationem, tamen frequenter eam oratione celebrasse, non est quod dubitemus: vid. Augustinus Civ. Dei XX, 25. et Cyrillus contr. Julian. III. p. 81. D. JAMBLICHUS de Myst. Aeg. VIII, 2. ex Aegyptiorum doctrina

Deum

Deum primum prodit: *πρὸ τῶν ὄντως ὄντων εἷς ἐστι θεὸς, πρῶτος καὶ τοῦ πρώτου θεοῦ καὶ βασιλέως, ἀκίνητος ἐν μονότητι τῆς ἑαυτοῦ μονότητος μένων.* ad quem locum consulendus est Th. Galeus. Porro SIMPLICIUS ad Epictetum cap. 1. Unitatis naturam eandem esse docet ac naturam Boni et Dei: cap. 38. contendit caussam efficientem primam et bonam esse debere et unam. PROCLUS Instit. Theol. IX. seq. *πάντα τὰ ὄντα πρόσισι ἀπὸ μιᾶς αἰτίας τῆς πρώτης·* quod ita demonstrare conatur, ut, cum probasset, *caussarum progressum in infinitum certissimam habere repugnantiam, inde continuo illud effici* velit, *caussam primam unam nec plures esse.* Aliis quoque locis de Unitate Dei disputat; sed ita, non ut demonstret, plures una primas caussas esse non posse, sed ut hoc tamquam concessum sumat, et naturae unitatem Deo vindicet, i. e. *in prima caussa nullam esse partium distinctionem.* vid. Theol. Platon. L. II. p. 110. III. p. 123. ubi dicitur *unitas unitatum*, et Instit. Theol. cap. LXII. et seq. Sic SALLUSTIUS in libello de Diis et Mundo cap. V. *τὴν πρώτην αἰτίαν μίαν εἶναι προσήκει· παντὸς γὰρ πλήθους ἡγεῖται μόνας, δυνάμει τε καὶ ἀγαθότητι πάντα νικᾷ.* Sic LONGINIANUS apud Augustinum Ep. 21. et 22. Sic DAMASCIUS et SYRIANUS, quos laudat Galeus ad Sallustium.

Sed Patres, ut sapientiores haberentur Philosophis, Dei unitatem necessariis etiam demonstratio-

sionibus confirmare voluerunt. ATHENAGORAS quidem ejusmodi attulit commentum, quod a nemine intelligi posset, neque dubitavit illud ita proferre, ac si ex Christiana doctrina petitum esset: Legat. VII. (p. 8. B. Ed. Colon.) Ὅτι τοίνυν εἷς ἐξ ἀρχῆς ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς ποιητὴς Θεὸς, οὑτωσὶ σκέψασθαι· ἵν' ἔχητε καὶ τὸν λογισμὸν ἡμῶν τῆς πίστεως. Nolim loquacem disputatiunculam totam referre; summam ejus exhibuisse, satis sit: *Si duo pluresve ab initio sint Dii; necesse sit, eos esse, vel eodem loco* (ἐν τῷ αὐτῷ), *vel peculiari quemlibet loco* (ἰδίᾳ). *In eodem loco esse non possunt. Non enim si sunt Dii, propterea sunt similes: sed quia creati sunt et increati, propterea sunt dissimiles; nam creatae res sunt similes exemplis ad quae factae sunt.* Jam primum quantum est fallaciae in hac una parte? Dilemmatis disjuncta, non sunt inter se contraria. Nam ἐν τῷ αὐτῷ duplici ponitur significatione *eodem loco* et *eadem natura.* Quale igitur acumen est Dialectici, qui ita syllogismum instituat, *si plures sint Dii; necesse sit, eos esse, vel eadem natura, vel diverso loco.* Hoc quamquam est capitale vitium, mittamus: videamus reliqua. Nam illud sibi velle videtur: *Deos debere similes inter se esse: sed hoc fieri non posse; propterea quod creati similes sint exemplis ad quae facti sint; increati dissimiles, quippe ad nullum exemplum facti.* Quale hoc rursus est acumen, tacite sumere, *Deorum partim esse increatos, partim creatos.* Dein-

de si sunt increati, neque ad exemplum facti, quae tandem propterea erit necessitas, ut dissimiles sint. Sed ut in hoc loco est Platonicum παράκουσμα, ita est Aristotelicum in sequente. Nam ad alterum dilemmatis disjunctum progreditur: *si vero*, inquit, *quilibet Deorum est peculiari loco; ubinam erunt reliqui? Nam hujus quidem mundi creator hunc mundum occupat, ut in eo nulli praeter eum Deo locus esse possit. Erunt igitur reliqui Dei extra hunc mundum. Hi suum quisque mundum habent vel non habent. Non habent; nam omnia complectitur hic Mundus, neque est quidquam praeter eum. Quare necesse sit; reliquos Deos esse in nihilo; quippe cum nihil sit in quo sint*, i. e. *cum nullum sit spatium in quo degant.* Ceterum ut suis scilicet numeris absoluta esset demonstratio, hoc etiam ei innectitur, *non ex partibus constare Deum, et idcirco unum esse.*

Melius in hoc loco versatus est TERTULLIANUS contr. Marcion. L. I. c. 5, cum eam rationem adtulit, *si plures ponantur Dii, quare certum quendam numerum ponamus, nullam fore caussam.* Sed aliud quoddam non satis acute ab eo dictum est: *Summum esse Deum, quia non haberet aequalem; igitur non esse duos vel plures summos, seu Deos.*

Longam etiam demonstranda hac sententia orationem consumsit LACTANTIUS Instit. I, 3. cujus major pars non est conjuncta cum nostra disputatione; quippe in eo est argumento, ut confu-

futentur opiniones plebis, quae Deos colebat eos, qui vulgo ferebantur. Altera pars huc redit: *si plures sint Dii, necesse esse, ut suos quisque fines transgredi non possit; aut si transgressus fuerit, suis alterum finibus pellat.* Atque hujus dilemmatis alterum disjunctum tollit, cum ostendere conatur, *si unicuique Deo suae in Mundo administrando essent partes, fore ut dissidia inter eos ac rixae oriantur. Igitur unum summum esse, qualem Graeci aliaeque gentes Jovem informassent.* Alterum vero disjunctum, *Deum suos quemque fines transgredi non posse*, intactum relinquit. Hoc cum sit magnum argumentationis vitium; aliud, neque levius illud, in principio commissum est. Nam in expositione, s. prima enunciatione dilemmatis, non omnia, quae in eam cadere possunt, disjuncta enumerantur. Possit enim fieri, ut nollet suos quisque Deus egredi fines, vel cum egressus sit, tamen aliorum imperia Deorum non turbaret.

Satis est, quod de Patribus diximus, speciminis caussa. Quare si quid ab aliis, vel a doctoribus Scholasticis, ad unitatem Dei demonstrandam allatum est, quod quidem dignum sit commemoratu, hoc suis quodque locis secunda hujus Disputationis parte complectemur. Nam hac quidem parte hoc unum nobis est propositum, ut cognoscamus, quantum in scientia unitatis Dei profecerint eae gentes, quae caruerunt Divina revelatione, et sola usi sunt naturali

sollertia ingenii. Atque cum exposuerimus de Graecis, qui omnium consensu plurimos in Philosophia progressus habuerunt, facile de reliquis gentibus inde poterit existimari: ut satis sit breviter et universe de iis monuisse.

Et Aegyptii quidem, qui tanta floruerunt sapientiae laude, ut vulgo perhibeatur artium disciplinarumque ratio ab iis et inventa et cum aliis gentibus communicata esse, tamen cum in universa Philosophia, tum in ea ejus parte, quae est de Divina Natura, ne comparandi quidem sunt cum Graecis. Difficile est de rebus Aegyptiacis judicare, quamquam multi sint nostra aetate, qui judicent. Sed concedamus illud, quod est apud Plutarchum de Is. et Os. p 359. D. et Porphyrium ap. Euseb. P. E. III, 11. *Cneph* apud Aegyptios fuisse Deum non creatum, effectoremque hujus Universi: non est enim quod horum Scriptorum auctoritatem repudiemus. Concedamus etiam ea quae hanc in rem disputantur a Jablonskio, viro eruditissimo, Panthei Aeg. L. I. cap. 2. et 4. quamquam credibilius videtur, hanc ipsam de uno creatore Deo sententiam a Graecis ad Aegyptios fluxisse, quam ab Aegyptiis ad Graecos. Sed ut haec concedamus, nullo tamen modo cum Graecorum copia et ratione in hac quidem doctrina conferri possunt Aegyptii.

De Aethiopibus exstat locus Strabonis Geogr. L. XVII. p. 1177. *Θεὸν δὲ νομίζουσι τὸν μὲν ἀθάνατον τοῦτον δ' εἶναι αἴτιον τῶν πάντων· τὸν δὲ θνητὸν*

τὸν ἀνώνυμόν τινα, καὶ οὐ σαφῆ· ὡς δὲ ἐπὶ τὸ πολὺ τοὺς εὐεργέτας καὶ βασιλικοὺς θεοὺς νομίζουσι, καὶ τούτων τοὺς μὲν βασιλέας κοινοὺς ἁπάντων μὲν σωτῆρας καὶ φύλακας, τοὺς δ' ἰδιώτας ἰδίως τοῖς εὖ παθοῦσιν. *Deum putant alterum qui omnium rerum caussa sit, immortalem: alterum mortalem qui nomine careat, et non sit cognitu facilis: plerumque autem eos a quibus beneficium acceperunt et regios pro Diis habent: reges suos communes omnium custodes et servatores esse, ceteros vero privatim eorum, quibus bene fecerunt.*

Thracum religionem supra memoravimus, qui praeter suum Zamolxin nullum alium Deum esse arbitrabantur. vid. Herodotum IV, 94. Ceterum ne de singulis gentibus disserendo longior sim, quam res ipsa et patitur et postulat, universe tantum notemus, apud plerasque fere gentes eam valuisse sententiam, Deum creatorem ac supremum non esse nisi unicum. De Arabibus antiquis videatur Saleus in praefatione ad versionem Corani, quae prodiit Londini A. 1734. De Phoenicibus est Disputatio in Commentariis Acad. Inscript. T. XXXVI. De Persis peculiariter prodidit Th. Hydeus, et hujus aetatis Gallus Anquetil du Perron in iisdem Commentariis T. XXXVII. Hac quoque in sententia convenisse constat et Indos et Sinenses aliosque Asiae, et Americae adeo populos; ut quacumque tandem ratione Deum informent, tamen quem summum et creatorem perhibent, eum unicum esse velint. Quam in sententiam vel unum

satis est laudasse Cudworthum Syst. Int. Cap. IV. §. 27. Et eruditissimus Scriptor Max. Tyrius Diss. XVII. §. 5. eam communem notionem humani generis facit: *In hac tanta*, inquit, *pugna, contentione, atque opinionum varietate in eo leges ubique terrarum atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, regem omnium et patrem: huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sint et quasi in imperio collegae. In eo Graecus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto, ut si usque ad extrema oceani littora processeris, hic quoque Deos inventurus sis* cet. Atque hac in parte non dicam Philosophi, sed ne vulgus quidem omne ita popularem superstitionem secutum est, ut plures uno Deos esse putaret: quod intelligitur ex Sexto Empirico Pyrrhon. Hypotyp. L. III. c. 24. ὅθεν καὶ τῶν κατὰ τὸν βίον οἱ μὲν ἕνα φασὶν εἶναι θεὸν, οἱ δὲ πολλοὺς καὶ διαφόρους ταῖς μορφαῖς.

Denique non praetermittendum est: eos etiam quibus placuit, duo esse rerum principia, alterum bonum, malum alterum, non tamen idcirco duos statuisse Deos. Nam bonum duntaxat Dei instar esse voluerunt, malum non item. Et redit eorum sententia fere ad Platonis aliorumque rationem, ut principium agens sit Deus, patiens contra, materia: boni fontem esse in Deo, mali semina in materia. Qui vero bona principia duo, id est, Deos summos eosque aequali virtute perfe-

fectioneque induceret, quod quidem sciam, nemo sanior fuit.

Satis diximus de veteribus et profanis, videamus an recentiores et Christiani melius certiusque attulerint ejus sententiae argumentum. In quo quidem inveniendo hujus et superioris seculi Philosophi certatim operam posuisse videntur: inventi gloriam an vere sibi vindicare queant, postea apparebit.

PARS II.

Jam videamus de rationibus, quibus efficiatur non plures esse uno Deo: quae quidem rationes et ducuntur et ducendae sunt ex attributis Divinis; ita ut quaeratur, an sit ea vis horum attributorum, ut in plura uno subjecta cadere nequeant. Atqui vis attributorum Divinorum varie informatur, pro varietate caussae ex qua intelligitur, eum esse. Nam antea, quam quaeri potest *qualis sit Deus*, constare debet *eum esse:* et ex eadem caussa qua intelligitur *eum esse*, etiam intelligendum est *qualis sit*. Et primum omnium illud est tenendum, duas esse vias, quibus ad rerum scientiam perveniatur, alteram Analyticam, alteram Syntheticam; recteque, repudiatis aliis rationibus, quae vel ab idea, ut vocant, innata, vel aliunde repetuntur; his igitur repudiatis, philosophi duas illas ad Divinae naturae cognitionem vias ingressi sunt. Sed in Analytica via in erro-

res se induerunt inexplicabiles, ex quibus ipsi quidem se expedivisse sibi visi sunt, alios expedire non potuerunt: in Synthetica certum repererunt exitum. Nam Analyticae haec est ratio, ut idea Dei in suas partes distribuatur, atque in his ipsis partibus existentia quoque esse, ostendatur: seu ex eo quod Deus *esse potest*, efficiendum, eum *revera esse*. In Syntheticae principio jam de ipsarum partium veritate constat, neque superest quidquam, nisi ut eae in unum subjectum conferantur. Porro in Analytica ita ratio instituitur, ut res ex se ipsa intelligatur; in Synthetica contra, ut ex ejus effectibus cognoscatur. Non est quod plura de utriusque viae diversitate, in demonstranda existentia Dei, dicamus. Hoc unum volumus, etiam in attributis Divinis informandis non unam esse utriusque viae vim: veluti, ut hoc utamur, *Intelligentia Divina* per viam Analyticam tanta constituitur, ut major per se repugnet, neque cogitari possit: per Syntheticam contra tanta, quanta valere Deum necesse est, si quidem hujus universi auctor sit. Itaque ostendemus, nullum ex attributis Divinis, sive informentur Analytice sive Synthetice, tantam habere vim, ut inde Mathematica quidem necessitate atque evidentia efficiatur, non posse plures uno esse Deo. Ceterum ipsa Divina Attributa vel propria sunt et peculiaria Divinae naturae, eaque redeunt ad *Necessariam existentiam* et *Infinitatem*: vel communia ei sunt cum aliis rebus, veluti *Possibili-*

li-

ditas, et ea quae recentiores Metaphysici duxerunt ex *Principiis*, quae *Rationis sufficientis* et *Indiscernibilium* nomine appellata sunt.

SECT. I.

De argumentis, quae ducuntur ex Necessaria existentia.

Primum igitur prodeat *necessaria existentia*; si forte ejusmodi sit, ut in uno tantum individuo inesse possit. Quid igitur est *necessarium?* Nimirum illud, *cujus contrarium repugnat*. Et est ipsa *necessitas* duplex: *interna*, cujus contrarium per suam naturam esse nequit: *externa*, cujus contrarium per alias res esse nequit. *Necessaria* proinde *existentia Dei* est, qua repugnat Deum non existere: atque haec, quantum ex Analytica via intelligi volunt, *interna* est; quippe ipsi possibilitati et ideae, etiam si sola spectetur, repugnare dicunt absentiam existentiae: quantum ex Synthetica via intelligitur, *externa* est; quippe propter res, quae sunt, necesse est caussam earum esse primam atque aeternam. Sed fac Deum habere *internam* existentiae necessitatem! Non magis inde, quam ab *externa* necessitate, argumentum pro unitate certum duci possit. Videamus argumenta, quae Metaphysicorum excogitavit sollertia.

S. CLARKIUS de exist. et attrib. Dei. T. I. cap. 8. duobus modis hoc efficere conatus est.

„ I. *Necessitas absoluta*, inquit, *est simplex et „ uniusmodi* (*uniforme*), *neque est in illa dif„ ferentia existentiae neque diversitas.*" Hoc primum quamquam alteram tantum partem argumenti continet, tamen per se jam efficiendi vim habere arbitratus est. Quid igitur est hoc: *Necessitatem absolutam esse simplicem et uniusmodi?* Nimirum, eam non mutari ita, ut *non sit absoluta amplius:* aut *quomodocunque cogitetur, semper eam esse debere absolutam.* Atqui hoc de omnibus rebus dici potest; et inde est, quod dicitur, *rerum ideas esse necessarias, aeternas, immutabiles;* Igitur in unoquoque genere tantum unica res, seu uniuscujusque generis unum duntaxat individuum esse poterit? Et in simillimum errorem incidit WOLFIUS Theol. Nat. P. II. §. 405. Not. *Nimirum*, inquit, *non nisi unica est essentia divina, nec nisi unica existentia, nempe necessaria.* In his verbis est magna ambiguitas: quasi inde quod essentia Dei unica sit, *necessario unus duntaxat Deus necessarius esse possit.* Verum Wolfius hoc unum effecit et efficere voluit, *non necesse esse plures, praeter unum, statuere Deos.* Sed redeamus ad Clarkium, qui haec continuo adjungit:

II. *Si vero plura sint Entia necessaria, possit cogitari unum vel alterum ex iis non esse: de quibus vero hoc cogitari possit, illud non esset necessarium: igitur simul essent necessaria et non necessaria, quod cum fieri nequeat, consequitur, uni-*

unicum duntaxat esse Ens necessarium. Si nobis compertum esset, plura esse Entia necessaria, quomodo possimus fingere unum vel alterum non esse? nisi forte ita, ut fingere possumus, omnino nullum esse, quod per se repugnat. Hoc primum est vitium in Clarkii conclusione. Nunc nobis non compertum est, pluresne an unus sit Deus: minus uno esse nequit, quia necessario requirimus caussam aliquam hujus universi: et si omnes alios Deos cogitatione tollamus, unum semper, quicunque ille sit, retinemus, neque ejus existentiam ex animo evelli nobis patimur; igitur minime de omnibus simul cogitare possumus, eos non esse necessario, sed de singulis tantum. Fac v. c. egregiam nos videre statuam: continuo intelligemus necesse esse, eam ab egregio statuario factam esse: fac vero etiam tres duntaxat esse statuarios egregios, Phidiam, Lysippum, et Myronem; necessario trifariam statuendum tibi erit, eam ab uno ex tribus factam esse, seu, ut in Clarkii similitudine maneamus, neganter trifariam statuemus: primo eam neque a Lysippo, neque a Myrone factam esse: secundo, neque a Phidia, neque a Lysippo; tertio, neque a Myrone, neque a Phidia. Ita quidem disjuncte negare licebit de duobus, minime vero conjuncte de omnibus. Hoc erat alterum vitium rationis Clarkianae. Jam vero quod ultimo loco addit Clarkius: „*ut multiplicentur quantumvis* „*Entia necessaria, non potest esse nisi unicum*

„ *in-*

„ *infinitum et quod sua ipsum vi sit. Si aliud*
„ *praeter hoc sit, erit et diversum ab eo et indivi-*
„ *dualiter unum*"; hoc igitur ex principio Indiscernibilium ductum est, et melius, aut certe minus male, explicitum a Leibnitianis: quod infra peculiariter ostendemus.

SCHUBERTUS ejusmodi argumentum protulit, quod, exemplo esse possit, quantum repugnantiae admitti possit ab hominibus etiam minime hebetis ingenii, si demonstrandi studio nimium indulgeant. Ita enim argumentatur Instit. Metaph. §. 927. Schol. I. „ *Nullus Deorum, si*
„ *plures crederentur, id necessario haberet, quod*
„ *habet. Cum enim plures illi Dei absolute simi-*
„ *les et aequales esse deberent, unus proprietates*
„ *alterius peraeque habere posset ac habet suas.*
„ *Fac e. c. duos esse Deos A. et B., erunt quo-*
„ *que duae omnipotentiae X. et Y. Jam Deus*
„ *A. cui competit omnipotentia X., aeque habe-*
„ *re posset omnipotentiam Y. ac habet omnipoten-*
„ *tiam X. Si hoc, Deus A. omnipotentiam X.,*
„ *quam habet, non haberet necessario* (§. 103).
„ *Et sic etiam de reliquis proprietatibus argu-*
„ *mentari liceret. Itaque hoc ipso tollitur ab-*
„ *soluta Dei necessitas, quam supra* §. 904. *ad-*
„ *struimus.*" Non est quod paragraphos etiam exhibeam, quae ab eo citantur; ita enim ab uno ad alterum ablegarer, ut haud exiguam partem ejus compendii referre necesse esset: suas habet haec argumentatio easque capitales labes. Etenim

si

si plures Dii similes et aequales ponantur, quilibet necessario suas virtutes habebit: quare? quia falsum est quod Schuberto placet, *alterum Deum peraeque virtutes alterius Dei habiturum esse, seu habere posse.* Nam per Principium repugnantiae, quaelibet res est illa ipsa res quae est; atque huic legi subjectae sunt non tantum res non necessariae, quibus *existentia contingens* tribuitur, sed Natura necessaria s. Deus. Igitur, ut v. c. Cajus sua habet attributa, et item Lucius, quamquam haec attributa similia et aequalia sunt, neque alterius ab altero divelli possunt attributa, et in alterum conferri, non magis quam Cajus esse potest Lucius, et Lucius contra Cajus: ita eandem habet repugnantiam, ponere *Deum A. peraeque virtutes Dei B. habere posse, quam habet suas.*

Alia est ratio KANTII, viri acuti et elegantis, nec illa tamen certa, quam prodidit Libro Germanice scripto, Der einzig mögliche Beweisgrund zu einer Demonstration des Daseyns Gottes. p. 30. Haec eo redit: *Deus* (s. *Ens necessarium*) *continet ultimam caussam possibilitatis omnium aliarum rerum; igitur aliae res omnes in tantum sunt possibiles, in quantum ab eo Ente necessario, tanquam a caussa, proficiscuntur. Igitur non plures possunt esse Dii, s. plura Entia necessaria.* Primum in notione Possibilitatis informanda hoc nomine reprehendi potest Kantius, quod eas res tantum ad possibilitatem refert, quae ad existen-

tiam

tiam pervenire possunt, quae est *externa possibilitas*, non illas etiam, quae sibi ipsae non repugnant, quae est *interna possibilitas*. Sed hoc ei concedamus: aliud est vitium. Nam ita Kantio dicendum fuisset: *Ens necessarium continet ultimam caussam possibilitatis omnium rerum, quae non sunt necessariae:* hoc conceditur, quia efficitur ex definitione Entis necessarii; alterum non item. Nam ponamus plura esse Entia necessaria, in his ultimam caussam possibilitatis habebunt res non necessariae: tantum efficitur ex definitione Entis necessarii, non plus: igitur Kantio demonstrandum fuisset, *res non necessarias non posse caussam possibilitatis suae habere in pluribus Entibus necessariis.* Itaque manifestum est vitium, quod vulgo a *petitione principii* appellatur. Cum enim debeat esse caussa necessaria rerum possibilitatis externae s. existentiae, tacite et clanculum ponit, eam caussam in unico subjecto inesse. Igitur eodem laborat vitio illud quod subjungitur: „ *Fac*, inquit, „ *duo esse Entia necessaria A. et B.; efficitur* „ *per definitionem, B. propterea esse posse, quia* „ *caussam suam positam habet in A. Igitur B.* „ *per hypothesin erit necessarium, et per de-* „ *finitionem non necessarium; unde efficitur duo* „ *vel plura Entia necessaria esse non posse.*" Quid igitur efficitur hac argumentatione? Nimirum Definitionem et Hypothesin sibi invicem repugnare. Si Definitio vera sit, falsa erit Hypothe-

thesis, scil. *Duos esse Deos:* si vero falsa sit definitio, nil impediet veram esse Hypothesin. Jam vero definitionem Entis necessarii modo monuimus hoc nomine esse reprehendendam, quod ex petitione principii ducta sit, eique ea vis a Kantio tacite adjungatur, quasi tantum in unicum subjectum cadere possit. Nam, ut concedamus, Ens necessarium esse illud quod caussam possibilitatis reliquarum rerum non necessariarum contineat; tamen illa ipsa caussa utrum in pluribus individuis (s. subjectis, substantiis) ponenda sit, an in unico, per definitionem minime conficitur.

Vidimus igitur, Clarkium atque Kantium in *externa* versatos esse *necessitate*, Schubertum in *interna*; neutrum tamen eorum evicisse, illam vel hanc necessitatem in unum duntaxat subjectum cadere. Ceterum duo haec necessitatis genera mirifice confundunt philosophi: inter quos, ut alios omittamus, egregii etiam sunt viri: veluti Reimarus in libro Germanice scripto, die vornehmsten Wahrheiten der natürlichen Religion. Sect. IV. §. 2. „ *Unitas Dei*, inquit, *ostendi etiam potest ex ejus necessitate. Unum enim est necessarium; quippe necesse est ut sit Ens quod ipsum sui caussam contineat. Jam vero, simulatque ab unitate discesseris, nulla est caussa, quare duo, tria, vel quatuor, centum aut mille sint.*" Lulofsius Theor. Theol. Nat. §. LX. *secundus*, inquit, *tertius, cet. Deus foret superfluus, adeoque non ne-*

necessario existens. Nititur vero haec argumentatio ambiguitate vocis *necessarius*, atque adeo syllogismo quatuor terminorum: *Quodcunque non est necessarium, non est Deus; Dii omnes, excepto uno, non sunt necessarii. E. Unus tantum est Deus.* Jam manifesta est fallacia: in propositione necessarius dicitur interne, *is qui a se ipso est:* in assumtione, externe, nimirum *caussa rerum existentium.* Neque hoc vitium effugit Crusii acumen, in libro, cui nomen dedit Entwurff Nothwendiger Wahrheiten. §. 245.

SECT. II.

De argumentis quae ducuntur ex Possibilitate.

Huc pertinet Wolfii conclusio Theol. Nat. P. I. §. 1107. Quam ille multis verbis exposuit, eam nos breviter complectamur, cum nostra voluntate, tum finium, quibus inclusi sumus, necessitate. Sed ejus conclusionis vis huc redit: *Unus duntaxat possibilis est Deus. E. Unus duntaxat Deus existit.* Non est quod conclusionem in dubium vocemus. Sed propositio quomodo demonstrabitur? Ita sodes! „ *Si plures sint Dii,* „ *necesse est eos inter se aequales et similes esse.*" Audio, et quamquam ductum sit ex principio Indiscernibilium, (de quo nunc quidem nondum nobis constat, sed infra exponetur) tamen non repugno. Sed quid inde efficies? Accipe reliqua:

Quae

Quae res sunt similes et aequales, illis omnibus una eademque respondet idea; igitur si spectentur in statu possibilitatis, non sunt, nisi unica res. Jam vero hinc consequitur, unicam Dei esse possibilitatem. Cumque in Deo possibilitas caussa sit ejus existentiae; clarum profecto est, unam duntaxat esse existentiam Dei, s. unum existere Deum. Primum, est error in his verbis frequens ille per totam scholam Wolfianam, ut rei *idea* et *possibilitas* confundantur: cum tamen Possibilitas nil aliud sit quam absentia repugnantiae, s. consensus attributorum, quo efficitur, ut haec attributa in unum subjectum cadere possint: ideam vero ipsam dicimus, quatenus eam cogitatione tenemus: igitur idea rei efficitur quidem partim ejus possibilitate, sed ita ut accedere debeat certa quaedam et natura et conjunctio horum attributorum: et res quaelibet suam ipsa sibi propriam habet ideam, possibilitatem vero communem cum omnibus aliis. Sed hoc non impedit, quo minus concedam, *Dei possibilitatem esse unicam*, et, si volunt, *existentiam Dei esse unicam.* An vero inde efficietur, *non plures esse uno Deos?* Minime id quidem. Nam in Ontologicis tribuitur unitas omnibus Entibus. Igitur possibilitas omnium rerum est una, quatenus est absentia repugnantiae; neque tamen unica tantum res est possibilis: hoc de existentia, hoc de aliis ideis universalibus valet, quas detrahimus de rebus, in quibus insunt, et in peculiarem formam colligi-

 mus.

mus. Atqui in omni genere magna est individuorum copia, quae tamen omnia una idea generis comprehenduntur. Quare saepius miratus sum, Metaphysicos eos, qui utuntur in demonstranda existentia Dei argumento Analytico s. Cartesiano, unitatem Dei non continuo ex possibilitate ipsa coegisse; quod fere raro conati sunt. Postea cognovi hanc esse caussam, quod in Analytico argumento minus est praesidii ad demonstrandam unitatem, quam in Synthetico. Imo contra, janua polytheismo aperitur per argumentum Analyticum: quippe si ex ipsa informatione ideae Dei continuo ejus existentia consequitur, infinitus erit Deorum numerus; quippe nil impedit, quominus eam millies informem.

Sed ecce nostra aetate TÖLLNERUS, vir egregius, demonstrandae ex possibilitate Dei ejus unitatis novam protulit rationem, eamque, repudiatis omnibus reliquis, solam mathematicae necessitatis numeros habere contendit. Exstat illa in utilissimo ejus auctoris libro, qui inscriptus est Kurze Vermischte Aufsätze (Erste Sammlung. Dritte Abhandlung. p. 30.), eaque peculiari disputatione copiose explicita. Nos ejus summam breviter accurateque exhibebimus: „ I. *Deus habet summam internam possibilitatem: quippe in Deo* „ *sunt omnes realitates (ita vocant attributa a-* „ *jentia), eaeque summo gradu: possibilitas est* „ *realitas; igitur in Deo summa est possibilitas:* „ *atque haec quidem est interna possibilitas.* II.

„ *Hinc*

„ *Hinc continuo efficitur, in Deo esse summam*
„ *possibilitatem externam. Res externe possibi-*
„ *lis dicitur ea, quae extra se multas, s. quan-*
„ *tum satis est, habet caussas vel effectus: ac*
„ *quo plures extra se habet caussas vel effectus,*
„ *eo major est ejus externa possibilitas; jam ve-*
„ *ro Deus caussas sui extra se habere nequit; igi-*
„ *tur relinquitur, cum extra se plurimos effectus*
„ *habere: et hanc ejus externam possibilitatem*
„ *vocamus summam Independentiam;* III. *Qua-*
„ *re, si sit alia res, quae a Deo non pendeat,*
„ *Deus non habebit summam Independentiam.*
„ *Habet vero summam Independentiam. E. Nul-*
„ *la est res extra eum quin ab eo pendeat: seu,*
„ *quod idem est, non alius Deus praeter unum.*"
Est profecto in Töllneri scriptis ingenuus animi candor, studium veritatis mirificum, acumen haud vulgare. Sed in hac quidem disputatione non est dubium, quin ipsum veri studium offecerit acumini. Nam cupiditate inveniendi novi argumenti a veri via abductus, sibi aliisque persuadere conatus est, se eo pervenisse, quo contenderat. Sed videamus deinceps errores. I. Non repugno, quin Deus interne sit possibilis: quare vero summam habeat internam possibilitatem? *Nimirum*, inquit, *quia gradus sunt internae possibilitatis, et quia Deus ejus summum gradum tenere debet.* Concedo, si sint gradus, Deum tenere summum gradum: sed nego, esse gradus possibilitatis internae. *Sed*, inquit, *interna possibilitas posita*

est in eo, ut sint in eodem subjecto plura attributa, sine repugnantia: hactenus consentio: non item in eo quod addit: *quo igitur plura, quoque majora in uno subjecto sunt attributa, eo major est ejus interna possibilitas;* hoc quippe, omnium consensu, non jam *possibilitas;* sed *perfectio* vocatur. Possibilitas quidem interna, ea quae est posita in absentia repugnantiae, omnibus rebus possibilibus aequali tribuitur modo; neque major est possibilitas in Deo, quam in triangulo, v. c., aut in quavis alia re. Sed nimirum hic error fluxit ex Schola Wolfiana, qua possibilitas ipsa confunditur cum attributis, quae in uno subjecto junguntur, s cum re ipsa. Inde fit, ut possibilitatem temere informent, tamquam peculiare quoddam attributum rei; cum profecto sit omnibus attributis rei communis, et idea abstracta, quae tum cernitur, cum attributa tamquam inter se consentientia spectantur. Simillimo errore turbatum est in argumento existentiae Dei Cartesiano, cum Existentia tamquam peculiare attributum ideae acciperetur: quae profecto minime pertinet ad ipsam ideam rei, sed tum ad eam accedit, cum res non jam sola cogitatione informatur, sed extra cogitationem subsistit. II. Jam in altera parte argumenti non levior est error. Possibilitas externa, omnium consensu tum tribuitur rei, cum non solum abest omnis ab ejus idea repugnantia, sed cum jam caussae sint, per quas res extra cogitationem esse possit. In hac sunt

sunt gradus: quorum quidem summum Deus obtinet; quippe qui caussam, quare existat, in se, nec in alia re positam habet. Quod autem Deus rerum extra eum sit caussa, atque plurimos extra se effectus habeat, hoc quidem minime pertinet ad possibilitatem, sed ad *summam potentiam:* neque etiam ad independentiam, qua, si accurate loqui volumus, hoc unum spectatur, ut Deus a nulla alia re pendeat, non ut omnes aliae res ab ipso pendeant. Igitur jam tota disputatio a possibilitate ad independentiam et summam potentiam traducta est; de quibus infra suo loco exponemus. Ceterum eodem argumento jam ante Töllnerum usus erat Alex. Gottl. Baumgartenus Metaph. §. 82.

SECT. III.

De argumentis quae ducuntur ex Infinitate.

Longe plurimas rationes, quare non nisi unicus esse possit Deus, in ejus Infinitate reperisse sibi visi sunt Metaphysici. Supra monuimus, Infinitatis Divinae vim esse aliam, si ex Analytico repetatur argumento, aliam, si ex Synthetico. Nam quum Synthetice informemus tamquam effectorem hujus Universi, efficiendi vim atque intelligentiam tantam ei tribuamus necesse est, quanta oportet eum valere, ut hoc Universum effecerit. Quae vis intelligentiaque profecto tanta est,

 quan-

quanta nullius hominis ingenium cogitando assequi possit. Quare autem ei absolutam infinitatem tribuamus, ex eodem Synthetico argumento mathematica quidem necessitas repeti nulla potest; neque etiam contra, quare ei negemus, probabilis caussa reperitur.

At argumento Analytico absolutam Infinitatem Dei esse, mathematica necessitate efficere volunt: quin adeo ipsa Infinitas est principium, ex quo Deum esse probent. Recte, nec ne, nil ad rem praesentem. Concedamus Infinitatem absolutam: videamus, si qua sit necessitas, quae inde unitatem cogat. Sed primum omnium est quaerendum, quid sit *Infinitas.* Atque in hujus quidem natura ac vi constituenda turbatur non tantum ab imperitis, sed ab iis etiam, qui se philosophos dici haberique volunt: quorum plerique in *absentia finium* eam ponunt. Non reprehendo hactenus, si modo intelligant quid sit *finis.* Hunc vero dicunt esse *defectum ulterioris realitatis:* jam ergo Dei Infinitatem, quae sit *complexus omnium realitatum in summo gradu*, omnem finem a se repudiare. Consentio, nullum esse defectum in Deo: nullum esse finem, nondum video. Quid enim tandem est *finis?* Nimirum in ejus notione mire fluctuant homines, cum nesciant, utrum sit ajens an negans: quod acute ostendit Lockius Ess. L. II. c. 17. Hoc certe quod multi vocant finem, nihili est: qui ideam Dei remotione finium eousque extendunt, ut constare sibi ipsa nequeat. Etenim, per

per Repugnantiae principium, omnis res habet ea quae habet. Igitur et Deus, quamvis sit maximus, ipse quoque ea habet quae habet: haec summa ejus attributorum est absolutio et perfectio, qua ejus idea expleatur. Quare tantum abest, ut haec summa, sive absolutio, sive finis; non enim repugno, quo quis nomine eam insignire velit: tantum igitur abest, ut haec sit negatio, vel defectus, ut potius sit attributum ajens, seu, ut vulgo loquuntur, *realitas*; quippe, sine illa, nulla res sit illud, quod est. Praeterea cum Deus, si quidem vere sit atque existat, Individuum s. res singularis sit; Individua vero sint omni modo determinata, ut quidem Dialectici loquuntur; consentaneum est, hos, quos diximus, fines ac terminos a Dei natura abesse non posse. Atque hic error est in notione *finis:* alius est in notione *Infinitatis*, qui et ipse ex antecedenti fluxit. Nam etiam ii, qui melius ceteris informant *Infinitatem*, eamque ponunt in *gradu summo perfectionum omnium*, saepius non animadvertunt, Deo singulas perfectiones non tribuendas esse summo per se gradu, sed eo gradu, qui locum habere possit in universarum perfectionum summa et complexu. Quippe ita se res habet, ut, si quae virtus cogitationis errore augeatur eousque, ut cum reliquis virtutibus non ei amplius conveniat, ea non virtus, sed vitium, non perfectio, sed defectus sit. Veluti si Dei summam potentiam tam late aperias, ut Deus etiam se ipse vita privare possit, vel

aliud facere possit quam quod optimum ei videatur: quae omnia manifestissimis profecto tenentur repugnantiis, et semel admissa, ubi consistant, non reperiunt. Quare hoc teneamus, Dei *absolutam infinitatem* in eo positam esse, ut habeat omnes virtutes, omniaque bona, quae simul in Divinam naturam cadere possint, et quidem eo gradu, qui possit esse maximus, quousque nec ipse sibi vel ceteris virtutibus repugnet.

§. I.

De argumento quod petitur ex Infinitate Spatii.

Explodatur igitur tamquam temeraria, ne quid gravius dicamus, eorum opinio, qui Deum spatio infinitum esse volunt. Quorum ex numero cum alii sunt, tum *C. G. Müllerus* System. Metaphys. Jenae 1750. §. 995. not. 2. ,, *Duo* ,, *illa Entia infinita*, inquit, *extra se existant* ,, *oportet. Ubi ergo unum existit, ibi alterum* ,, *non existit; propter impenetrabilitatem virium* ,, *in genere: vel unum alterum annihilare debe*-,, *ret, quod iterum ob infinitam repugnaret cu*-,, *juslibet reactionem. Locus igitur assignandus* ,, *erit cuilibet proprius; et per consequens, utrum*-,, *que est finitum.*" Idem argumentum, tamquam re ipsa diversum, verbis aliis continuo repetit: ,, *Duo*, inquit, *existunt Entia infinita; exi*-,, *stunt itaque extra se; constituunt ergo spa*-,, *tium reale; atque ad illud quodlibet eorum per*-,, *tinet, quod contradicit.*" Et Müllerum quidem

dem in pluribus variisque rationibus etiam hanc protulisse, minus est mirandum: sed Crusium etiam secutum esse eandem rationem, idque eo loco, quo aliorum pro unitate Dei argumentorum vitia subtiliter explicuit, id vero vehementer miror. CRUSIUS igitur, in libro, quem supra laudavimus, Entwurff der Nothwendigen Wahrheiten. §. 244. hoc modo argumentatur: „ *Substantia* „ *absolute necessaria est infinita. Quare si plu-* „ *res sint Dii, erunt vel in eodem spatio, vel* „ *in diverso. Si sint in diverso, nullus eorum* „ *haberet infinitatem existentiae. Cumque in* „ *substantia existente infinita omnia genera in-* „ *finitatis inesse debeant; nullus eorum foret in-* „ *finitus, neque proinde necessarius. Eos vero* „ *in eodem esse spatio intelligi nequit: sed quod* „ *intelligi nequit, donec demonstretur, repudian-* „ *dum est. Igitur non est consentaneum ratio-* „ *ni, plures uno statuere Deos.*" Non requiro jam, quomodo ex necessaria existentia infinitas continuo efficiatur: in quo profecto longa disputatio potest consumi. Concedamus hoc: quaeramus de spatio. Atqui illud ipsum primo loco erat demonstrandum, *Deum spatium implere*, s. *occupare*, s. *in spatio esse*. Sed hoc quoque remittamus, ut liberaliter agamus. Aliud est, quod remittere non possumus, et de quo constare debet, utrum illud *spatium implere* ejusmodi sit res (*realitas*), quae Deo tribuenda sit. Nam in Dei constituenda infinitate, omnia vera bona (*verae realitates*) summo, quoad ejus fieri po-

 test;

test, gradu comprehendendae sunt. Atqui, ut supra vidimus, errasse multos hac in parte, ut *Existentiam* et *Possibilitatem* pro peculiaribus bonis (s. *realitatibus*) habuerint, ita quoque in Spatio erratum est; quippe *Locus et Spatium* sunt consectaria Existentiae. Hinc manavit error. Nam cum omnis res existens certo sit loco, suumque sibi spatium habeat: cumque omnis res sit illa ipsa res quae est, eique propterea *identitas* tribuatur a Metaphysicis; factum est, ut *Spatium* cum *Identitate* confunderetur, et pro idea ajente acciperetur. Ne simus longi. Spatii negans est idea; negando eam acquirimus; quippe intelligitur per absentiam corporis. Si proinde Deus non est corporeae naturae, quomodo ei spatium tribuamus? aut quomodo explicemus rationem, *qua locum certum obtinet?* Cumque hoc mentis nostrae aciem fugiat: quomodo ex re minime percepta atque obscurissima alias res incognitas demonstremus? Sed istorum argumentum suo vitio corruit. Etenim spatium est vel aliquid, vel nihil. Si est aliquid; Deus non omne spatium implet; quippe rerum corporearum suum quaelibet spatium occupat, quod propter earum, ut vocant, *impenetrabilitatem* ab alia nulla res, neque ab ipso Deo impleri potest. Si vero est nihil; non potest ad Dei attributa referri. Alexander quidem cum audivisset ultra Oceanum habitari, indignabatur se ad eas regiones pervenire non posse. Quid vero? si

si terras omnes omniaque maria victricibus copiis peragrasset sibique subjecisset; an putemus, cum ad imperii sui magnitudinem quidquam desiderasse At philosophi, ut Deum vere infinitum faciant, omnia scilicet ei addunt, cum ea quae sunt, tum ea quae non sunt. Sed verentur nimirum, ne sublata spatii infinitate, Deus omnibus rebus praesens esse nequeat, et ejus, quam vocant, *Omnipraesentia* tollatur. Quid vero est *Praesentia loci?* Ea, si quid video, est alterius rei ad alteram vis et ratio, ut eam continuo tangere, cum eaque agere possit. Quomodo igitur Deo *infinita Praesentia* tribui potest? Nimirum ita, ut Deus summa intelligentia potestateque omnes res ita complectatur, ut eas penitus perspectas et a se quasi suspensas habeat: veluti nos res, quae nobis praesentes sunt, sensibus percipere et tractare possumus. Quamquam in nobis quidem debile quoddam et obscurum est ejus virtutis simulacrum, quod ad cogitationem Divinae praesentiae prorsus evanescat atque obruatur. Sed tamen, cum virtutum imagines a nobis ipsi ducamus, et in Deum conferamus; removeamus, quoad ejus fieri potest, a *praesentia Divina* omnem labem, quam cogitationis nostrae imbecillitas ei adspergit; et videbimus, ad verum ejus exemplar proxime accedere illam, quam posuimus, definitionem. Et profecto ita se res habet, ut praesentia non sua vi, sed ejus rei, cui tribuitur, vi, metienda sit. Si tanta valeam oculo-

lorum acie, ut res, quae in Luna sunt, manifesto cernam, res Lunares mihi sunt praesentes: et ita in reliquis est sensibus. Igitur, si quid ea ratione mihi subjectum sit, ut illud continuo sensibus meis percipere tractareque possim; illud mihi est praesens, sive uno distet a me cubito, sive myriadibus diametrorum terrae. Praesens et remotum re ipsa unum idemque est; et virium imbecillitatisve nostrae gradu mensuraque existit. Itaque Deus ab omnibus rebus aeque distat; seu, ut verius dicamus, omnibus rebus est praesentissimus; quippe singulas et universas ita potestate intelligentiaque sua complectitur, ut eas penitus teneat ac percipiat. Ceterum saepius miratus sum, quomodo factum sit, ut Lockius, Ep. ad Limborch. Opp. T. III. p. 629. huic rationi aliquid tribueret: cum ait, *spatii infinitatem a Deo compleri: nisi enim ita sit, eum non omnibus rebus fore praesentem; atque adeo non in ea posse agere, ut ea potius ignoret.*

§. II.

De argumentis quae ducuntur ex natura Infinitatis per se spectatae.

Sed explosa ista opinione, qua Deo ex spatii infinitate infinitatem vindicare volunt, videamus de reliquis, quae ex eodem attributo repeti solent, Unitatis demonstrationibus. Hae duplicis

sunt

sunt generis: quorum in altero ipsa per se sola vis Infinitatis, in altero aliis attributis adjuncta, spectatur. Et in priori quidem genere duplicem rationem frequentari animadvertimus.

1. Altera ratio ea est, qua supra monuimus, usum esse TERTULLIANUM contr. Marcion. I, 4, 6. qui in ipsa natura *Summi* s. infiniti, unitatem contineri, ait. Quae ratio huc redit. „*Summum est, cui nil aliud par est: Deus* „*est summus. Ergo nil ei par est, s. nullus* „*alius est Deus, praeter unicum.*" Vitium syllogismi est in propositione, quae falsam habet *Summi* definitionem. Nam illud quidem quod vulgo *Summum* vocamus, existit ex comparatione: non item illud, quod vere Summum est: quippe quod intelligitur sua virtute, non aliarum rerum imbecillitate. Igitur manifesta est fallacia, quam petitionem principii vocant. Nam primum demonstrandum erat *Summum esse illud, cui nil par sit.* Atqui eodem modo dici possit, summum gradum uniuscujusque virtutis in unicum duntaxat individuum cadere: seu, ut grammatice loquar, *Superlativum gradum habere numerum duntaxat singularem, non pluralem.* Igitur fallax est hoc commentum Tertulliani. Nam Summum est illud, quod in suo genere perfectum absolutumque est: et hinc minime conficitur, nullum aliud individuum in eodem genere perfectum absolutumque esse posse. Ceterum eodem usus est argumento auctor re-

recentis libri, Die Religion der Vernunft §. 50.

2. Altera ratio est ea, quam prodidit Alex. Gottl. Baumgartenus Metaph. §. 846. „ *Si po-* „ *neretur*, inquit, *una realitas esse in uno, sed* „ *alia aequipollens in altero, in neutro esset om-* „ *nitudo realitatum.*" Hoc aliis quidem verbis, neque tamen minus horride, aut magis vere, alii explicuerunt: veluti C. G. Müllerus Syst. Metaph. §. 995. not. 2. „ *Ponas*, inquit, *A. et* „ *B. duo entia infinita. Quaecumque B. habet,* „ *qua Ens infinitum, A. etiam qua tale habeat,* „ *necesse est. Quidquid igitur ad infinitudinem* „ *τοῦ B. qua talem pertinet, A. etiam qua tale* „ *habeat necesse est. Si ergo datur Ens Infini-* „ *tum realiter existens; Entia infinita A. et B.* „ *assumta in unum idemque abibunt: aut neu-* „ *trum eorum Ens infinitum reale referret. Erit* „ *itaque unicum modo Ens infinitum realiter exi-* „ *stens conceptibile.*" Etiam Schuberti argumenmentum, quod supra P. II. Sect. I. exposuimus, in eodem fere est errore. Miror Baumgartenum, haud mediocris ingenii virum, huic rationi tantum tribuisse, ut eam scripto proderet: cujus quidem vanitatem haud difficile est ostendere. Nam si plures Dii numero et subjecto sunt diversi, ut sunt per hypothesin; quilibet eorum sua infinitate erit infinitus, neque requiret praeterea infinitatem aliorum Deorum. Atqui habet jam ipse infinitatem: neque caret reliquorum Deorum infinitate: qui ipse infinitus est. Jam igitur videmus

mus ex hoc uno specimine, quam parum sit Dialectici acuminis in istis demonstratoribus. Sed praeter hoc, duo sunt alia vitia. Primum, quod volunt ad veram infinitatem efficiendam, plurium qui ponuntur Deorum infinitates in unum quasi acervum congregari: quod manifesto adversatur principio Repugnantiae, quo Ens omne illud est quod est. Secundum, quod non vident, *virium* hanc esse rationem et naturam, ut additione aequalium similiumque, vel etiam minorum, virium augeri nequeant. Faciamus, v. c. duos esse cursores, qui tanta valeant velocitate, quanta maxime in hominem cadere possit: faciamus etiam, alterius velocitatem similem prorsus et aequalem esse velocitati alterius: quod profecto minime repugnat. Aut si quis dicat, hoc per principium discernibilium fieri non posse; is sciat, me nunc in sola versari Infinitate, et quaerere, quid ex ea conficiatur. Quamquam non repugnamus, quominus alterius velocitas major, alterius minor, ponatur, sed vocetur nobis alter Phidippus, alter Crisson. Igitur si aequali sint velocitate, non augebimus velocitatem, s. non major existet summa velocitatis, si velocitas Phidippi addatur ad velocitatem Crissonis; nam uterque eodem tempore idem spatium permeat. Si vero Crisson minore sit velocitate quam Phidippus; neque sic quidem major existet summa velocitatis Phidippi, si ad eam velocitas Crissonis adjiciatur. Atque eadem est ratio rerum omnium, quae *gradu* spectan-

ctantur. Plures res si sint in eodem genere et gradu pulchrae; si earum pulchritudines singulae in unam summam colligantur, non major erit ea pulchritudo, quam singularum rerum. Sint etiam, si vultis, multa pocula aquae calidae in eodem gradu, non augebitur calor, si aqua ex singulis poculis in unam amphoram confundatur. Sint denique complures homines, qui ejusdem v. c. theorematis mathematici, unam eandemque demonstrationem aequali gradu calleant: horum igitur universorum demonstrationes non plus valebunt simul sumtae, quam singulae singulorum. Quare qui ejusmodi utuntur argumentis, non vident, se qualitatem cum quantitate, gradum cum extensione confundere, et Deum ita infinitum informari ab iis extensione, veluti crassum hominem corpore, vel divitem nummis. Est ergo falsum quod dicunt, *si plura sunt Numina infinita, nullum fore infinitum, quod nullum alterius infinitatem haberet.* Primum enim, licet invertenda quaestione respondere: quia horum Numinum quodlibet est infinitum, non opus habet reliquorum infinitate: deinde, non augetur gradus perfectionis, addito aequali vel minore gradu: tum, non potest alteri alterius perfectio tribui, per principium Repugnantiae; denique, quid est quare non eodem jure concludamus, omnes res creatas et totum mundum esse partem Dei, quia, nisi ita sit, Deus non sit vere infinitus, seu, ut loquuntur, non omnes possideat realitates.

§. III.

§. III.

De argumentis, quae ducuntur ex Infinitate conjuncta cum aliis virtutibus.

1. Videamus primum de *Infinitate potentiae*, quam labefactari dicunt, si plures uno sint Dii. In horum numero fuerunt cum multi alii ab Abaelardo inde, tum Lockius, in Epist. ad Limborch. Opp. T. III. p. 629. Vis argumenti eo redit: *Si plura sint Numina infinitae potentiae, alterum alterius actiones operaque impediturum aut destructurum esse.* Ejus quidem vitium in manifesto est, neque fugit acumen doctorum virorum, v. c. Töllneri l. c. p. 34. et Cantzii de Usu Philos. Leibnitianae in Theologia §. 330. Nimirum ut alter Deus alterius Dei actionem impediat, non satis est; eum aequali valere potentia; sed illud omnino requiritur, ut eorum potentiae sibi invicem sint contrariae: quod profecto repugnat hypothesi, si quidem in unoquoque Deo perfectissimae sint virtutes cum intelligentiae, tum voluntatis; ut adeo necesse sit, eos omnibus inter se actionibus consiliisque perfecte consentire.

2. Neque vero minus laborat argumentum, quod ab *Infinitate intelligentiae* repetitur: quodque Lockius etiam tuetur. Quae cum in eo sit posita, ut res omnes, quae sunt et esse possunt, perfectissime perspiciantur: quid impediet, quo-

minus hae res a multis Naturis intelligentibus perfecte perspiciantur? Nam videmus etiam homines sive plures sive pauciores unam eandemque rem intelligere posse. *Sed*, ajunt, *ita Deum consilia sua et cogitationes reliquos Deos celare non posse.* Quid tandem obsecro est quod Deus alter alterum celare velit; Quin potius haec est felicitatis pars, ut virtutes ejus ab aliis Naturis intelligentibus cognoscantur.

Istae profecto ratiunculae proficiscuntur ab imbecillitate humana. Rex, nisi solus imperet, sed regni socium aequali habeat imperio, non se beatum putabit? Invidus quidem et regnandi male cupidus; non is in quo sit sapientia, fortitudo, justitia, temperantia, qui quidem aequalem sibi virtutibus nactus socium, magnam felicitatis adjectionem sibi factam existimabit, et una sententia voluntateque regnum cum eo administrabit. Vicinum si habeamus curiosum, invidum, malevolum, ejus luminibus obstruere conamur, nec ab eo nos inspici volumus. In Diis nulla ejusmodi caussa subest. Quare si naturae nostrae imbecillitate Deum ad humanum exemplum informamus, quid est quod exemplum non a bonis potius, quam a pravis, sumamus? Etenim quo quisque melior et ipse est vir, et quo sunt meliores viri, inter quos degit, eo magis suas quisque res suaque consilia in luce exponet, seque totum aliis patere ab iisque inspici volet.

3. Alia est ratio Töllneri, ducta, ut ipse quidem ait,

ait, ex *summa Independentia*, ut vero nobis videtur, ex *summa potentia.* Huic enim virtuti, quam summae Independentiae nomine appellat, eam vim tribuit, ut *nil sit extra Deum, quin a Deo pendeat;* quae est profecto ipsa *summa potentia;* ut monuimus Sect. II. Sed tamen videamus, quae sit ejus conclusio. *Si plures sint Dii, nullus erit caussa omnium rerum existentium; sed unusquisque sibi aequalem partem ejus caussae vindicabit*, quod demonstrare conatur ex principio Rationis sufficientis; de quo nos infra videbimus. Sed nunc de hoc non repugnabimus; concedamus, *ita nullum Deorum plenam continere caussam rerum extra eum.* Nonne vel sic, si plures statuantur Dii, neuter alterius esset caussa; quod ipsum repugnat independentiae, quam Töllnerus informat; ut adeo non necesse fuerit, mundum potius quam Deos reliquos, in *rebus extra Deum* ponere. Unde efficitur, Deos, si nil agant, esse independentes, dependentes, simulac efficere quid coeperint, quippe omnes una actione rem eandem efficient: et nullus eam totam effecerit, quod est contra independentiam. Sed nimirum dicat, „ *alterum ab altero Deum pendere non posse, propter ipsam independentiam, et hac in parte concedendum esse principio repugnantiae.*" Ita et nos dicemus, concedendum esse principio repugnantiae, et Deum quemque partem caussae continere, vel suum quemlibet sibi mundum obtinere. De horum postremo deinde videbimus. Sed ni-

nimirum Töllnerianum argumentum eodem redit, quo illud, de quo supra P. II. Sect. III. §. 2. n. 2. diximus; et, ut Baumgarteniano more loquar, si res extra Deum penderent a pluribus Diis, in nullo Deorum foret *omnitudo* effectuum s. caussae. Igitur necesse non est, ut diutius in hac quidem ejus parte moremur. Ceterum satis mirari non possum, adeo sui oblitum esse Töllnerum, ut quod antea concesserat, negaret, ejusque negationi adeo argumentum pro unitate Dei superstrueret. Nam p. 35. disertis verbis affirmat, *si plures sint Dii, eorum unumquemque unam eandemque rem effecturum, neque hoc omnino repugnare; nam cum optimum sit unum, ad illud efficiendum tanquam in unum finem coituras plurium Deorum voluntates.*

S E C T. IV.

De argumentis, quae ducuntur ex Principio Indiscernibilium.

Hactenus de argumentis exposuimus iis, quae ex attributis Dei internis repetuntur. Sequitur, ut de iis dicamus, quae ducuntur ex attributis externis. Sunt vero attributa externa ejusmodi, quae intelliguntur ex rei alterius ad alteram ratione relationeque. Ex horum numero, prima nobis occurrit aequalitas similitudoque, quae interesse debet inter plures Deos; sed cum fieri nequeat, ut volunt, duas res perfecte esse similes et aequales;

les; non posse fieri, dicunt, plures uno Deos esse. Est enim haec vis ejus decreti, quod Leibnitius *Principii indiscernibilium* nomine celebravit, ut *repugnet, duas res pluresve perfecte similes et aequales esse.* Sed ejus exemplum ostendamus in ipsa demonstratione unitatis Dei: „ *Si* „ *duo sint Dii, erunt vel aequales similesque sibi* „ *invicem, vel non item: sed neque aequales si-* „ *milesque sibi invicem esse possunt: propter vim* „ *principii Indiscernibilium: Neque vero possunt* „ *dissimiles et inaequales; ita enim neuter sit* „ *Deus. E. Non nisi unus esse potest Deus.*" Hujus Dilemmatis concedimus propositionem, reprehendimus duorum disjunctorum rejectiones. Primum negamus, duas res perfecte similes et aequales esse non posse. At vero dicunt; *duabus rebus perfecte similibus et aequalibus una eademque respondet idea; igitur hae duae res una eademque res essent; jam cum quaelibet res sibi ipsa sit eadem, eaque ipsa res, quae est; non potest eadem esse cum alia re; igitur ab ea erit diversa, igitur neque similis neque aequalis alteri.* Video duas fallacias. Primum *Identitas*, ut vocant, *interna* confunditur cum *Identitate externa.* Si ponimus duas res perfecte similes et aequales A. et B; dicimus, eas qualitate et quantitate inter se convenire, non vero etiam A. esse B., et B. esse A.; igitur tamquam ejusdem generis individua erunt a se invicem discreta numero. Deinde cum in Ontologicis recte praecipiatur, *omnia rei attri-*

buta duabus contineri partibus qualitate et quantitate; hoc isti perverse accipiunt, et cum qualitas quantitasque in duobus Subjectis ponuntur, ipsa profecto non unum, sed duo, esse necesse est. Nam quidquid tandem sit Subjectum s. Substantia, certe est aliquid ab attributis diversum, neque eorum summa atque complexu demum existit. Sed fac etiam, substantiam ipsam nil aliud quam summam atque complexum attributorum esse; an igitur si attributa A. similia et aequalia sint attributis B., ipsum B. erit A., et A., B.? Equidem non eo sum acumine, ut hoc videam. Etenim, si duo sint triangula v. c. congruentia, i. e. similia et aequalia A. et B., nonne etiam, ut loqui solent isti, *utrique eadem respondet idea*, et unum in alterius locum poni poterit; neque tamen ulla umquam vis efficiat, ut A. sit B., et B. contra A. Quare vitium quatuor terminorum apparet in hoc syllogismo. *Quae res similes et aequales sunt, hae sunt* EAEDEM; *sed A. et B. sunt similes et aequales: E. sunt* EAEDEM. Hoc posteaquam concessum est, subjungunt continuo: *Nullam rem* EANDEM *esse posse cum altera per vim principii Repugnantiae.* Igitur primum verbo IDEM hanc potestatem tribuebant, *A. esse aequale et simile τῷ B:* deinde hanc, *A. esse B.* Sed alia ratione labantem hujus Principii auctoritatem fulcire conantur: haec ejusmodi est: *Duas ejusmodi res loco differre, et nullam fore caussam, quare altera sit hoc in loco, al-*

altera illo; Jam sine caussa nil fieri. Ergo duas res perfecte similes et aequales esse non posse. Ejus quoque syllogismi propositio vana est. Nam, ut res loco differant, non efficitur dissimilitudine et inaequalitate earum, sed principio Repugnantiae, quo quaelibet res illa est res, quae est. Quod nisi ita esset, consequeretur, dissimillimas quasque res longissime distare a se invicem. Deinde caussa, quare altera res hoc sit loco, altera illo, quamquam nobis nulla cognita sit, tamen potest esse, et est profecto. Est omnino hic frequens abusus principii caussalitatis s. rationis sufficientis; quo res ipsa negatur, et tamquam repugnans, repudiatur, cum ejus caussam nullam reperimus. Aliud enim est *caussam tenere, quare res esse nequeat*; aliud est, *nullam tenere caussam, quare res esse possit.* Sed nimirum hoc principium Indiscernibilium nec Mathematicam nec Ontologicam habet necessitatem; neque continuo ex Repugnantiae principio consequitur. Ex Cosmologicis tantum rationibus, si quidem eae ad exemplum Leibnitianum informentur, ei necessitas vindicari possit. Cum enim, ex Leibnitii sententia, *quaelibet hujus mundi pars efficiatur a tota connexione mundi; consequitur, duas res perfecte similes et aequales a duabus caussis proficisci perfecte similibus et aequalibus, id est, a duobus mundis similibus et aequalibus. E. In uno eodemque mundo non possunt inesse duae res perfecte similes et aequales.* Hoc si concedamus; non continuo, duos pluresve

ve Deos similes et aequales esse non posse, efficietur. Habet hoc principium unam patronam, experientiam rerum quotidianarum. Nam etiam in rebus, quas diu pro simillimis et aequalibus habuimus, plerumque postea deprehenditur, aliquid esse discriminis; quod prius oculorum nostrorum aciem effugerat: neque tamen inde nisi verisimilitudinem aliquam, Ontologicam vero Mathematicamve necessitatem prorsus nullam, assequetur hoc principium. Universalis quidem auctoritas ejus, etiam in rebus humanis, Academicorum interrogatione subvertitur: *Nam si duae sunt res, quae paullum differunt, quae est caussa, quin minus etiam differant?* et ita minutatim progrediendo, donec interrogetur, *quae caussa esse possit, quin omnino nil differant?*

Jam igitur existimari potest, quam vim habeant demonstrationes ductae ex hoc principio, quibus passim usi sunt recentiores Metaphysici: inter quos etiam, hac quidem in parte, minus vidit ceteris Clarkius, quemque adeo ne intellexisse quidem putem verba, quae supra ex ejus libro proposuimus: *erit et idem prorsus et individualiter unum, si aliud Ens infinitum, praeter unum ponatur.* Alii praeterea, qui hoc principio usi sunt, tacite judicasse videntur, non satis in eo esse roboris ad demonstrandum: veluti Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 1107. Boehmius Metaph. §. 712. qui se ex hoc argumento in illud conjecerunt, quod a possibilitate repetitur, quod supra

pra confutavimus; ut mihi venerit in mentem ejus Horatiani: *amphora coepit Institui; currente rota cur urceus exit?* Cantzius etiam, repudiatis omnibus aliis demonstrationibus, hanc unam Mathematicae necessitatis numeros habere affirmat: „ *recurrendum*, ait, *ad principium Leib-* „ *nitii, quod ea sint unum idemque sub diversis* „ *nominibus, quae penitus non possint distingui.* „ *Si finxeris duos Deos, perfectissime sibi mutuo* „ *aequales, nec minimo discrimine differentes;* „ *non duo, sed unum Numen concipis, duobus* „ *titulis adpellatum.*" Philosoph. Wolf. et Leibnit. Usus in Theol. §. 327. Vellem equidem Cantzius eadem opera ostendisset, quomodo alterum esset alteri consequens. Quo quidem loco iterum illud Lockii desidero acumen, qui eandem tuetur rationem Epist. ad Limborchium.

Ceterum formam magis efficacem huic argumento conatus est adjungere Schubertus, Institut. Metaph. §. 927. Schol. II. n. 2. „ *Si duo*, in- „ quit, *forent Dii A. et B.; tum A. a B. aut* „ *poterit, aut non poterit, se distinguere. Si* „ *non potest; in Deum cadit imperfectio, aut* „ *defectus cognitionis: quod est absurdum. Si* „ *potest; se et alterum Deum B. ut entia diversa* „ *sibi repraesentet, necesse est. Jam vero A.* „ *et B., aut sunt diversa, aut non sunt. Si non* „ *sunt; Deus A. errat, quod est absurdum. Si* „ *sunt; unus aliquid habere debet, quod non* „ *habet alter; adeoque aut alteruter, aut uter-*

„ *que, non habebit id omne, quod Deus, sive* „ *Ens infinitum habere potest. Itaque aut alter-* „ *uter, aut uterque non erit Ens infinitum,* „ *quod est absurdum.*" Hujus quidem demonstrationis prior pars omnino supervacanea est. Nam si sunt non diversi a se invicem, i. e. si uterque similes et aequales habet virtutes, ab altero se distinguet sua ipse conscientia; ut videmus homines gemellos, quamquam alii eos homines discernere a se invicem non possunt, se ipsum quemque sua discernere conscientia. Jam quod sequitur et rem conficere debet, in eodem est errore, quo antecedentia argumenta. Nam quamquam congruant Dii similitudine et aequalitate virtutum; tamen numero et subjecto different: i. e. non erunt unus, sed duo Dii, et Deus A. erit Deus A., et Deus B. erit Deus B. Igitur identitas interna cum externa confunditur a Schuberto. Quod si vero ita accipi velit rationem, *si uterque ponatur ut infinitus, utrique deesse alterius perfectiones;* huic supra respondimus Sect. III. §. 2. n. 2.

Sed sub initium hujus Sectionis posuimus Syllogismum, quo continetur, istorum opinione, unitatis Divinae demonstratio. Et hactenus quidem in altero disjunctorum versati sumus, *aequales et similes hos esse Deos*, quod principio indiscernibilium confutare conantur. Alterum erat *eos esse diversos;* quod unum refellendum sibi sumserat Reimarus Libr. memorato Sect. IV

§. 3

§. 3. ubi *confici vult, eos si sint diversi, alterum aliqua parte perfectiorem fore.* Quod quidem contra esse, miror viri egregii acumen fugisse. Nam si sunt diversi, sunt numero et subjecto, non attributis. Verum altero dilemmatis disjuncto labefactato, non est quod de altero dicatur.

Ceterum vanitatem argumenti hujus reprehenderunt etiam quidam eorum, qui reliquis tamen argumentis mathematicam necessitatem vindicarunt, veluti Töllnerus l. c. Crusius l. c. et Lulofsius Theol. Nat. Theor. §. 60.

SECT. V.

De argumentis, quae repetuntur ex Principio Rationis sufficientis.

Ecce! demonstrationes quaeruntur aliae ex Principio Caussarum, quod in Wolfiana schola *Principii Rationis sufficientis* nomine celebratur.

1. WOLFIUS Theol. Nat. P. I. § 1107. not. ex principio Indiscernibilium se in hanc convertit argumentationem: ,, *ei, quod possibile, existentiae non repugnat; ut vero existat, ratio sufficiens detur necesse est, cur existat potius, quam non. Quod si jam ens ideo existit, quia possibile, quemadmodum de Ente a se ostendimus, consequenter de Deo, et unum tantummodo istiusmodi Ens, possibile conci-*

,, *pi-*

„ *pitur, quemadmodum spiritus perfectissimus,*
„ *qui est Deus: cur unum existat, ratio suffi-*
„ *ciens datur, utpote in possibilitate ipsius con-*
„ *tenta: Sed nulla datur, imo dari nequit,*
„ *ratio sufficiens, cur idem Ens ponatur bis; pro-*
„ *pterea, quod eadem intrinseca esse debeat.*"
Haec vero demonstratio habet manifestam petitionem principii. Nimirum, *Ratio, quare Deus existat, posita est in ejus possibilitate.* Non repugno, sed videamus assumtionem: *unicum tantum ejusmodi Ens possibile concipitur.* Quid hoc est *concipitur?* an *cogitari potest*, s. *esse potest?* Omnino quidem, si unicum tantum possibile est, sequitur necessario, unicum tantum existere. Sed hoc ipsum prius demonstrandum erat, *unicum esse possibile:* quod quomodo ab istis fieri soleat, ostendimus Sect. II. ut perperam hoc loco ad partes vocetur principium Rationis sufficientis.

2. Aliter rationem instituit idem WOLFIUS Theol. Nat. P. II. §. 405, 406. et post eum BOEHMIUS Metaph. §. 712. cujus verbis eam referemus: „ *Cum mundus sit Ens contingens,*
„ *nobis est ratio statuendi Deum infinitum, qui*
„ *sit ipsius caussa efficiens. Cum autem eum*
„ *concipere debeamus ut vi infinita instructum,*
„ *quae sufficit plane omnibus, quae concipi pos-*
„ *sunt; ratio illa, ob quam Deum assumimus,*
„ *in uno solo acquiescit; pro pluribus aliis nulla*
„ *adest ratio. Quare cum nihil sit sine ratione*
„ *statuendum. Unum tantum Deum statuimus;*"

Cau-

Cautius hanc argumentationem instituit Boehmius, quam quidem Wolfius, qui ei mathematicam vim tribuere videtur. Vitium ejus tenebitur, si ad syllogismi formam redigatur: *Cujus nulla est ratio, illud est rejiciendum: Nulla est ratio, quare sint plures uno Dii. E. rejicienda est opinio, plures uno esse Deos.* Videmus ambiguam esse significationem termini medii, *ratio est:* qui in propositione sumitur pro *ratione existendi*, in assumtione pro *ratione cognoscendi.* Sed fac, terminum medium in utraque praemissarum eodem sensu poni v. c. pro *caussa existendi;* confutatum est argumentum, n. 1. hujus sectionis. Si vero accipiatur pro *caussa cognoscendi*, ne sic quidem vim suam habebit Syllogismus. Nam ex principio Rationis sufficientis non continuo intelligitur, *unum esse Deum*, neque etiam, *plures uno esse:* illud solum intelligitur, *vim quandam esse effectricem hujus Universi:* ea vero vis utrum sit in uno subjecto, an in pluribus, non intelligitur. Quare apparet, hoc argumentum eodem redire, quo illud ex Necessitate ductum, quod supra notavimus Sect. I.

Atque his quidem duobus argumentis *caussa* spectatur, *quare Deus sit.* Sequitur, ut videamus, si quid concludi possit ex iis *rebus, quarum Deus est caussa.*

3. Igitur Töllnerus hanc rationem adfert. „*Deus* „ *valet summa Independentia; cujus est ea vis, ut* „ *ab eo pendeant omnes res, extra eum, s. ut om-* „ *nium*

„ *nium rerum extra eum ipsa sit caussa. Jam*
„ *si plures sint Dii, neuter omnium rerum extra*
„ *eum possit caussa esse. Nam si sint duae res*
„ *A. et B., quae efficiant tertiam rem C.; neque*
„ *A. neque B. caussa erit plena totius rei C.,*
„ *sed utraque tantum partis: quod repugnat sum-*
„ *mae independentiae.*" Jam cum supra demonstraverimus (Sect. II. et Sect. III. §. 3. n. 3.) hanc rationem ex falso initio profectam esse; verum exitum habere nequit; cumque ipsa haec, quam vocat Independentiam, virtus, nil sit aliud, quam summa potentia: quae, quo minus in plura subjecta cadat, nil impedire asserit; non erat quod moraremur extremam ejus partem. Sed illud quod de caussis conjunctis, *s. coördinatis*, ut vocant, adfert, ab rerum humanarum imbecillitate ductum est. Nam si summus est inter duos Deos consensus et Intelligentiae et Potentiae; neutrius profecto infinitas imminuetur, si ipse non omnium rerum sit solus caussa. Et vel sic tamen tantum erit omnium rerum caussa, quantum si solus esset; quippe et idem facit et eodem modo, atque si unicus et solus ipse esset.

4. Deinde *Unicum Deum esse consequi* volunt *ex eo, quod non nisi unus sit Mundus.* Quale Stoicorum illud est, qui *praeter Mundum nihil esse, et Deum ipsum Mundum esse* affirmant: vid. Cicero Nat. Deor. II, 13 — 15 conf. 22, 23, 28. Sed ne illud quidem arguemus, cujus vanitas sponte apparet, *Deum esse Mundum:* hoc primum erat os-

ostendendum, praeter Mundum nihil esse. Si mundum volunt esse *complexum et summam omnium rerum, quae sunt:* hoc ipsum est demonstrandum; alii quidem, in primis Leibnitiani, Mundum definiunt, *summa rerum finitarum communi vinculo connexarum.* Itaque hos audiamus. Wolfius Theol. Nat. P. I. §. 1106. „*Mundus*, „ait, *qui existit, ens unum est, et totum aliquod; ac ideo vi demonstrationum anteriorum, „rationem sufficientem, quam in se ipso minime „habet, in uno Ente a se, cui intellectus prorsus illimitatus ac potentia creatrix ac illimitata competit, rationem actualitatis, sive existentiae suae, sufficientem agnoscit. Quare „cum non admittatur Deus, nisi quatenus admittitur Ens a se, in quo sufficiens ratio existentiae, contingentis hujus Universi continetur; „unus quoque tantummodo datur Deus.*" Si concedamus, mundum esse non nisi unum; nil novi inde efficietur. Nam erit effectus vis cujusdam creatricis; quod jam antea nobis erat compertum. Sed haec vis creatrix utrum sit in uno subjecto, an in pluribus, non definietur. Ut haec quidem argumentatio eodem redeat, quo Töllneriana, de qua modo (n. 3.) diximus, et ea quae a Necessitate repetitur, quam exposuimus supra Sect. I. Sed non repugnamus nunc, quin hic noster Mundus ab uno, neque a pluribus, factus sit Deo. Quid vero si plures esse Mundi possunt? Si hoc est; plures etiam Dii esse poterunt: et quilibet

Mun-

Mundus totus suum sibi habebit effectorem. Sed plures uno Mundos esse non posse, demonstratum est a Wolfio Metaph. Min. §. 9;8. et seq. Quale tandem illud est demonstrandi genus? Nimirum tale: *Si duo sint mundi; erunt vel dissimiles vel similes. Jam si sint similes, nulla erit ratio sufficiens, quare altera hoc loco sit, altera illo. Et si sint dissimiles; ne sic quidem erit ratio sufficiens, quare altera hoc, altera illo sit loco.* Prius dilemmatis disjunctum confutavimus Sect. IV. Posterius non magis est firmum: quippe haec ratio additur, *cujusque diversorum mundorum mutationes eodem modo procedere, sive in hoc quisque sit loco, sive in alio.* Aut ego mirum in modum hebes sum, aut haec ratio vanitatis convincitur ex iis ipsis, quae S. IV. dicta sunt. Et profecto, ut non repugnat, si unicus est hic mundus, eum a Deo ad nihilum redigi, et novum alium procreari; ut duo sint Mundi tempore diversi; ita non repugnat, duos esse Mundos spatio diversos. Itaque manifestum est vitium hujus conclusionis: „ *Si Mundus esse nequit nisi unicus, necesse quoque est, Deum non posse esse nisi unicum. Atqui Mundus nisi unicus esse nequit. Ergo Deus nisi unicus esse nequit.*" Nimirum et antecedens falsum est: et si vel maxime verum esset, consequens tamen ex eo non efficeretur. Non movebimus, quod adjicitur a WOLFIO, *Deum non decere, plures Mundos creare:* quippe non est conjunctum cum hac quaestione.

Ce-

Ceterum ejusdem est momenti illud quod adfertur ab eodem WOLFIO Theol. Nat. P. II. §. 405. Not. „ *Poterat quoque eadem unitas ex ipso ne-* „ *xu rerum omnium in Universo demonstrari,* „ *vi cujus Ens unum non nisi ab uno dependere* „ *potest.*"

5. Denique sunt, qui argumentum ducant ab hac parte, quod *hic Mundus sit optimus.* Dicunt enim: *Si plures sint Dii, debere simili et aequali eos virtute esse: Igitur quemque eorum illud effecturum, quod optimum sit. Optimum non esse nisi unicum: Unicum vero effectum non nisi ab unica proficisci caussa. Igitur unicum duntaxat posse Deum esse.* Hoc in loco ut liberaliter agamus, et concedamus, Mundum hunc esse optimum, neque moneamus quidquam contra duas priores hujus demonstrationis enunciationes; reliqua tamen pars vacillat et claudicat. Primum: *Optimum non esse nisi unicum*, verum est, quod ad ideam s. formam pertinet, non item, quod ad rem ipsam s. existentiam. Nil enim impedit, quo minus ad idem exemplum plures fiant mundi, qui omnes et sint ducti ex eodem exemplo, et ex eadem veluti forma expressi. At hoc, ajunt, repugnat Principio indiscernibilium. At de hoc jam supra diximus, et quantum valeret vidimus. Praeterea nunc tantum curamus, quantum ex *optimo mundo* efficitur. Igitur aliis rationibus conficiendum erit *Optimum non esse nisi unicum.* Una earum supra a nobis est confutata Sect. III. §. I.

n. I. quippe optimum non illud est, *quod nil simile et aequale virtute habeat;* nam haec quidem precaria et vana est definitio: sed illud *quod tot habet tantasque virtutes, quot quantasque in suo genere habere potest.* Erunt igitur ejusdem generis plura individua similia et aequalia; quod non repugnat. Aliam caussam adferunt hanc: *plures mundos etiamsi quod ad formam sint iidem, tamen materia differre.* Quid vero est differre? Utrum, *materiam unius mundi meliorem deterioremve esse quam materiam alterius mundi?* Hoc quippe est confundere genera; nam bonitas materiae ipsa quoque ad formam pertinet; neque video, quare non liceat statuere materiam utriusque aeque bonam. Si vero differre vocant, *A. esse A., et B. esse B.:* hoc idem de forma dicere licet, quamquam sint similes et aequales, tamen formam mundi A. esse A., non B.; quippe quin hoc ita sit, per principium Repugnantiae fieri nequit. Pergunt etiam obluctando, et dicunt: *Nullam ita fore caussam, quare Deus hic mundum A. procreaverit, ille mundum B.* Atqui si uterque Deus suum sibi mundum procreat, tam est necesse, ut hi mundi subjecto et numero differant, quam differunt ipsi. Quare non tantum caussa est, sed necessitas, ut hic Deus hunc, ille illum mundum procreet; ut est necessitas, Deum v. c. A. habere potentiam suam ipsum, non vero potentiam Dei B. quod contra Schubertum ostendimus Sect. I. Atque haec quidem pertinent ad illam Demonstrationis

ejus enunciationem, *optimum non esse nisi unicum.* Quod vero ad sequentem attinet enunciationem, *unicum effectum non nisi ab una proficisci caussa*, modo reprehendimus, hac Sectione n. 4. Quod quidem etiam si concedamus, nil aliud efficiatur, nisi *hunc mundum ab unico pendere et effectum esse Deo:* non illud etiam, *non posse plures esse Deos, quorum suum quisque mundum habeat.*

Ceterum ex opinione de Mundo optimo, argumentum etiam duxit Cramerus V. R. libro, qui novissime prodiit, Beyträge zur Beförderung Theologischer und anderer wichtiger Kenntnisse. P. II.

SECT. VI.

Argumentum, quod petitur a relatione Generis cum Individuis.

Et argumenta quidem hactenus exposita, quamquam nil habent roboris, tamen ejusmodi sunt, ut ne silentio praetereunda viderentur. Alia, quae vel excogitari possunt, vel allata sunt, si recenseam: non tantum, quod in proverbio est, dies me deficiat, sed ad justi adeo voluminis magnitudinem disputatio nostra excrescat. Horum uno, exempli caussa, posito, defungi liceat. Dicunt igitur: *si plures sint Dii; fore ut sit Genus Deorum: Jam in Genere diversitatem esse Individuorum. Igitur inter Deos fore diversitatem:*

 Alium

Alium alio proinde meliorem deterioremve futurum: Hoc fieri non posse. Ergo, non esse plures uno Deos. Difficile est dictu, quot sint in una hac conclusiuncula vitia. Satis unum sit notasse. Est quidem in Genere plerumque diversitas individuorum; quia individua illa, quae in sensus nostros incurrunt, a se invicem differunt. Minime vero necesse est, differentiam esse individuorum in Genere; quippe Genus efficitur similitudine individuorum. Quare si plures sint Dii; erit maxima similitudo individuorum. Et in nostris etiam ideis universalibus ita plurimum est firmitatis, ut minimum est diversitatis in individuis. Deinde vel sic, cum unicus est Deus; Deum tamquam ideam universalem et Genus spectare possumus, cujus non sit nisi unicum individuum. Ceterum ejus conclusionis vanitatem ostendit etiam Crusius lib. cit. §. 245.

CONCLUSIO.

§. I.

Quaeritur, an argumentum Mathematicae necessitatis adferri possit, quo efficiatur, non plures esse uno Deos.

Superest, ut meam ipse sententiam de hac quaestione exponam. Neque enim hec egi, ut ef-

efficerem, *nullam esse caussam, quare unicum statuamus esse Deum:* sed hoc, ut ostenderem, *in demonstrationibus iis, quas hucusque Metaphysicorum excogitavit sollertia, tantum abesse, ut Mathematica insit necessitas, ut potius vitiis laborent gravissimis.* Credo, etiam eos, qui harum demonstrationum vitia non videant, tamen nullum ex iis percipere Mathematicae necessitatis sensum. Quod si igitur isti dicant, non esse omnium hominum, assequi metaphysicorum argumentorum subtilitatem: non repugno. Dico etiam et fateor, in rebus Mathematicis mihi quaedam theoremata incredibilia visa esse, veluti quadratum hypothenusae aequale esse quadratis cathetorum. Sed demonstratione confecta, nil remanebat dubii: sentiebam mathematicae demonstrationis necessitatem ac vim. Metaphysicarum demonstrationum, certe plurimarum, alia est ratio. Atque, ut ingenue mentem meam aperiam, *videtur mihi necessaria conclusione, quae Mathematicae necessitatis numeros habeat, effici non posse, non esse posse nisi unicum Deum.* Nam Metaphysica, cui hic locus subjectus est, hanc demonstrandi viam sequitur; ut ex idea Generis concludat, quid in ejus Generis formis atque individuis inesse debeat: minime vero eousque progredi potest, quot sint alicujus Generis individua. Itaque ex idea Dei, ratiocinando invenire possumus quaedam ejus attributa; minime vero haec attributa, in unum duntaxat individuum, an ve-

vero in plura, cadere queant; neque etiam ipsa attributa ejusmodi praebent ansas, quibus comprehensis ducamur ad illam cognitionem, utrum ipsa in uno, an pluribus inesse possint subjectis. Quod cum in reliquis apparuit, tum in eo, in quo plurimum nonnulli, hac quidem in parte, volunt esse praesidii, quod Deus *summus* est; de quo diximus Sect. III. §. 2. n. 1.

§. II.

Caussarum enumeratio, quibus efficitur, Unum potius, quam plures, esse Deum.

Quid igitur? Num tantumdem est caussae, quare vel unum, vel plures dicamus esse Deos? Minime id quidem. Recta ratio suadet *unum esse Deum;* et quidem ita suadet, ut contra statuere ineptum sit. Quare age, caussas indagemus, quibus factum sit, ut plerique omnes in hanc sententiam convenirent: videamusque et unde nata sit ea, et unde tantam in hominum mentibus vim auctoritatemque obtinuerit. Et spero fore; ut naturae observatio nobis probabilem disputationis exitum aperiat; si gradus, quibus progressa haec persuasio ad firmitatem pervenit, diligenter deinceps notemus.

1. Prius igitur quam probare possunt homines *unum duntaxat esse Deum*, constare iis necesse est *esse Deum*. Et ex ipsa caussa, quare Deum es-

esse statuant, et vi quam Deo adjungunt, caussae potissimum sunt repetendae, quare unum, nec plures, esse velint. Atqui reperiemus, hanc rationem valuisse in hominum mentibus, ut ex mundi contemplatione et rerum admiratione intelligerent, esse caussam quandam effectricem gubernatricemque, et eam quidem summe intelligentem ac potentem. Haec una est ratio, quae homines ad aliquam Dei notionem adduxerit: non idea innata Dei: neque idea infinitatis, ex qua existentiam Dei continuo intelligi volunt Cartesiani aliique.

2. Jam haec caussa et vis efficiens vel in uno subjecto, vel in pluribus ponenda erat. Alii eam in pluribus ponebant, pro varietate effectuum, quos in natura deprehenderent. Alii, in quibus plus erat ingenii et majus scientiae studium, eam non in pluribus, sed in uno ponebant: et quare ita statuerent, non una erat ratio.

3. Prima erat, quod intelligerent, in maximo dissensu opinionum, ab omnibus tamen hominibus eandem vim tribui Diis, et varios honores variasque appellationes Deorum tamen ad unam eandemque redire naturam, caussam nimirum efficientem atque intelligentem. Igitur Maximus Tyrius XVII, 5. *In hac tanta pugna*, inquit, *contentione atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, regem omnium et patrem, huic multos additos esse alios, qui supremi illius filii sint, et*

quasi in imperio collegae. In eo Graecus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto; ut si usque ad extrema oceani littora processeris, hic quoque Deos inventurus sis, qui non procul ab aliis oriuntur, ab aliis occidunt. Tertullianus Advers. Gentes Apolog. cap. 24. — *nonne conceditis de aestimatione communi, aliquem esse potentiorem et sublimiorem veluti principem mundi, perfectae peritiae et majestatis? nam et sic plerique disponunt majestatem, ut imperium summae dominationis penes unum, officia penes multos esse velint.* Cum quibus conferri possunt Minucius Felix cap. 20 Lactant. Instit. I. 5.

4. Hinc factum est, ut *ab unitate generis ad unitatem subjecti* traducerentur; seu, cum convenirent in vi intelligente et effectrice, eam ipsam vim in uno individuo ponere coeperunt. Quamquam unitas generis sola per se non habet rationem, quare unitas subjecti ponatur. A quo errore non longe abfuit Wolfius Theol. Nat. P. 1 §. 1106. not. sed rationes accedebant aliae.

5. Nam haec vis efficiens vel distributa potest esse inter varios Deos. Hoc quidem repugnare, supra vidimus: Sect. III. §. 2. n. 2. Plus enim est virium in unius perfecto robore, quam in multorum imbecillitate. Vel haec vis integra et tota erit in unoquoque Deorum. Sed quo minus in hanc sententiam inclinarent homines, aliae impediebant rationes.

6.

6. Prima est in principio Caussarum, s. *rationis sufficientis*, quo natura nos ab ipsis incunabulis imbuit. Ejus quippe principii pars est, ne plus sit in caussa quam in effectu; atque ut reperta caussa idonea et sufficiente, ne aliam praeterea quaeramus. Jam cum humana cognitio synthetice oriatur, et ab effectu ad caussam adscendat, *unius rei caussa idonea reperta*, *non aliam requirit*.

7. Reliquae rationes ex eodem manant principio. *Simplicitas Naturae*, qua effectus varii ex uno et simplici initio proficiscuntur; hujus igitur simplicitatis per totam naturam dominantis observatio nos paullatim eo adducit, ut totam naturam ab unico subjecto summe intelligente effectam esse arbitremur.

8. *Unitas Mundi*. quae quidem duplici sensu accipi potest: primum ut non nisi unicus mundus esse possit; quod quamquam per se vanum est, tamen apud nonnullos homines, qui vel Mundum complexu rerum creatarum definiunt, vel eum optimum et proinde unicum esse statuunt: apud hos igitur haec mundi unitas aliquid ad Dei unitatem valere potest: vid. Sect. V. Deinde Mundus ita unus potest dici, ut omnes ejus partes ad unum finem tendere et communi vinculo connexae esse dicantur. Hinc quamvis hoc tantum necessario consequatur, *mundum uno consilio factum esse et gubernari*, neque utrum hoc consilium in uno sit subjecto, an in pluribus; tamen paullatim

ab unitate consilii ad unitatem Subjecti deducebantur: veluti ab unitate generis ad unitatem subjecti: vid. n. 4.

9. Ulterius progreditur ratio. Cum necesse sit *Caussam aeternam*, s. Deum, esse: haec caussa quare in uno sit subjecto, nulla nobis ratio necessaria cognita est: neque etiam, quare ea in pluribus sit subjectis. Jam si aliquid sine ratione necessaria statuendum est, hoc, quoad ejus fieri potest, minimum esse debet. Igitur *potius unus est Deus, quam multi.*

10. Porro: cum necesse sit, caussam aliquam esse efficientem aeternam: haec caussa ut in paucioribus, quam in uno sit subjecto, fieri nequit: ut in pluribus quam in uno sit, ratio nobis nulla est cognita. Igitur *potius unus est Deus, quam multi.*

11. Hae rationes non tantum eo valuerunt, ut hic Mundus caussam, quare sit, positam habeat potius in uno Deo, quam in multis: sed eo pertinent, ut omnino unicus duntaxat existat Deus. Huc tandem accedit alia ratio ex *principio caussarum*, s. rationis sufficientis, quod semel admissa multitudine Deorum, nullum exitum reperire potest cogitatio nostra. Neque enim est ratio, quare si duos statuimus, non etiam tres, decem, centum, myriadem etiam Deorum statuamus. Quod recte monuerunt etiam Boehmius Metaph. §. 712. et Reimarus (vornehmste Wahrheiten) Sect. IV. §. 2. et ante eos Lockius.

Hinc

Hinc igitur factum est, ut rationes, quae singulae tantum probabilitatem aliquam haberent, tamen cum paullatim deinceps humanam mentem subirent, universae magnam nanciscerentur firmitatem. Itaque humanum genus convenit in hac sententia, unicum duntaxat esse Deum. Ejus sententiae plerique omnes homines magis minusve rationes percipiebant; ita quidem ut magis universas confuse, quam singulas distincte intelligerent. Neque tantum Veteres nullas magnopere ejus sententiae adtulerunt demonstrationes, quod ipsa per se satis haberet evidentiae; sed in Recentioribus etiam fuerunt qui illorum modestiam sequerentur clari viri, veluti *Jerusalemus* in libro, cui nomen indidit Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion, et alii.

Habetis, V. V. Cl., meam de hoc loco sententiam. Qua si certior firmiorque ad Vos delata fuerit, vehementer profecto laetabor de Metaphysicae disciplinae incremento, et satis magnum operae meae fructum percepisse me judicabo, si mea Vobis disputatio aliqua parte satisfecerit. Equidem affirmare possum, me hoc unum spectasse, ut in loco a Vobis posito, tamquam in exemplo, ostenderem, quantum errorum asseverandi temeritas et perversum demonstrandi studium pareret; si forte alios ad rectam rationem revocare possem. Quod si vero sint, qui me de Metaphysica disciplina male meruisse existiment, quod eam Mathematica necessitate privare studuerim: non meam

vo-

voluntatem, sed rerum naturam, accusent. Apud me quidem et plurimos alios satis habet auctoritatis illa evidentia, quam sive probabilitatem sive verisimilitudinem vocent, de nomine quidem non repugnabo: dum concedant, in ea tantam esse firmitatem, quanta in certissimis firmissimisque rebus humanis, et quanta possit esse illa, quae proxime ad Mathematicam necessitatem accedat. Et vero recte ad Vos utar Platonis oratione, quae est apud Ciceronem: „ *Quocirca si forte de Deorum*
„ *natura ortuque mundi disserentes, minus id quod*
„ *habemus, animo consequimur, ut tota dilucide*
„ *et plane exornata oratio sibi constet, et ex om-*
„ *ni parte secum ipsa consentiat, haud sane erit*
„ *mirum: contentique esse debebitis, si probabilia*
„ *dicentur. Aequum est enim meminisse, et me,*
„ *qui disseram, hominem esse, et vos qui judicetis:*
„ *ut si probabilia dicentur, nil ultra requiratis.*".



DIS-

DISPUTATIO

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT ANNO MDCCLXXXIII.

DE QUAESTIONE PUBLICE PROPOSITA,

„ QUAE FUERIT VETERUM PHILOSO-
„ PHORUM, INDE A THALETE ET PY-
„ THAGORA, USQUE AD SENECAM,
„ SENTENTIA DE VITA ET STATU
„ ANIMORUM POST MORTEM COR-
„ PORIS."

AD VIROS NOBILISSIMOS ET ERUDITISSIMOS LEGATI TEYLERIANI CURATORES.

EX ACTIS SOCIETAT. THEOLOG. TEYLER. T. IV. P. 1, sqq.

DISPUTATIO

DE

QUAESTIONE,

QUAE FUERIT VETERUM PHILOSOPHORUM, INDE A THALETE ET PYTHAGORA, USQUE AD SENECAM, SENTENTIA DE VITA ET STATU ANIMORUM POST MORTEM CORPORIS.

Nulla facile est res, quae mentem humanam aut propius attingat aut vehementius commoveat, quam cogitatio de ipsius post hanc vitam conditione et statu. Nam, et praecipuum ac proprium hominis est, non brutorum instar praesentibus moveri, sed in futurum prospicere ac res absentes mentis cogitatione repraesentare: et habet rerum post hanc vitam obscuritas eam vim, ut mentem incertâ rerum exspectatione sollicitet ac suspensam teneat. Igitur reperiemus, inde ab incunabulis studii Philosophici, ita quemque Philosophum plus operae in hoc loco tractando posuisse, ut quisque ipse aut humanae naturae aut Philosophiae majorem excellentiam tribuisset. Ergo sint fortasse, qui putent, ab innumerabilibus Philo-

lo-

losophis, qui post hominum memoriam fuerunt, hunc locum tandem vel pertractatum vel ita tractatum esse, ut operae pretium factum sit. Immo vero, moverunt multum, promoverunt parum. Nam in eam quidem partem profecerunt, ut rationibus aut certis aut verisimilibus efficerent, esse aliquid post hanc vitam, neque cum corpore Animum exstingui: hoc tamen *aliquid* quale esset, quae vita et actio Animi a corpore soluti ac veluti nudi, nullâ etiamnum humani ingenii acie pervestigari potuit. Neque tamen hoc eo valere debet, ut totam hanc quaestionem tamquam inexplicabilem relinquamus: contra, magis etiam studia nostra incitari par est, ut, nisi perveniamus ad ejus exitum, saltem aliquot gradus proferamus. In primis vero utile et jucundum est cognoscere, quantum in hoc spatio profecerint Veteres, qui plurimos in Philosophia progressus habuerunt. Nam, aut aliquantum promovebimus erroribus illorum cavendis, verisque inventis, veluti vestigiis, persequendis: aut, certe ipsa progressuum observatio voluptatem nobis pariet atque ignorantiae solatium adferet. Quare, quum audivissem de quaestione a Vobis, Clarissimi Viri, ad disputandum propositâ, ejus elegantia me continuo invitavit, ut experirer, si forte in ejus tractatione aliquid efficere possem, quod Vestris judiciis probarem. Ceterum, antequam disputationis initium faciam, committere nequeo, quin de

de ipsâ ratione ac viâ breviter dicam, ac leges recenseam, quas ipse in disputando sequar.

I. In memorandâ quâque Philosophi sententiâ probe animadvertendum est, utrum ea ex communi opinione, an ex Philosophicâ doctrinâ, seu quod ajunt, Systemate, pronunciata sit. Multa enim dicta scriptaque sunt a Philosophis, quae non continuo pro partibus doctrinae eorum habenda sunt, veluti Apophthegmata, Epistolae, et alia. Et librorum ab iis scriptorum duo sunt genera: alii sunt Esoterici, in quibus interiorem suam doctrinam exposuerunt; alii sunt Exoterici, in quibus communem aliorum sententiam secuti sunt. Itaque distinguendum est, quid Philosophus, tamquam Philosophus, quid tamquam unus ex multis tradiderit.

II. Quum Philosophi sit *demonstrare*; non modo videndum quid statuerit, sed etiam quibus argumentis illud, quod statuit, demonstraverit.

III. Igitur Philosophi secundum aetatem et sectas recensendi, et a triplici parte spectandi sunt: primum, *an statuerint*, *Animum superesse corpori:* deinde, *qualem illum statum informaverint*; denique, *quibus argumentis hanc sententiam superstruxerint.*

IV. Et quandoquidem tota haec Veterum cognitio unice petenda est ex Veteribus, nos quoque hanc disputationem ab eorum fontibus ducemus. Non quod recentiores contemnamus; sed quod judicemus praestare, iis tanquam sociis potius,

quam tamquam ducibus, uti. Ita integriores ab alienâ auctoritate ac praejudicatis opinionibus nostrum ipsi judicium sequemur.

V. Ergo primum, materia congerenda, et loci nondum ab aliis prolati excitandi sunt, quoad quidem ejus fieri potest. Multa enim adhuc latent in Veterum monumentis, nec omnia ex iis protulit recentiorum diligentia.

VI. Criticâ quoque animadversione opus est, in auctoritate locorum, quibus pro testimoniis utimur, aestimandâ. Itaque videndum de libro, in quo locus exstat, sit necne auctoris illius, cujus nomine fertur, et sitne auctor ipse fide dignus.

VII. Porro auctorum locis adhibenda est justa interpretatio, ut verus eorum sensus appareat. Quae quidem interpretatio duplicis est generis: altera, verborum, quae a Grammaticâ ratione et linguae cognitione ducitur: altera, rerum, quâ loci vis aperitur, ex auctoris vel sectâ, vel peculiari ratione ac consuetudine.

VIII. Harum autem legum ita rationem habebo, non ut ad eas singulas unumquemque locum explicem, quod, profecto, infinitum sit, et mihi scribenti, et Vobis legentibus, sed ut eas tacite quidem semper observem, diserte vero locis difficilioribus adhibeam. Ordinem denique hunc sequar, ut secundum temporis seriem sectarum successiones notentur: et primum de Thalete et Ionicis usque ad Socratem exponam: deinde de Pythagoricis, et, qui ab iis profecti sunt, Eleaticis:

cis: tum de Socrate, quique ab eo fluxerunt, Academicis, Peripateticis, Cynicis, Stoicis, Epicureis, et aliis, usque ad Ciceronem: tum disputationem deducam a Cicerone ad Senecam.

SECTIO I.

De Ionicis Philosophis.

Opinionem, de vitâ quadam Animi corpori superstitis, antiquissimâ aetate apud Graecos viguisse constat ex Homero et omnibus veteris aevi monumentis. Caussae, quibus factum est ut illa opinio mature in Graecâ gente dominaretur, fuerunt et naturales et civiles. Quare, qui eam solâ monente naturâ in hominum mentibus exstitisse dicunt, mihi quidem multo magis probantur, quam ii, qui ejus originem vel ab Aegyptiis, vel a Chaldaeis, vel aliunde petunt. Sed ego totam hanc quaestionem praetermitto, quam Vos Iudices ab hac disputatione exclusistis. Satis habeo auctoritatis in Cicerone, qui (Tusc. I. 13, 14.) ait, *opinionem de animorum immortalitate non a doctrinâ, sed ab ipsâ naturâ, proficisci, et legis naturalis vim obtinere.* Sect. I. Ionici.

Sed, quum doctrina de Animorum immortalitate, ut reliqua naturae cognitio, a Poetis, ac Theologis, seu Orphicis, rudi Minervâ tractata fuisset, exstitit circa Olympiadem XL THALES Milesius in Ioniâ, qui majore valeret rerum naturalium scientiâ, eamque ad viam ac rationem, id Thales.

Sect. I. Ionici. Thales.

est Philosophicam methodum, exigeret. Hic quid senserit de Animi post hanc vitam statu, operae pretium est accuratius et uberius quaerere; nam et auctor Philosophiae habetur, et ab initio disputationis patebit, quam difficile sit in tantâ monumentorum jacturâ de Veterum placitis statuere. Eum statuisse Animos esse immortales, proditum est apud Diogenem Laertium I. 24. ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν Φασιν ἀθανάτους τὰς ψυχάς· ὧν ἐστι Χοίριλος ὁ ποιητής· i. e. „ *nonnulli etiam dicunt, eum primum dixisse animas esse immortales: in quibus est Choerilus poeta.*" Huic adjungendus est scriptor de Placitis Philosophorum, qui falso Plutarchi nomine fertur, IV. 2: quem, ut solet, descripsit Stobaeus in Eclog. Physic. p. 93: ejus haec sunt verba: Θαλῆς ἀπεφήνατο πρῶτος τὴν ψυχὴν Φύσιν ἀεικίνητον ἢ αὐτοκίνητον· i. e. „ *Thales primus pronunciavit animam esse naturam quae semper moveatur, vel quae se ipsa moveat.*" Retulit idem exiguâ varietate Nemesius in libro de Naturâ Hominis. cap. II. Θαλῆς μὲν γὰρ πρῶτος τὴν ψυχὴν ἔφησεν ἀεικίνητον καὶ αὐτοκίνητον· i. e. „ *Thales enim primus dixit, animam esse quid, quod semper moveatur et se ipsum moveat.*" Theodoretus vero Serm. V. p. 83, in cujus verbis referendis falsam lectionem secutus est Menagius ad Diog. Laert. VIII. 83., Θαλῆς τοίνυν κέκληκε τὴν ψυχὴν ἀκίνητον Φύσιν· igitur Theodoretus ex iisdem fontibus hausisse et ἀεικίνητον scripsisse videtur; ut hoc dixerit „ *Thales igi-*

igitur vocavit animam naturam quae semper moveatur." His ergo testimoniis quis non credat, de Thaletis sententiâ constare? Nam Animam dixit esse immortalem: rationes adjecit, Animam nimirum esse naturam (id est, ut hodie loquuntur, *substantiam*) quae se ipsa moveat, semperve moveatur, vel utrumque. Verum enim auctoritas illorum testimoniorum gravissimis dubitationibus, nisi tollitur, tamen minuitur. Et primum quidem Choerilus, quem auctorem sequitur Diogenes Laertius, unde hanc de Thalete notitiam habuit? utrum ex scriptis Thaletis, an ex traditione memoriae? Atqui antiquis jam temporibus dubitatum est, an quod scriptum reliquisset Thales, et an ea, quae tum sub ejus nomine ferebantur, ab ipso conscripta essent: ut refert Diogenes Laert. I. 23. Eum nil de Philosophiâ scriptum reliquisse affirmant Alexander Aphrodisiensis in Comment. in Aristot. Metaph. p. 12: Themistius Orat. XXVI. p. 317. et Simplicius in Comment. in Aristot. Physica p. 6. At vero ex ejus libro *de Principiis* locum excitat Galenus Tom. VIII. p. 513. Et alii quoque mentionem faciunt ejus librorum *de Naturâ*: de quibus alia etiam cognosci possunt ex Fabricio Bibl. Gr. Vol. I. p. 239, et Bruckero Historiâ Crit. Philos. Tom. I. p. 462. Nos vero sequamur Aristotelem, auctorem et antiquum et gravem, qui, ab initio disputationum, fere antiquorum sententias referre solet, atque hoc nomine in praecipuis fon-

Sect. I. Ionici. Thales.

Sect. I Ionici. Thales.

tibus Historiae Philosophicae celebrandus est. Hic igitur *de Animâ* lib. I. cap. II. §. 22. inquit: *ἔοικε δὲ καὶ Θαλῆς ἐξ ὧν ἀπομνημονεύουσι, κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη ψυχὴν ἔχειν ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ·* i. e. „ *Videtur vero etiam, ex iis quae de eo memorantur, Thales putasse, animam esse quiddam movendi vi praeditum; siquidem dixit lapidem (s. magnetem) animâ esse praeditum, quia ferrum moveat.*" Iam videtis, Clarissimi Viri, quo numero habenda sit illa, quae fertur, Thaletis sententia de Animorum immortalitate, siquidem existimare debemus ex Aristotele, gravissimo et antiquissimo eorum qui de Thalete prodiderunt. Quare ita statuamus: Thaletem Animae movendi vim tribuisse; cumque ex hâc movendi vi alii postea Philosophi immortalitatem duxissent, factum esse ut Thaleti non solum illud tribueretur, quod diserte statuerat, Animam habere vim movendi, sed illud etiam quod inde consequi videbatur, Animam esse immortalem. Ceterum ex verbis Aristotelis apparet, eum Thaletis sententiam non ex ipsius scripto sed ex famâ memorasse; quo magis intelligitur verisimile esse quod monuit Simplicius, Aristotelis aetate nullum Thaletis scriptum exstitisse.

Neque vero hoc eo valet, ut arbitremur, sententiam immortalitatis a Thalete aut neglectam prorsus aut repudiatam fuisse. Immo etiamsi eam non peculiariter ac disertis verbis celebravit, tamen

men tenuisse eam et probasse affirmamus. Primum enim, minime nova erat illâ aetate sententia immortalitatis, sed dudum prodita, vel in Mysteriis, vel a Theologis et Poetis. Deinde non modo non repugnare doctrinae, s. systemati, Thaletis, sed cum eâ convenire, atque adeo locum in eâ habuisse, videtur. Nam hoc quidem constat, auctore Aristotele, loco laudato, Thaletem statuisse *animam habere vim movendi*, id est, ut cum recentioribus loquar, *eam habere principium agendi ipsam in se.* Porro statuit *eam non esse corpus*; quod patet ex eodem capite Aristotelis §. 29. ubi, ut de aliis, ita de Thalete dicitur, *eos Animae naturam tribus proprietatibus definivisse*; *κινήσει*, id est *actione propriâ*: *αἰσθήσει*, *sensu*: *ἀσωμάτῳ*, *absentiâ corporeae concretionis.* Atqui, si Anima movendi vim habet, neque corporeae est naturae, nulla ratio apparet quare cum corporis morte intereat. Deinde, ut est apud eundem Aristotelem de Animâ lib. I. cap. VIII. statuit omnia plena esse Deorum, propterea quod Anima in universo permixta esset: quod confirmatur auctoritate Ciceronis de Legib. II. 11: et Diogenis Laert. I. 27: ad quos locos consulendi sunt interpretes, Davisius et Menagius. His omnino addendum est luculentum testimonium Stobaei Eclog. Phys. I. p. 2. *Θαλῆς, νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεὸν· τὸ δὲ πᾶν ἔμψυχον ἅμα καὶ δαιμόνων πλῆρες· διήκειν δὲ καὶ διὰ τοῦ στοιχειώδους ὑγροῦ δύναμιν θείαν κινητικὴν αὐτοῦ·* i. e. „ *Thales dixit, mundi mentem esse*

Sect. I. Ionici. Thales.

Deum: universum autem animatum et plenum daemonibus esse: et per humorem, qui rerum elementum est, permeare vim Divinam quae illum moveat," Denique a Plutarcho in Septem Sapientum Convivio T. II. p. 163. Thales ita loquens inducitur, ut ei tribuatur ejusmodi sententia: ,, *in maximis et praecipuis Mundi partibus habitare animam, quâ Deus utatur tamquam instrumento; igitur Deum animalibus quoque uti tamquam instrumentis, quippe quae suspensa sint a vi Divina."*

Atque ex his omnibus arbitror colligi, hanc fuisse Thaletis sententiam, *Animas hominum esse partes animae mundi, quae totum universum moveat: igitur non cum corpore exstingui.* Et cum hâc sententiâ congruit alia, quae ipsi tribuitur a scriptore operis de Placitis Philosoph. I. 8. ,, *Thales, Pythagoras, Plato, Stoici, statuunt Daemones esse substantias animatas: esse quoque Heroas, animas quae ex corporibus discessissent, bonos quidem bonas, malos vero malas."* Hoc igitur placitum nihil habet quod conciliari nequeat cum iis placitis, quae Thaleti omnium consensu vindicantur: neque possum assentiri Bruckero, qui Hist. Crit. Phil. T. I. p. 474. suspicatus est, illud a ratione Thaletis abhorrere.

Epimenides.

Eâdem fere aetate exstiterunt duo clari viri, quos silentio praetermittere non possumus. Alter est EPIMENIDES Cretensis, de quo pervulgata fuit fabula, eum per multos annos in Iovis Dictaei

etaei antro dormivisse, et cum Diis immortalibus degisse. Quâ fabulâ nil aliud significavit, judice Maximo Tyrio doctissimo Platonico, Dissert. XVI. §. 1. quam, *Animis nostris hanc vitam esse somnium, nec veram vitam.* Quam sententiam postea celebravit Heraclitus. Alter est PHERECYDES ex Syro insulâ ortus, Pythagorae magister, qui, ut ait Cicero Tusc. I. 16. *primum dixit, quod quidem literis exstet, animos esse hominum sempiternos.* Quod ita accipiendum est, eum primum fuisse eorum qui hanc sententiam diserte literis consignassent. Sed eam an argumentis confirmaverit, et quae fuerint illa argumenta, quum Pherecydis liber perierit et auctores taceant, ignoramus.

Sect. I. Ionici. Thales.

Pherecydes.

Thaletis discipulus fuit ANAXIMANDER, qui, ut quidem perhibet eruditus scriptor Themistius, primus fuit, qui de Rerum natura librum scriberet: Or. XXVI. p. 317. Huic successit ANAXIMENES, cujus nullum scriptum fuisse videtur: neque de Epistolis ad Pythagoram, quae sunt apud Diogenem Laert. II. 4. 5. dubitari debet, quin ex Sophistae officinâ prodierint. Hi de Animâ quidem Thaletis sententiam retinuisse videntur. Nam veteres scriptores, ut fere aliorum, ita horum ea in primis placita memorarunt, quibus a magistris dissentiebant.

Anaximander.

Anaximenes.

Anaximenis discipulus fuit ANAXAGORAS, qui, ut de Divinâ naturâ praeclarius veriusque sensit quam priores, ita de Animorum immorta-

Anaxagoras.

Sect. I. Ionici. Anaxagoras.

litate disertius statuisse videtur. Dicimus, *videtur;* nam certa ejus rei monumenta non exstant. Sint forte quoque, qui negent eum praeclare de hoc loco sensisse. Nam primum quidem Plato eum in Dialogo Phaedone, qui est de immortalitate, reprehendit, quod quum egregie statuisset, Universum a mente gubernari et constitutum esse optimâ ratione, tamen in explicando demonstrandoque hoc placito nil effecerit, quod operae pretium esset; vid. Plat. Phaed. p. 393. Deinde Scriptor de Placitis Philos. IV. 3. et V. 25. ejusmodi Anaxagorae sententias refert, quae Animorum immortalitatem tollant. Sed hae dubitationes facile solvuntur: et quae ex Platonis reprehensione ducitur dubitatio haud difficilem habet responsionem. Hic enim Anaxagoram reprehendit de aliâ re, non de negatâ aut labefactatâ immortalitate: quam si negasset aut labefactasset, Plato, in hoc ipso argumento et in ipsâ Anaxagorae reprehensione versans, illud addere et commemorare non omisisset. Quod autem ex Scriptore de Plac. Phil. repetitur dubium, criticâ animadversione diluitur. Prior locus est IV. 3: *οἱ δ' ἀπὸ Ἀναξαγόρου ἀεροειδῆ ἔλεγόν τε καὶ σῶμα·* i. e. „*Anaxagorei autem dixerunt animam esse aëream et corpus.*" Atqui Stobaeus in Eclog. Physic., qui ex iisdem fontibus sua hausit, *corpus* omittit, ita quidem ut appareat eum habuisse veterem codicem pleniorem: ita enim refert pag. 93. Ἀναξαγόρας, Ἀναξιμένης, Ἀρχέλαος, Διογένης,

νης, ἀεροειδῆ· i. e. „*Anaxagoras*, *Anaximenes*, *Archelaus*, *Diogenes*, *dixerunt animam esse aëream.*" Porro Aristoteles de Animâ I. 2. 29. eum in eorum genere ponit, qui Animam tribus illis proprietatibus definierunt, *motu*, *sensu*, et ἀσωμάτῳ i. e. *absentiâ corporeae concretionis.* Et hoc quidem satis est ad refellendum priorem locum, quo traditur, Anaxagoram dixisse, *animam esse corpus.* Posterior locus operis de Placit. Phil. V. 25. hic est ubi Anaxagorae opinio de somno refertur, et hoc adjungitur, εἶναι δὲ καὶ ψυχῆς θάνατον τὸν διαχωρισμόν· Haec verba torserunt cum interpretes doctos ejus operis, tum Stanlejum Hist. Phil. T. I. p. 104: et Bruckerum Hist. Crit. Phil. T. I. p. 514. Accedit alia difficultas, a viris illis non observata, quod compilator operis de Placitis Phil., qui sub nomine Galeni latet, idem iisdem verbis de Anaxagora prodit, Tom. IV. pag. 437. Edit. Basil. Sed utroque loco aliquid corruptelae subesse, facile vident qui usum habent Graecae dictionis. Neque hoc alius quisquam veterum de Anaxagora perhibuit, neque conciliatur cum reliquis ejus placitis, *separationem esse animae mortem.* Haec enim est sententia horum verborum, quae contra Graecae orationis leges in aliam sententiam interpretari conatus est Bruckerus. Nos vero ipsâ totius loci ratione et connexione in eam conjecturam inducimur, ut putemus, vocem σώματος, quae mox sequitur, a librario vetere omissam

Sect. I. Ionici. Anaxagoras.

Sect. I. Ionici. Anaxagoras.

sam esse, ac scriptorem ita reliquisse, *εἶναι δὲ καὶ τὸν θάνατον ψυχῆς διαχωρισμὸν καὶ σώματος·* i. e. *et vero mortem esse solutionem animae a corpore.* Iam ergo, confutatis dubitationibus istis, videamus ex certioribus monumentis, quae fuerit Anaxagorae sententia. Aristoteles, idem gravissimus et antiquissimus auctor, Libro I. cap. II. de Animâ, haec ejus placita memorat, quae nos Latine referamus: „*Anaxagoras* (inquit §. 9.) *animam dixit esse illud quod moveat; et alii similiter statuunt, quibus quidem placuit Universum moveri a mente.*" Porro (§. 10.) „*Anaxagoras non magnopere mentem ab animâ distinguit: multis enim locis mentem appellat caussam Boni et Recti: aliis vero locis perhibet mentem idem esse atque animam; mentem enim in omnibus animalibus inesse, et magnis et parvis, et vilioribus et honestioribus.*" Deinde (§. 32.) „*Unus Anaxagoras mentem dicit esse expertem patiendi, et nihil commune habere cum reliquis elementis.*" Conjungatur alia Anaxagorae mentio eodem capite §. 21. et Lib. III. cap. V. §. 4. et 12. Denique Stobaeus Eclog. Phys. p. 93. eum in iis ponit, qui statuunt „*mentem extrinsecus in corpus inseri.*" Notandum vero est, *mentem* et *animam*, *νοῦν* et *ψύχην* a Graecis Philosophis ita distingui, ut haec sit pars deterior animi, illa pars praestantior; haec animalis, illa rationalis habeatur. Notandum etiam, abjudicandam esse Anaxagorae a Pseudo-Plutarcho et Sto-

baeo

baeo tributam opinionem, *animam esse ἀεροειδῆ, aëreï generis:* quippe gravior est Aristotelis auctoritas, quâ constat Anaxagoram statuisse, *animam nihil commune habere cum reliquis elementis.* Et illa opinio *de animae aëreâ naturâ* falso ad eum relata est ab aliis, qui in hunc errorem inducti sunt pravâ conclusione, quum cogitarent Anaximenem statuisse *Deum esse infinitum aërem*, Anaxagoram autem ejus discipulum *animas* dixisse *partes Divinae mentis esse.* Verum quidem utrumque: sed perperam inde collegerunt, Anaxagorae, ut Anaximeni, placuisse, Deum esse infinitum aërem, et animas proinde aërii generis esse. Quod si ergo ex iis, quae protulimus, conclusionem ducamus: quod si etiam reputemus, nil monitum esse a Veteribus de dissensu Anaxagorae a Thalete in sententiâ de Animorum immortalitate: hoc omnino videtur ejus placitum fuisse „ *animas et hominum et reliquorum animantium partes esse mentis illius summae et creatricis*, seu *Dei; igitur non cum corpore exstingui.*" Possit quis huc revocare dictum ejus quod est apud Diog. Laert. II. 7. *Interrogatus a quodam*, „ *nullane tibi cura patriae est?*" „ *mihi vero, inquit, et maxima quidem:*" *monstrans digito coelum.* Sed apophthegmatum incerta est fides, et plerumque ad vulgi captum, non ex doctrinâ, seu systemate, pronunciantur. Quare malim, si quid praeterea opus sit auctoritate, discipulum ejus Euripidem, de scenâ Philosophum, adhibere; apud

Sect. I. Ionici. Anaxagoras.

Summa sententiae Anax.

Euripides.

Sect. I. Ionici.

apud quem frequentes sunt sententiae *de animâ post corporis mortem vigente et cogitante.* De quo quidem argumento nobis non dicendum est post egregiam disputationem Valckenarii, viri summi, in Diatribe ad Euripidis Fragmenta cap. VI. p. 54 et seq.

Diogenes Apoll.

Alter fuit Anaximenis discipulus DIOGENES Apolloniates, qui, magistri exemplo, aërem pro rerum principio ac Deo habuit. Itaque et Animam aërem esse statuit: ut diserte testatur Aristoteles de Animâ Lib. I. cap. II. §. 23. „*Diogenes, ut alii quidam, statuit animam esse aërem; quippe qui putaret, aërem esse cum omnium subtilissimum, tum principium: et propterea animam praeditam esse cognitione et motu: cognitione quidem, quia aër omnium primum esset: motu autem, quia aër subtilissima esset omnium rerum.*" Hunc locum non memoravit Bruckerus Hist. Crit. Phil. T. I. p. 517. ubi de Diogenis placitis agit: contra ex Scriptore de Placitis Phil. IV. 5. et V. 15. refert Diogenem statuisse „*Animam habitare in arteriosâ cordis caveâ, quae sit spiritualis: et animalia nasci inanimata, atque insitum calorem, simul atque natum sit animal, animam in pulmones attrahere.*" Horum igitur posterius perperam redditum est; nam nec in Graecis hoc est verbis, et ea ex Pseudo-Galeno corrigenda esse, recte monuit Corsinus, ita ut sensus sit, non *animam* τὴν ψύχην, quod nec in Plutarcho legitur, sed *frigidum* τὸ

ψυ-

ψυχρὸν in pulmonem attrahi. Et cum Pseudo-Plutarchus non significet, cujus Diogenis hae sint opiniones, eaedemque minime abhorreant a Stoicorum doctrinâ, contra quam putavit Bruckerus, ut infra videbimus: haec igitur cum ita sint, arbitror has opiniones potius Diogenis Babylonii Stoici, quam hujus Apolloniatae fuisse. Ergo et ex reliquâ Diogenis doctrinâ et loco Aristotelis colligitur, hanc fuisse illius sententiam, „ *animam, quia movendi et cogitandi vim habeat, partem esse aëris illius, qui principium rerum ac Deus esset; igitur non cum corpore exstingui.*" Sect. I. Ionici. Summa sententiae Diog.

Ultimus in hac Ionicorum successione fuit Socratis magister ARCHELAUS, qui quid peculiariter de hoc argumento senserit, a certis quidem auctoribus non traditum est. Nec tamen repugnem Bruckero, qui ex Pseudo-Origene hanc ei tribuit opinionem, *mentem omnibus innatam esse animalibus; nam et corpora omnia uti mente, alia citius alia tardius:* vid. Origen. Philosophumen. cap. IX. p. 890. Convenit enim hoc cum reliquorum Ionicorum doctrinâ. De Animae vero post hanc vitam statu, non dissensisse videtur a magistro Anaxagora; quippe nec reliqua ipsius placita eum dissentire cogebant, nec Veteres hujus dissensûs mentionem fecerunt. Archelaus.

Itaque, si ex iis, quae hactenus disputavimus, certâ conclusione Ionicorum de Animae post mortem statu opinionem colligere velimus, reperiemus eam huc redire: „ *Animam hominum esse partem* Summa sententiae Ionicor.

men-

Sect. I. Ionici. Archelaus.

mentis illius divinae, quae omnia permearet atque animaret; igitur Animam post corporis mortem superesse propterea quia pars sit illius mentis divinae." De ipsâ vero conditione vitae post hanc mortem, aut nil prodiderunt, aut nil proditum ad nostram memoriam venit. Illud tamen, quamquam non diserte pronunciatum est ab illis, tamen et consequitur et intelligitur ex iis quae pronunciata sunt, *Animabus conscientiam sui et quasi personam constituram, nec eam absumtum iri reditu earum ad divinam naturam.* Ceterum Ionici non, prouti postea Pythagorici et Platonici, Animae immortalitatem tanquam fundamentum doctrinae suae celebrarunt. Sed tamen eam tenuerunt, quippe quae consequeretur ex ipsorum doctrinâ de Principiis naturae, in quâ potissimum elaborabant.

Atque haec quidem, deperditis omnibus Ionicorum scriptis, ex posterioribus auctoribus collecta, et, quoad ejus fieri potuit, ad probabilem fidem adducta sunt.

S E C T. II.

De Pythagoricis Philosophis.

Sect. II. Pythagoras.

Sequitur ut videamus de PYTHAGORA, qui doctrinam de Animorum immortalitate ad summam auctoritatem celebravit. Et quandoquidem vetustissimorum Pythagoreorum de hoc argumento scripta perierunt, et, quae de ipsorum et magistri placitis feruntur, ita turbata sunt a posterio-

ri-

ribus scriptoribus, ut fabulis quam vero similiora videantur; operam dabimus, ut ea, quae ad immortalitatem Animorum pertinent, criticâ ratione delecta, breviter exhibeamus. Primum omnium sectae hujus consilium significandum est ex ipsius origine. Habuit Pythagoras magistros duplicis generis in Philosophiâ; alios, Theologos, Pherecydem et forte Epimenidem: alios, Ionicos Philosophos, vel Thaletem vel Anaximandrum. Atque ex his duabus disciplinis eum suam disciplinam constituisse, haud difficile est ad animadvertendum. Videamus quid inter Theologos et Ionicos intercesserit, atque hoc discrimen patefaciamus ex Plutarcho, prudentissimo auctore, qui ita pronunciat in libro Oraculorum Defectu, Tom. II. pag. 436. „ *Omnino, quum duae sint omnis ortûs caussae, (sc. mens agens et materia patiens) antiquissimi Theologi (sc. Orphici) et Poetae solam praestantiorem celebrarunt, et omnibus rebus explicandis hoc pervulgatum dictum (s. Orphicum) adhibuerunt:* Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ᾽ἐκ πάντα πέλονται· i. e. „ *Principium Iupiter, medium Iovis, omnia ab ipso;" ad naturales autem ac necessarias caussas numquam accesserunt. Qui vero postea fuerunt, et Physici (i. e. Ionici) dicti sunt, a pulcherrimo illo et divino caussarum principio aberrarunt: omnia corporibus eorumque affectionibus, collisionibus, mutationibus, mixtionibus tribuerunt. Quo fit, ut utrorumque ratio imperfecta sit: quum hi (Physi-*

Sect. II. Pythagorae.

Sect. II. Pythagoras.

sici) caussam efficientem ac finalem, illi (Theologi) caussam materialem et instrumentalem, ignorent vel negligant." Igitur Pythagoras utrorumque et bona sequi et mala fugere studuit; ita quidem maxime, ut utroque caussarum genere uteretur. Et a Theologis quidem retinuit Deorum ac Daemonum in rebus humanis vim et efficaciam, eorumque placandorum rationem, divinationem, Animi purgationem, praemia et poenas post hanc vitam: a Physicis autem assumsit naturae explicationem, ut in rerum caussis reddendis non Deum ex machinâ induceret, sed vim rationemque materiae et rerum cogitantium aperiret. Ceterum hac etiam ratione Pythagoras a Thalete diversus fuit: quod hic proprie Physicus fuit, et in rebus existentibus, corporeis, et singularibus versatus est: hic Metaphysicus, et ab universalibus ideis et remotis a corporeâ naturâ notionibus ad interiorem naturae cognitionem proficisceretur. Immortalitatem quidem Animorum a Pherecyde celebratam Ionicorum rationibus accommodavit et confirmavit. Cicero solum nominat Pherecydem: quod, ut jam diximus, Ionici in hoc loco non praecipuam operam posuissent, nec inde famam consecuti essent: „ *Quod literis exstet* (inquit Tusc. I. 16.) *Pherecydes Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos. — Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit.*" Sed Ionicae doctrinae vestigia sponte apparent. Nam Pythagoras, quum statueret esse Animum aethereum igneumve per totam naturam diffusum, hoc simul

mul statuit, *animos rerum cogitantium ex eâdem divinâ naturâ decerptos.* Auctores hujus sententiae habemus cum alios tum Ciceronem: veluti de Senect. 21. „ *audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universâ divinâ mente delibatos animos haberemus.*" De Nat. Deor. I. 11: „ *Pythagoras censuit (Deum) animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur.*" ad quem locum videndus Davisius, qui plura protulit. Non est, quod de Pythagorae doctrinâ de Deo multa dicamus; satis est ad nostrum institutum, *animos esse immortales, siquidem sint partes substantiae divinae:* conferatur Diogenes Laertius VIII. 28. ad eumque locum Menagius. Sed Anima humana non ex solâ substantiâ divinâ constat: nam duas habet partes, meliorem ac rationalem, deteriorem atque irrationalem: ut Pythagorae sententiam memorat Cicero Tusc. IV. 5. et alii quos ibi laudat Davisius. Quibus adjungendus Pythagoreus Timaeus Locrus in libello de Animâ Mundi p. 555. (edit. Platon. Lugdun.) qui ait: „ *animae humanae alia pars est melior, rationalis, intelligens: alia pars deterior, irrationalis, insipiens. Melior est τᾶς ταυτῶ φύσιος, id est ex substantiâ naturae immutabilis sibi semper constantis: ea in capite collocata est, ut ei reliquae partes serviant. Deterior est ἐκ τᾶς τῶ ἑτέρω, id est ex substantiâ naturae mutabilis et inconstantis: ejusque duae* Sect. II. Pythagoras.

 sunt

Sect. II. Pythagoras.

sunt partes: altera irascens, quae circa cor habitat: altera concupiscens, quae circa jecur habitat." Hujus igitur duplicis materiae temperamento et harmoniâ constitutam Animam definiverunt *numero, qui se ipse moveat.* Nam et alias res rerumque principia numeris significabant: Deum quidem, tamquam primam caussam agentem, vocabant *monadem;* materiam vero, tamquam secundo loco positam patientem caussam, appellabant *dyadem* i. e. dualitatem. Ita prodidit Scriptor de Placit. Phil. I. 7. et disertius etiam Diogenes Laert. VIII. 25. qui ejus rei testem laudat Alexandrum Polyhistorem, gravem et antiquum, sed deperditum, Historiae Philosophicae auctorem. Sed non est quare de Pythagoricis numeris alia adferamus: videamus de Animae post hanc vitam statu. Igitur Animae pars melior est immortalis, deterior vero mortalis; non quidem ita, ut post mortem statim exstinguatur, sed ut exstingui tamen possit et post multos annorum circuitus intereat, melioremque partem vivam puramque relinquat: videatur Iamblichus ap Stob. Eclog. Phys. p. 144. et seq. Proclus Comment. in Plat. Tim. p. 311. Ex eâque Pythagoreorum opinione fluxit illud Virgilii egregium dictum Aen. VI. 745.

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque auraï simplicis ignem.

Iam

Sect. II. Pythagoras.

Iam vero Anima ex corpore excedens similitudinem retinet et figuram corporis: ut de Pythagoreis refert idem Alexander Polyhistor apud Diog. Laert. VIII. 31. Et haec figura adhaeret non meliori parti, quae intelligibilis est, sed deteriori, quae crassior est et sub sensus corporis cadit. Ceterum opinionem, de Animâ corporis figuram retinente, quae jam antiquissimis temporibus in vulgi superstitione valebat, Pythagoras non ita simpliciter et ἀφιλοσόφως accipiebat, sed cum doctrinâ suâ conciliabat. Nam primum, hanc Animae partem ex materiâ volebat propterea constare, ut ejus interventu pars melior cum corporibus agere posset. Deinde, haec ipsa deterior et irrationalis atque adeo materialis pars per totum corpus erat distenta, atque ita ejus figuram assumebat: quale postea Democritus, magnus pro illâ aetate physicus, statuit; et ad Philosophiae rationem explicare tentarunt Veteres, quos de hac opinione memorat Editor Libelli Plutarchei de Serâ Numinis Vindictâ pag. 97. et seq. Sed videamus reliqua Alexandri dicta apud Diog. Laertium: „ *anima ex corpore expulsa* (hic enim est sensus verbi ἐκριφθεῖσα, de quo fluctuarunt Aldobrandinus et Bruckerus T. I. pag. 1091) *in terrâ per aërem vagatur, figuram corporis retinens: Mercurium autem custodem esse animarum, et propterea vocari Ductorem, Ianitorem, et Terrenum: quod is adducit animas a corporibus terrâ marique. Et puras quidem in locum altissimum deduci: impu-*

Sect. II. Pythagoras.

ras autem nec puris nec invicem appropinquare, sed a Furiis adstringi vinculis, quae nullo modo perfringi possent." Ita vertendus hic locus, quem nonnullis partibus male cepit Interpres. Neque vero hic unus est status impurarum Animarum, nam migrandum iis est per varia deinceps corpora vel hominum vel animalium, donec temporis constitutum circuitum expleverint. Haec est celebrata illa *Metempsychoseos* nomine Pythagorae opinio, quam frequenter memorant Veteres. Refert ipsius cum Leonte Phliasio colloquium Cicero Tusc. V. 3. quod habet locum qui ad hanc opinionem pertineat, quum ait „ *nos quasi in mercatûs quandam celebritatem ex urbe aliquâ, sic in hanc vitam ex aliâ vitâ profectos esse.*" Quis porro adeo a literis remotus est, ut ignoret nobilem illum Ovidii locum, Metam. XV. 152. quo Pythagoras ad discipulos dicens inducitur.

O genus attonitum gelidae formidine mortis!
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flammâ, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis!
Morte carent animae: semperque, priore relictâ
Sede, novis habitant domibus, vivuntque receptae.
Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridae:

Co-

Sect. II. Pythagoras.

Cognovi clypeum, laevae gestamina nostrae,
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit, errat et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus: éque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.
Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

Locum, quamvis notum, attuli, cum auctoritatis, tum animadversionis, caussâ. Nam primum quidem animadvertendum, eam ab Ovidio tribui sententiam Pythagorae, *vanas esse Poëtarum fabulas de Styge et Inferis.* Assentior, Esoterice ita sensisse Pythagoram: Exoterice ita statuisse, non assentior. Nam et ipse narravit, se apud inferos fuisse, poenasque ac supplicia malorum vidisse: quod apud Diog. Laert. produnt auctores minime contemnendi Hieronymus et Hermippus, VIII. 21. 41. Et Pythagoreos reliquos ab his fabulis non alienos fuisse, videbimus infra, ubi de Empedocle ac Timaeo dicemus. Et prudens scriptor Plutarchus in libro de Genio Socratis T. II. p. 580. notat, „*Philosophiam a Pythagora repletam et quasi inflatam fuisse fabulis, apparitionibus, et superstitione.*" Deinde illud etiam animadvertendum, Ovidium in eo a Pythagorae

Sect. II. Pythagoras.

tentiâ aberrare, quod hanc Animarum per corpora migrationem sempiternam esse statuit, ita ut nullae sint Animae quae aliquando ab eâ cessent. Atqui constat, eam fuisse Pythagorae opinionem, *puras animas non amplius in corpora inclusum iri, sed in altissimum locum vel in deorum genus abituras.* Testes habemus cum alios, tum Alexandrum Polyhistorem supra laudatum, et Auctorem aurei carminis, vulgo ad Pythagoram relati; qui Auctor, quisquis tandem fuit, certe ab antiquitate haud exiguum habet momentum: Ejus haec est sententia in fine carminis:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

i. e. „ *Si autem, relicto corpore, in liberum aetherem perveneris, eris immortalis Deus, sine labe, nec morti obnoxius.*" Denique, ut diximus, auctoritatis caussâ protulimus Ovidii locum: in quâ quidem parte duo sunt probe distinguenda: alterum, *de ipsa opinione Metempsychoseos:* alterum, de illo mirabili Pythagorae commento, quo pronunciavit *se recordari in quibus antea hominum corporibus habitasset.* Ac de hoc quidem commento operae pretium est videre, quâ auctoritate tribuatur Pythagorae. Igitur non putandus est Ovidius ipse hoc, poetarum more, finxisse; quippe fuit haec pervulgata fama, et paulo ante eum Horatius eam secutus erat, Carm. I. Od. 28.

Scri-

Scriptores autem ejus rei antiquissimi, quod quidem constet, Aristotelis fere aequales fuerunt. Sunt quippe deperditi, et ex posteriorum tantum mentione cogniti: Dicaearchus et Clearchus, apud Gellium Noct. Att. IV. 11: et Heraclides Ponticus, apud Diog. Laert. VIII. 4. Priores duo prudentes fuerunt et eruditissimi auctores: posterior ipse quoque magnopere eruditus, sed fabulis ac superstitioni deditus. Apparet ergo, hanc famam fuisse valde antiquam; nec enim sine antiquitatis auctoritate scripto eam prodidissent Dicaearchus et Clearchus; sed, quum non constet, utrum eam retulerint tamquam *quae vulgo feratur*, an tamquam *quae certo referenda sit ad Pythagoram;* non possumus ipsi statuere, tribuendumne sit illud commentum ipsi Pythagorae, an posteriores Scriptores de ipso finxerint. Neutrum abhorret a verisimilitudine. Nam nec Pythagoras omnem ab Institutis suis repudiavit superstitionem, ut supra monuimus. Et similia de suâ ipse transmigratione postea jactavit Empedocles, quae fortasse, ut alia Empedoclis, per errorem posteritatis in Pythagorae nomen translata sunt. Videamus jam de ipsâ opinione *Transmigrationis Animarum*, quam quin tenuerit Pythagoras, nullo modo dubitari debet: adeo constans est totius antiquitatis consensus. Sed an ipse ejus sit inventor nec ne, non satis convenit inter Scriptores. Diog. Laert. inventionis laudem Pythagorae tribuit VIII. 14. πρῶτον τέ φασι τοῦτον ἀποφῆναι, τὴν ψυχὴν, κύκλον

 ἀνάγ-

Sect. II. Pythagoras.

ἀνάγκης ἀμείβουσαν, ἄλλοτε ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζώοις· i. e. „ *Dicunt eum primum pronunciasse, Animam, quum per circulum necessitatis deinceps permeet, variis vario tempore illigari animantibus.*" Ita vertendus hic locus, quem non accurate reddidit Interpres. Herodotus hanc laudem Aegyptiis vindicat: cujus verba Latine referamus: II. 123. „ *Fuerunt quoque primi Aegyptii, qui dicerent, Animam hominis esse immortalem, post corporis vero interitum in aliud deinceps nascens animal immigrare: cumque per omnia terrestria, marina et volucria animalia circuitum fecisset, eam iterum nascentem in hominis corpus immigrare: et hunc ab eâ circuitum confici trium millium annorum spatio.*" Herodoti auctoritatem praeferendam esse auctoritati Diogenis, praesertim testes nullos excitantis, non est dubium. Addit enim ipse Herodotus, tamquam testimonium sententiae suae, „ *Hoc placito, tamquam suo et proprio, quidam Graeci usi sunt, alii antiquiore alii recentiore tempore: quorum ego nomina, quamquam scio, tamen non memoro.*" Sit igitur Herodoti potior sententia; tamen caveamus ne plus ei tribuamus quam ipse voluit. Si quid enim video in Grammaticâ interpretatione, non necesse est, ut hic sit sensus, *Aegyptios singulas has opiniones primum protulisse*; sed *universas ab illis ad hanc doctrinam conformatas esse:* ut adeo illud voluerit Herodotus, „ *Aegyptios primos dixisse, Animam, quum sit immortalis, in alia deinceps cor-*

corpora immigrare atque iterum in humanum corpus redire; et hunc circuitum absolvi trium millium annorum spatio:" et sint Aegyptii non tam Immortalitatis quam Metempsychoseos auctores. Sed hoc, utcumque accipiatur, non magnopere ad hujus quaestionis caput pertinere arbitror. Illud magis quaerere convenit, utrum Esoterica an Exoterica fuerit haec Pythagorae sententia. Mihi quidem Esoterica et ad systema, s. interiorem doctrinam, pertinuisse videtur; quamquam Exotericum quoque usum habuit, veluti ad homines cogitatione status futuri meliores reddendos, et opinione communionis, quae inter hominum brutorumque genus intercederet, ab animalium esu absterrendos. Quare, si cognoverimus quomodo haec sententia cum reliquis Pythagorae placitis conjuncta fuerit, non dubitabimus quin fuerit Esoterica. Est vero ejusmodi conjunctio et consequentia sententiarum : „ *Deus est animus per totam rerum Naturam diffusus: Ipse est omnium primus, caussa efficiens, intelligens: Materia est, secundo loco, caussa patiens, bruta et cogitationis expers: Animae hominum compositae sunt ex parte rationali et irrationali; rationalis desumta est a Dei substantiâ, irrationalis a materiâ. Animae non cum corporibus pereunt: sed partim, ad divinam substantiam, unde venerant, redeunt: partim, poenas solvunt malefactorum, vel apud inferos, vel in aliis corporibus cum hominum tum brutorum: Nam et brutorum animae ex duabus par-*

Sect. II. Pythagoras.

Summa sententiae, quam Pythagoras tenuit.

Sect. II. Pythagoras. *partibus, rationali et irrationali, constant; quippe apparent in eorum factis non tantum iracundia et concupiscentia, sed intelligentia quoque ac ratio. Igitur, rationalis et intelligens Animae pars, postquam purgata fuerit, tandem ex corpore humano ad Deum redibit, eritque ipsa divini generis.*" Et haec quidem sunt, quae, vetustissimorum Auctorum fide, Pythagorae tribui possint. Nam potest illa sententia aliis quoque rationibus ad majorem verisimilitudinem explicari: sed hoc a posterioribus demum, in primis a Platone, factum est. Et quae in hanc rem a recentioribus Veterum, veluti Iamblicho et similibus, dicta sunt, noluimus promiscue adhibere huic disputationi; quandoquidem constat, eos Pythagorica et Platonica placita confudisse. Itaque satis apparere arbitror, quae fuerit Pythagorae sententia, et quibus partibus ab Aegyptiorum ratione dissenserit.

Pythagorei. Expositâ ipsius Pythagorae sententiâ, videamus breviter de discipulis ejus ac successoribus.

Alcmaeon. ALCMAEON, Crotoniates, qui juvenis senem Pythagoram audivit, primus Φυσικὸν λόγον, i. e. *librum de naturâ rerum*, scripsisse dicitur a Favorino apud Diog. Laert. VIII. 83. et Clemente Alexandrino Stromat. VIII. p. 308. Quod ita videtur accipiendum, *ut ex Pythagoreis hic primus fuerit, qui talem scriberet librum*; siquidem vera sunt quae supra observavimus de Pherecyde et Anaximandro, qui idem argumentum scripto mandasse dicuntur. Ex hoc libro servatus est locus de

de Animae immortalitate. Dictum Alcmaeonis memoratur a Diogene Laertio VIII. 83. ἔφη δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον, καὶ κινεῖσθαι αὐτὴν συνεχῶς ὡς τὸν ἥλιον· i. e. „ *dixit etiam animam esse immortalem et semper moveri, ut Solem.*" Consentit Stobaeus Eclog. Phys. p. 93. *Alcmaeon Animam dicit esse naturam, quae se ipsa moveat et semper moveatur: propterea eam immortalem et Diis simillimam esse putat.*" His duobus auctoribus solis nititur Bruckerus Hist. Crit. Phil. T. I. p. 1133: quorum fides profecto non ab omni parte firma haberi potest, quum ipsi hujus sententiae nullos adducant testes. Quare confirmemus eam graviorum Scriptorum testimoniis. Aristoteles de Animâ Lib. I. Cap. II. §. 25. παραπλησίως δὲ τούτοις καὶ Ἀλκμαίων ἔοικεν ὑπολαβεῖν περὶ ψυχῆς· φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις· τοῦτο δὲ ὑπάρχειν αὐτῇ, ὡς ἀεὶ κινουμένῃ· κινεῖσθαι δὲ καὶ τὰ θεῖα ἅπαντα συνεχῶς ἀεὶ, σελήνην, ἥλιον, ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον· i. e. „ *Similiter his de Animâ sensisse videtur Alcmaeon: dicit enim eam esse immortalem, propterea quod similis sit immortalibus: idque in eo positum esse, quod semper moveatur; nam et Divina omnia continuo semper moveri, Lunam, Solem, stellas, et totum coelum.*" Boëthus, cujus locum memorat Porphyrius apud Eusebium Praep. Euang. XI. p. 555. εἰς ὅπερ ἀπιδὼν καὶ ὁ Κροτωνιάτης φυσικὸς εἶπεν ἀθάνατον αὐτὴν οὖσαν, καὶ πᾶσαν ἠρεμίαν φύσει φεύγειν, ὥσπερ τὰ θεῖα τῶν σωμάτων· i. e. „ *Huc etiam*

Sect. II. Pythagorei. Alcmaeon.

Sect. II. Pythagorei. Alcmaeon.

etiam respiciens Crotoniates Physicus dixit, Animam esse immortalem, et naturâ suâ omnem quietem fugere, prouti Divina corpora." Theodoreti verba, memorata Menagio ad Diogenem Laertium, supra in Thalete monuimus corrupta esse: quod idem nunc monendum de parte eâ, quae ad Alcmaeonem pertinet: Ἀλκμὰν δὲ αὐτὴν αὐτοκίνητον εἴρηκεν· Legendum Ἀλκμαίων: i. e. „ *Alcmaeon autem dixit Animam vi praeditam esse se ipsam movendi."* Ceterum hanc Alcmaeonis sententiam pervertit, ut solet, Vellejus Epicureus apud Ciceronem Nat. Deor. I. 11: et reprehendit Clemens Alexandrinus in Protreptico p. 43. D.

Haec de Alcmaeone. Nam qualem statum Animae post hanc vitam informaverit, non proditum reperimus; ut haud vana sit conjectura, eum non à Pythagorâ dissensisse.

Hippasus.

Nec video, quare non eandem conjecturam sequar de HIPPASO, Metapontino, qui ipse quoque Pythagoram audivit. Ceterum ejus doctrina magnopere consensit cum Heracliteâ, quae fuit patrona immortalitatis. Videatur Bruckerus T. I. p. 1136.

Empedocles.

Magnum est nomen EMPEDOCLIS, qui Pythagoream doctrinam carminibus illustravit et ad plurimorum notitiam celebravit. Sunt, qui eum auctorem esse velint aureorum Carminum, quae ipsius Pythagorae nomine feruntur: de quo non statuimus. Sed, ut reliqua ejus Opera perierunt, ita satis fragmentorum superest, unde Viri senten-

tentia cognoscatur. Hunc forte quis putet Animum mortalem statuisse, inductus loco Ciceronis Tusc. I. 9. „ *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem.*" At hoc non de ipso Animo, sed de ejus sede, accipiendum esse, erudite ostendit Davisius ad illum locum. Et vero cum ipsius reliqua doctrina tum superstites Carminis partes evincunt, eum in primis vindicem immortalitatis fuisse. Nam primum quidem in eo consensit cum Pythagora, *Animam nostram esse partem divinae substantiae.* Audiamus Sextum Empiricum Adversus Math. L. IX. §. 127. „ *Pythagoras, Empedocles, et reliqua multitudo Italicorum, dicunt, non solum esse nobis inter nos aliquam et cum Diis conjunctionem, sed etiam cum brutis animantibus; Esse enim unum spiritum, qui animae instar totum Mundum pervadat et nos cum iis conjungat.*" Ad quem locum consulendus est doctissimus Interpres. Hinc sequebatur, *Animos et antea fuisse, et postea futuros: nec quidquam interire, tantummodo mutari res, congregatione vel segregatione partium;* quod diserte testatus est versibus iis, quos servavit Plutarchus in Libro Adversus Colotem T. II. p. 1111. F. et 1113. D. *Sed, ut Anima, quum apud Deos degeret, ab iis in generationem et corpus veniat, caussa est peccatum, cujus luendi caussâ ex coelo in exilium Terrae ejicitur, ibique per multa corpora migrans, diuturno aevi spatio in coelum tamquam in patriam redit:* Atque ita ipse prodebat

Sect. II. Pythagorei. Empedocles.

Em-

Sect. II. Pythagorei, Empedocles.

Empedocles, *se exulem in Terrâ degere.* Locus exstat apud Plutarchum in Libro de Exilio T. II. p. 607.

Ἔστι ἀνάγκης χρῆμα θεῶν ψήφισμα παλαιόν,
Εὖτέ τις ἀμπλακίῃσι φόνῳ φίλα γυῖα μιήνῃ.
Δαίμονες οἵτε μακραίωνες λελόγχασι βίοιο,
Τρὶς μὶν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλάλησθαι·
Τῇ καὶ ἐγὼ νῦν εἰμὶ φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης·

i. e. „ *Est hoc Necessitatis Fatum, Deorum antiquum decretum: ut, si quis Daemonum, qui longam vitae aeternitatem sortiti sunt, se ipse peccato, caede, inquinaverit, is triginta millia annorum, exul beatorum concilio, oberret. Ita et ego nunc a Diis exul oberro.*" Quae proxima sunt Plutarchi verba explicationem habent hujus opinionis ductam ex ipsius Empedoclis aliis locis; quod vulgo non attenderunt Interpretes. Quare adferamus ea: „ *Non se ipsum modo, sed ab ipso omnes reliquos homines, hic peregrinos et exules esse pronunciat. Nam dicit: Non sanguis vobis, o homines, non spiritus admixtus, substantiam ortumque Animae praebuit: sed ex his corpus concretum est terrenum. Nativitatem autem Animae, quae aliunde huc venit, leniore nomine peregrinationem vocat: re verâ autem exulat et oberrat, Divinis Decretis Legibusque agitata.*" Alium excitemus locum Empedoclis ex eodem Plutarcho de Iside et Osiride T. II. pag. 361.

361. C. Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ δίκας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας ὧν ἐξαμάρτωσι καὶ πλημμελήσωσιν· Sect. II. Pythagorei Empedocles.

Αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος ποντόνδε διώκει,
Πόντος δ' ἐς χθονὸς οὖδας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐσαῦθις
Ἠελίου ἀκάμαντος, ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις·
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, στυγέουσι δὲ πάντες·

ἄχρις οὗ κολασθέντες οὕτω καὶ καθαρθέντες, αὖθις τὴν κατὰ φύσιν χώραν καὶ τάξιν ἀπολάβωσι· Quae ita vertit Xylander: „*Empedocles genios etiam poenas peccatorum delictorumque luere affirmat:*

In mare namque illos adigit vis aetheris urgens,
Exspuit in terrae pontus sola: terraque in almi
Lampada propellit solis: sol aetheris illos
Vorticibus celer immittit. Sic ordine longo
Unus post alium exosos scelerum excipit ultor.

Donec suppliciis expiati ac lustrati pristinae Naturae locoque suo restituantur." Idem Poetae locus a Plutarcho in alio libro profertur, T. II. p. 830. Atque forte hinc Virgilius duxit illam in variis elementis purgationem Animae, Aen. VI. 740.

aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

His alia Empedoclis dicta de Animarum in corpora lapsu addere in promtu est: veluti apud Clementem Alexandr. Strom. L. III. p. 537. B. et

Sect. II. Pythagorei. Empedocles.

L. IV. p. 479. C. et apud Hieroclem in Commentario in Aurea Carmina Pythag. p. 248. Sed haec significasse satis est. *Animam vero non solum in brutorum corporibus, sed in plantis, oberrare*, neque hoc suo exemplo intestatum reliquit. Ita est in dicto ejus, quod memorarunt cum alii tum Diogenes Laertius VIII. 77: *καὶ τὴν ψυχὴν παντοῖα εἴδη ζώων καὶ φυτῶν ἐνδύεσθαι· φησὶ γοῦν*

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε
Θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς·

i. e. „*Et statuit, Animam variorum animalium plantarumque corpora ingredi: ait enim*

Nam, memini, fueram quondam puer atque puella
Plantaque et ignitus piscis, pernixque volucris."

Ceterum, *Animas eorum, qui bene pieque vixerunt, ad Deos redire eorumque commercio ac consuetudine uti*, disertis pronunciavit verbis, quae servavit idem doctissimus Patrum Clemens Alexandrinus Strom. L. IV. p. 534. C. *Φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἐμπεδοκλῆς τῶν σοφῶν τὰς ψυχὰς θεοὺς γίνεσθαι, ὧδέ πως γράφων·*

Εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ
Καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται·
Ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι·

i. e. „*Dicit autem Empedocles, sapientum animas Deos fieri, ita scribens:*

Post-

Postremo vates, et qui hymnos carmine cantant,
Et medicique, ducesque viris mortalibus adsunt.
Hinc existunt Dii, sunt quorum maxime honores."

Sect. II. Pythagorei. Empedocles.

Atque, ut viri sapientes, vates, poetae, medici, civitatum gubernatores, in Deorum genus abeunt, et adeo Dii fiunt, ita *reliqui homines, qui juste sancteque vixerunt, fiunt convivae Deorum:* ut est apud eumdem Clementem Alex. Str. L. V. p. 607. B. ἢν δὲ ὁσίως καὶ δικαίως διαβιώσωμεν, μακάριοι μὲν ἐνταῦθα, μακαριώτεροι δὲ μετὰ τὴν ἐνθένδε ἀπαλλαγὴν, οὐ χρόνῳ τινὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἔχοντες, ἀλλὰ ἐν αἰῶνι ἀναπαύεσθαι δυνάμενοι,

Ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι· ἔν τε τραπέζαις
Ἐόντες ἀνδρείων ἀχέων ἀπόκληροι ἀπηρεῖς·

ἡ φιλόσοφος Ἐμπεδοκλέους λέγει ποιητική· i. e. „*Quod si vero etiam sancte justeque vitam peregerimus, erimus cum hic beati, tum illic beatiores post mortem, participes beatitudinis, non tempore sed aeternitate, quiescentes, convivae reliquorum Deorum mensis accumbentes, liberati et immunes ab humanis calamitatibus: ut est in philosophico Empedoclis carmine."*

Summa sententiae Emped.

Ex his igitur apparet, Empedoclem Pythagorae quidem placita tenuisse, in explicanda vero conditione et ratione vitae futurae et Metempsychoseos nil magnopere novi attulisse, magis poetam quam philosophum egisse, et veluti in loco poeticae licentiae accommodato exultasse; ut pro-

Sect. II. Pythagorei. Empedocles.

bemus docti scriptoris, Simplicii, judicium, qui in Comment. ad Aristot. de Coelo p. 129. dixit, *Empedoclem docuisse μυθικώτερον ὡς ποιητής, fabulosius ut poetam.*

Philolaus.

PHILOLAUS, Crotoniates, cui tribuitur inventio systematis, quod a Copernico celebratum est, magnus fuit in omni doctrinae genere vir, multaque scripta reliquit, quae postea Plato coëmisse dicitur. Haec quamquam ad unum omnia perierunt, non tamen est, quod dubitemus, quin de Animae immortalitate et migratione prodiderit. Nam et ipsa res verisimilis est, et conjecturam confirmat ejus mentio, quae exstat apud Clementem Alex. Str. III. p. 433. A. ἄξιον δὲ καὶ τῆς Φιλολάου λέξεως μνημονεῦσαι· λέγει γὰρ ὁ Πυθαγόρειος ὧδε· Μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις, ὡς διά τινας τιμωρίας ἁ ψυχὰ τῷ σώματι συνέζευκται, καὶ καθάπερ ἐν σώματι τούτῳ τέθαπται· i. e. „*Operae vero pretium est memorare sententiam Philolai. Ita enim pronunciat Pythagoreus ille: Testantur autem veteres quoque Theologi et Vates, animam luendae poenae caussâ conjunctam esse cum corpore, et in corpore veluti sepulchro sepultam esse.*" Ex ejus libro *de Animâ* fragmentum egregium servavit Stobaeus Eclog. Phys. Lib. I. p. 44. sed minus illud ad nostram disputationem accommodatum, quippe est de Animâ mundi, non de Animâ hominis.

Ocellus.

OCELLUS, Lucanus, quoque in hac scholâ excelluit; cujus an sit libellus *de Naturâ Universi*

ver-

versi, qui hodieque ejus nomine fertur, sunt qui dubitent. Mihi quidem nil in eo esse videtur, quod ab illâ aetate et personâ Ocelli alienum sit, exceptâ Dialecto: quam si a recentiore quodam homine ex Doricâ in communem versam esse dicamus, nil profecto dicamus, quod a verisimilitudine abhorreat. Ceterum de Animae immortalitate nulla magnopere est in libello mentio; nisi forte quis Caput secundum cum loco Philolai de Mundi Animâ comparare et ad hoc argumentum torquere velit. Minus quidem obscura, nec tamen satis manifesta, hujus sententiae vestigia exstant in loco non integro ejusdem Ocelli ex Libro deperdito *de Lege:* quem locum servavit Stobaeus in Eclog. Phys. L. I. p. 32. Argumentum eo redit, „*Animam, quia semper moveatur, Divinitatis esse participem, et propterea Caussae et Gubernatricis auctoritatem obtinere.*"

Sect. II. Pythagorei. Ocellus.

TIMAEUS quoque, Locrus, nobilitatus est cum suâ doctrinâ, tum Platonis studio, qui illius libello, *de Animâ Mundi*, suum ipse de hoc argumento Dialogum accommodavit ac Timaei nomine inscripsit. Ejus placitum de duabus Animae partibus, Divinâ ac Terrenâ, supra memoravimus, quum de Pythagorâ diceremus. Sed hoc repetere nil attinet. Illud minime praetermittendum est, quid *de poenis post hanc vitam* senserit. Nam de hac opinione ita pronunciavit, ut *eam non ipse pro verâ habuisse, sed ad terrendos malos inventam*, putasse videatur. Excitemus

Timaeus.

Sect. II. Pythagorei. Timaeus.

mus locum Latine versum, quippe longiorem; interjectâ unicâ observatione ad emendandam corruptam vocem Graecam. „ *Quod si vero quis durus et contemtor legum fuerit; is cum coërcendus erit poenis Legum, tum terrendus iis terroribus, per quos et a superis et ab inferis poenae denunciantur inexpiabiles improbis mortuis, aliaeque calamitates portenduntur: quas Ionicus poeta, Homerus, scelestos perpeti fingit* (ἐκ παλαιᾶς ποιεῦντα τὼς ἐναγέως· plerique Editores mendum subodorati sunt, novissimus vero eorum Batteuxius de hoc ne suspicatus quidem est: puto corrigendum ἐκπλᾶσαι ποιεῦντα i. e. *perpeti fingentem*). *Cujus ego consilium magnopere laudo. Nam, ut corpora sanamus asperis ac duris remediis, nisi vis morbi lenibus ac mollibus remediis cedere velit: ita quoque Animi falsis opinionibus coërcendi sunt, nisi veris sanisque obtemperent rationibus. Itaque necessario commemorandae sunt novae et inauditae poenae; Animas nimirum eorum in alia corpora immigrare; timidorum et delicatorum in corpora mulierum ad turpitudinem prostitutarum: crudelium vero et sanguinariorum Animas in corporibus ferarum punitum iri: libidinosorum, in formas suum vel aprorum: levium et vanorum, in avium volucrium species: pigrorum, inertium, imperitorum, stultorum Animas in piscium genus abire. Haec omnia in secundo Animarum circuitu a judice Nemesi decerni: quae ipsa ad hoc officium adhibeat terrenos daemones, vindices peccatorum,*

rum, rerum humanarum inspectores, quibus Deus, omnium supremus, administrationem tradidit mundi compositi ex Diis, hominibus, et reliquis animalibus; quae omnia facta sunt ad optimam imaginem formae increatae et aeternae." Quis non putet, Timaeum Metempsychosim posuisse in fabulis, quae ad coërcendos vulgi animos inventae essent? Atque ita statuerunt non tantum alii, quos sequuntur nuperrimi Gallici Interpretes Dargensius ac Batteuxius, sed qui hos doctrinâ multum superat Bruckerus Hist. Crit. Phil. T. I. p. 1093. Mihi vero aliter videtur. Nam primo, supra ostendimus, doctrinam de Metempsychosi apud Pythagoreos, non tantum Exotericam, sed Esotericam quoque fuisse, eamque a Platone et posterioribus probatam, subtilioribusque etiam rationibus confirmatam esse: quas verisimile est Platonem ex deperditis Pythagoreorum scriptis hausisse. Et si quis forte nobis opponere velit Aristotelem, qui opinionem *de Animâ in quodvis corpus ingrediente* vocat *Fabulas Pythagoreorum*, de Anim. Lib. I. Cap. III. §. 25: nos hunc locum ita accipere debemus, ut Aristoteles, non, ut Pythagorei hanc opinionem pro fabulâ habuerint. Deinde, quum ipsa Timaei verba diligenter considero et ad Grammaticam interpretationem exigo, reperio, *falsas opiniones* dici, non Metempsychosim, sed Homeri figmenta de Inferis. Nam Timaeus, laudato demum Homero, progreditur ad Metempsychosim, his verbis: λέγοιντο δ' ἀναγκαί-

Sect. II. Pythagorei. Timaeus.

Sect II. Pythagorei. Timaeus. καλως καὶ τιμωρίαι ξέναι etc. i. e. *Dicantur vero etiam necessario novae poenae.* Itaque hic transitus distinguit antecedentia a sequentibus. Denique animadvertenda est significatio vocis ἀναγκαῖος, quae late patet, nec tantum complectitur illud *ad quod faciendum cogimur*, sed illud etiam *ad quod statuendum ipsa vi veritatis ducimur.* Ut adeo sensus sit, *dicantur vero etiam ex re et veritate novae poenae.*

Sed quid reliquos deinceps Pythagoreos, celeberrimos homines, enumerem, quorum cum scriptis dicta quoque de Animae immortalitate perierunt? quam quidem sententiam ab iis et retentam et illustratam fuisse, non est quod dubitemus. Defungamur Theanus, uxoris Pythagorae, sententiâ, quae exstat apud Clementem Alexandrinum

Theano. Stromat. L. IV. p. 492. A. Θεανὼ γὰρ ἡ Πυθαγορικὴ γράφει· Ἦν γὰρ τῷ ὄντι τοῖς κακοῖς εὐωχία ὁ βίος, πονηρευσαμένοις, ἔπειτα τελευτῶσιν, εἰ μὴ ἦν ἀθάνατος ἡ ψυχή· i. e. „*Theano Pythagorica scribit: Esset enim re verâ vita convivium improbis, qui moriuntur postquam omni malitiae dediti fuerunt; nisi anima esset immortalis.* Igitur videmus, hoc etiam immortalitatis argumentum apud eos valuisse, quod ducitur a Providentiâ Divinâ, quae bonis praemia, malis poenas, post hanc vitam statuisset.

Epicharmus. Neque tamen praetermittendi sunt nobis alii ex eâdem scholâ Poetae, qui hanc sententiam carmine

ne prodiderunt. Primus sit EPICHARMUS, patriâ Côus, sed Siculus appellatus, quod juvenis in Siciliam delatus, ibi sapientiae laude floruisset. Hic ex Pythagorae scholâ profectus, quum nefas haberetur illius placita vulgare, invenit novum poeseos genus, quod Comoediae nomine celebratum est: ejusque poeseos opportunitate usus, Philosophiam in Theatro exhibuit. Statuit, *omnem, non tantum cogitandi, sed et sentiendi vim in solo Animo positam esse: Corpus ipsum ejusque sensus nil sentire.* Dictum ejus frequentatum est ab Antiquis: Νοῦς ὁρῆ καὶ νοῦς ἀκούει, τ' ἄλλα δὲ τυφλὰ καὶ κωφά· i. e. „ *Mens videt, Mens audit, reliqua sunt caeca et surda.*" Vid. Plutarch. T. II. p. 336. B. Huc respexit Cicero Tusc. I. 20: „ *ut facile intelligi possit, Animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint animi:*" ad quem locum consulendus est Davisius. Reprehendit illam opinionem Lucretius, III. 36.

Sect. II. Pythagorei. Epicharmus.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos Animum ut foribus spectare reclusis,
Desipere est.

Huic igitur placito consequens erat, *ut Animus ad vivendum adeo non corpore opus haberet, ut post illius mortem in Aetherem abiret ibique vigeret.* Verba Poetae, quibus haec sententia continetur, servavit Plutarchus in Consolatione ad Apollonium T. II. p. 110. A. Καλῶς οὖν ὁ 'Επίχαρ-

Sect. II. Pythagorei. Epicharmus.

μος, Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆνθεν ὅθεν ἦνθε πάλιν· γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ᾽ἄνω· τί τῶνδε χαλεπὸν; οὐδὲ ἕν· ita enim bene hunc locum constituit Th. Gatakerus ad M. Anton. p. 225. qui plura aliorum in eandem sententiam collegit. Addamus aliud simile dictum servatum a Clemente Alexandrino, Stromat. L. IV. p. 541. C. ἄγαμαι τὸν Ἐπίχαρμον, σαφῶς λέγοντα· Εὐσεβὴς νῷ πεφυκὼς οὐ πάθοις γ᾽ οὐδὲν κακὸν κατθανών· ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ᾽ οὐρανόν· i. e. „*Placet mihi Epicharmus dicens: Si fueris animo pius, nil mali patieris mortuus, nam spiritus supra in coelo permanet.*"

Pindarus.

PINDARUM quoque Pythagoricam philosophiam secutum esse, constat cum ex ipsius scriptis tum aliorum testimoniis, in quibus sunt ubi diserte Pythagoreus vocatur: veluti apud Clementem Alexandr. Strom. L. V. p. 598. B. Quare non possumus facere, quin de eo dicamus, uti de Euripide quoque diximus: quamquam neutri vulgo in Philosophis locus datur. Ejus fuit in primis unum Carminis genus ad consolandos defunctorum amicos compositum, Θρῆνοι dictum, in quo plurimas de Immortalitate sententias prodidit. Atque hoc est genus, de quo Horatius in divinâ illâ Ode II. Libri IV. canit:

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet orco.

Sed

Sed ipsum Pindari in hoc genere opus quum perierit, colligamus quaedam ejus fragmenta, quae ad hanc sententiam pertinent. Et primo quidem, *hominum ac Deorum genus ex eadem origine prognatum*, ait in loco, quem servavit Clemens Alex., supra notato: "Εν ἀνδρῶν, ἓν Θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ ματρὸς πνέομεν ἄμφω τῆς ὕλης· i. e. „ *Unum est, et hominum et Deorum, genus; et ex unâ materiâ, tamquam matre, utrique spiritum ducimus.* Deinde *Animae migrationem* celebravit, ut testis est Plato, qui ejus verba excitavit in Menone p. 16: quem nos locum Latine referamus: *Pronunciant poetae, qui quidem divini sunt, et in iis quoque Pindarus, Animam hominis esse immortalem, et modo abire ex hac terrâ, quod vulgo* MORI *vocamus, modo iterum redire in terram, quod* NASCI *appellamus, numquam vero interire: et propterea sancte justeque vitam esse degendam. Nam, ut ait Pindarus, a quibus Proserpina poenas exegerit antiqui peccati, post novem annos animos eorum denuo in vitae restituit lucem: inde nascuntur reges praeclari, fortes viri atque sapientes, quosque mortalis turba veneratur, Genii et magnanimi heroes.*" Multi exstant alii Poetae loci, ubi piorum felicitatem impiorumque supplicia, poetico more, describit: quos locos non referamus, sed notemus. Videatur igitur Ode Olympica II: Fragmentum apud Plutarchum T. II. p. 120: et apud Clementem Alexandr. Strom. L. III. p. 433. B. L. IV. p. 541. D.

Sect. II. Pythagorei. Pindarus.

Quae

Sect. II. Pythagorei.

Quae fere imitando expressit Virgilius in libro sexto Aeneidis.

Aeschylus.

Dicitur etiam Pythagoreus fuisse AESCHYLUS, Tragicus, ut est apud Ciceronem Tusc. II. 9: de quo non est quod dicamus; quandoquidem, magis etiam quam Pindarus, in hoc argumento vulgarem opinionem et Poetarum morem secutus est.

Cercops.

Constat Pythagoreos in primis fuisse Orphei studiosos, ad ejusque auctoritatem multa ex suis placitis retulisse. Atque in hoc genere fuit CERCOPS, qui sub Orphei nomine carmen conscripsit, de ejus *Descensu* ad *Inferos:* quo in carmine poeticae fabulae cum Pythagoreâ doctrinâ conjunctae fuisse videntur. Conferatur Cicero de Nat. Deor. I. 38. Clemens Alexand. Strom. L. I. p. 333. A. Fabricius Bibl. Graec. T. I. p. 119, 120.

Summa sententiae Pythagoreorum.

Itaque si ex sententiis dictisque Pythagoreorum, hactenus commemoratis, universae illius sectae placitum de Animarum Immortalitate constituere velimus; reperiemus illud fluxisse ex iisdem principiorum fontibus, quibus Ionici utebantur, a quibus Pythagorëi in aliis quidem partibus dissenserunt, in hac fere cum iis consenserunt: *Deum esse caussam et efficientem et materialem Animarum, igitur et Animas permanere post mortem, quia originis essent praestantioris quam corpora et Divinae, et quia ipsae se moverent actionumque principium in se haberent: Totam rerum na-*

tu-

turam esse animatam et permeari a substantiâ Divinâ; cujus quasi partes essent Animae nostrae. Ceterum de statu et conditione futurae vitae, nil fere Ionici, multa Pythagorei prodiderunt; *transmigrationem quippe Animarum per varia corpora animalium, reditumque ad Divinum fontem statuerunt: eique sententiae Poetarum de Inferis fabulas accommodarunt.* Porro, *rationem illam antiquissimam, et a Providentiâ Divinâ ductam, huic placito adhibebant, bene maleque factorum praemia poenasque post hanc vitam statutas esse.* Credibile est haec placita subtilius explicita confirmataque fuisse a Pythagoreis: sed rationum notitiam, cum ipsis eorum scriptis, temporum nobis injuria praeripuit. Sect. II. Pythagorei.

S E C T. III.

De Eleaticis Philosophis.

Ex Pythagorae disciplinâ quaedam quasi propago exstitit secta Eleatica: cui nomen inditum est ab Eleâ, Graecâ Italiae urbe, quam Latini Veliam dixerunt. Auctor ejus sectae fuit XENOPHANES, ex Ioniae urbe Colophone in Siciliam ac Pythagorae disciplinam delatus, quum antea Anaximandrum audivisset; ut quidem haud sine verisimilitudine perhibetur. Nam ex utriusque sectae placitis novam ipse doctrinam confecisse videtur, quae paulatim deinceps ab ejus successoribus ad lo- Sect. III. Eleatici. Xenophanes.

Sect. III. Eleatici. Xenophanes.

Ionicam et Physicam rationem traducta est. In primis in eo placito confirmando elaboravit, *Omnia esse unum;* in quo eum studio Parmenides ac Zeno secuti sunt. De Animâ quid senserit, non satis constat. Unam reperio brevissimam hujus rei mentionem apud Diogenem Laertium IX. 19. „*Animam esse πνεῦμα*": quae vox non accipienda est ex usu Alexandrinorum et Christianorum, qui postea invaluit. Neque etiam apertum est, nec monuit Diogenes, quid Xenophanes voce πνεῦμα significaverit. Ceterum, quum cogito de convenientiâ Xenophanis cum Ionicis, et cum Heraclito ac Stoicis, qui Animam similiter definiverunt; videtur mihi πνεύματος nomine significasse, motum aëris, seu naturam ex Universi Animâ decerptam, movendi facultate praeditam: ut adeo huic placito consequens fuerit *Animam non cum corpore interire.* Diserta quidem de Immortalitate sententia Xenophanis non exstat, et ex multis ejus de Philosophiâ carminibus non nisi paucissima fragmenta servata sunt.

Parmenides.

Hujus discipulus PARMENIDES acceptam a magistro doctrinam paucis locis immutavit, ceterum ipsius exemplo carminibus illustravit: quorum nulla pars integra ad nostram venit aetatem. Sed nos, omissis reliquis Viri placitis, videamus de iis, quae ad nostram disputationem pertinent. Diogenes Laertius IX. 21, 22. refert eum statuisse „*Duo esse Elementa*, *Ignem ac Terram: Ignem opificis*, *seu*, *caussae efficientis*, *Terram ma-*

materiae locum obtinere." Hactenus omnia plana: et consentit cum hoc *Igne Opifice* definitio *Dei*, quae est apud Ciceronem de Nat. Deor. I. 11. *continens ardore lucis orbis, qui cingit coelum.* Quae sequuntur apud Laertium sunt obscura et corrupta: *γένεσίν τε ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι· αὐτὸν δὲ ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεστάναι· καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸν νοῦν ταὐτὸ εἶναι·* i. e. „ *Generationem hominum ex Sole primum esse ortam. Solem ipsum calidum esse atque frigidum, ex quibus constant omnia. Animam ac Mentem idem esse.*" Ita est in Latinâ versione. Sed primum quidem assentiendum est viris doctis pro *ἡλίου* legentibus *ἰλύος*, *luto.* Deinde, *Solem ipsum et calidum et frigidum esse*, cum per se mirum est, tum connexionem loci turbat; quare pro *αὐτὸν* legam *αὐτῶν*, ut referatur ad *ἀνθρώπων*· Ita sensus loci hic erit „ *Homines primum ex luto esse ortos: eorumque partes esse Calorem et Frigus, ex quibus omnia constent: Animam et Animum unum idemque esse.*" Mericus Casaubonus non animadvertit differentiam *Animi* et *Animae*, multaque ad hunc locum argutatur. Atqui ex pervulgatâ apud Philosophos loquendi consuetudine, *νοῦς* est *Animus*, *pars intelligens ac praestantior: ψυχὴ* vero est *pars deterior, quâ vita animalis continetur.* Utramque pro unâ eademque a Parmenide habitam esse, certum est: nam Theophrastus, ex quo haec Parmenidis placita protulit Diogenes Laer-

Sect. III. Eleatici. Parmenides.

Sect. III. Eleatici. Parmenides.

Laertius, ipsos versus Philosophi servavit atque ita explicuit, *cogitationem et sensum eandem esse rem, eamque oriri ex justo temperamento Caloris et Frigoris.* Locum Theophrasti exhibuit H. Stephanus in Poesi Philosophicâ p. 46. Cui adjungendi sunt Aristoteles Metaphys. IV. 5. et qui memorantur ab Aldobrandino ad Diogenem Laertium. Ceterum ex his omnibus hanc fuisse colligo Parmenidis opinionem: „ *Animam constare non ex duabus partibus peculiaribus, prouti Pythagorei volebant, sed ex duabus partibus inter se commixtis, Calore et Frigore: quorum, Calor ab elemento venit eo, quod Caussa Efficiens ac Deus est, Frigus vero, seu Terra, ab elemento venit eo, quod materia et Caussa Patiens est. Itaque in cogitando idem est munus partis melioris, quae a Deo est, et partis deterioris, quae a materia est; atque adeo* νοῦς et ψυχὴ, *seu Animus et Anima, idem sunt. Facultas haec cogitandi sentiendique, quae una eademque est, ita melior deteriorque fit, prouti in hac mixturâ vel Calor vel Frigus abundaverit: melior quidem si Calor, deterior vero si Frigus abundaverit.*" Quae vero sit Principalis pars, quam in pectore habitare dixit, ut refert Plutarchus aut scriptor de Placitis Phil. IV. haud facile est ad animadvertendum. Sed quum de ipsâ Animae Immortalitate nullum ad nostram aetatem proditum sit Parmenidis dictum; ex his quae exposita sunt, et ex reliquâ Viri doctrinâ ac famâ, mihi quidem pro-

Summa sententiae Parmen.

probabile videtur, eum *Animae immortalitatem tenuisse;* siquidem ejus meliorem partem ex Deo profectam esse statuit. Sect. III. Eleatici.

Parmenidis discipulus ZENO, Eleates, qui motum ex rerum naturâ sustulit, Animam, exemplo magistri, propius etiam ad corpoream naturam adduxit. Sententiam ejus de Animae naturâ prodidit Diogenes Laert. IX. 29. „*Hominum genus ex terrâ natum est; et, ut universa rerum natura constat Calido et Frigido, Humore et Siccitate; ita Anima est harum quatuor partium mixtura et temperamentum, ita ut nulla earum ceteras superet.*" Utrum vero Calorem pro principio agente et Divinâ substantiâ habuerit, et adeo hanc Animae partem, corpori exstincto superesse voluerit, et omnino quid de Animae Immortalitate senserit; in tanto veterum monumentorum naufragio statuere non licet. Zeno.

Zenonis fuit auditor idemque Democriti magister LEUCIPPUS, qui plura etiam in hujus sectae placitis mutavit, et omnia ad Atomos revocavit. Ejus de Animae naturâ sententiam memoravit Aristoteles de An. Lib. I. Cap. II. §. 4. „*Ajunt quidam, Animam praecipue et maxime illud esse quod moveat: cumque putarent, illud, quod ipsum non moveatur, nec alias res movere posse, existimarunt Animam esse ex eo genere rerum quae moverentur. Unde Democritus eam esse dixit Ignem quendam et Calorem: quum enim infinitae figurae et Atomi essent, eas, quae sint* Leucippus.

Sect. III. Eleatici. Leucippus.

rotundae, vult esse Ignem et Animam; cujusmodi sunt in aëre pulvisculi et ramenta, quae cernuntur in radiis Solis per foramen in obscurum locum immissis. Horum farraginem dicit esse elementa totius naturae. Et ita quoque Leucippus." Quomodo vita, secundum horum sententiam, continuetur respiratione atomorum, exponit deinceps Aristoteles. Quod si ex convenientiâ doctrinae Leucippi cum doctrinâ Democriti conjectura facienda est, minime in patronis Immortalitatis ponendus videatur. Quod si vero Scriptorem de Placitis Philos. V. 25, audiamus, non videatur statuisse *Animam cum corpore exstingui.* Nam hic Leucippi sententiam *de caussis mortis* exponens, hoc adjicit: ταῦτα δὲ εἶναι πάθη σώματος, οὐ ψυχῆς· i. e. „*has vero affectiones esse corporis, non Animae.*" Sed hujus Scriptoris, in reliquorum silentio, non magna esse potest auctoritas. Quare ego quidem judicium meum cohibeo.

Democritus.

Susceptam a Leucippo doctrinam auxit, plurimisque illustravit scriptis, DEMOCRITUS; quae scripta diu quidem servata, nec tamen ad nostram aetatem propagata sunt. Magnus fuit in omni doctrinae genere vir, magnamque habuit auctoritatem; unde, quum ipse statueret *Animam cum corpore interire*, plurimi sententiam ejus secuti sunt. Et primum quidem, quum de Divinâ Naturâ non magnifice sentiret, factum est, ut de Animâ non magis praeclare statueret. Vidimus, omnes hactenus a nobis memoratos Philosophos,

qui

qui quidem Animae Immortalitatem vel tuerentur vel probarent, hanc in primis rationem secutos esse, *Animam humanam esse partem Animae Universi, sive Dei.* At vero Democritus, neque Mundum a Divinâ Mente permeari animarique statuit: et Deos, ut postea fere Epicurus, verbis quidem reliquit, re ipsâ sustulit, quum iis nullam in condendo, perexiguam in gubernando mundo partem tribuisset, eosque magna simulachrorum corpora nec ab interitu immunia esse pronunciasset. Et hoc quidem, ut satis notum, praetermittimus, eum totam naturam ad Atomos revocasse, quas minutissimas corporum partes et ipsas corporeas esse voluit. Iam si Animam unâ Atomo constare dixisset, poterat Immortalitem ejus tueri. Ille vero *Animam* statuit esse *congregationem et compagem Atomorum.* Unde consequebatur, *Atomorum compage dissolutâ, Atomos quidem superesse, Animam vero ipsam dissolvi.* Sed adferamus testes Scriptor de Plac. Phil. IV. 3: „*Democritus statuit Animam esse igneam compagem ex partibus, quae sola ratione intelligi possent (id est, ex Atomis) quae figuras quidem haberent rotundas, vim vero igneam; itaque Animam esse corpus.*" Et hujus quidem testis auctoritas hoc loco eo minus potest repudiari, quod assentientem habet Stobaeum Eclog. Phys. L. I. p. 93 et Aristotelem, cujus verba modo de Leucippo excitavimus. Quibus addendus alius locus, non minus luculentus, ex Ejusdem Libro I de

Sect. III. Eleatici. Democritus.

Sect. III. Eleatici. Democritus.

Anima. Cap. II. §. 20. „*Democritus vero, magis etiam distincte quam alii, rationem reddidit, quare Anima utrumque esset, (scilicet, et ignea et movens): Nam Animam* (ψυχὴν) *idem esse atque Animum* (νοῦν)*: hunc autem constare ex primis et individuis corporibus: movendi vim autem in eo inesse propterea, quod constaret parvis partibus et figurâ rotundâ; nam hanc ex omnibus unam figuram maxime mobilem esse.*" Igitur, Xenophanis exemplo et Parmenidis, sensum, cogitationem et omnino vitam, pro unâ eademque facultate habuit. Consentit cum Aristotele hac in parte Diogenes Laertius IX. 44. „*Democrito placuit, Animam ex rotundarum atomorum compage consistere: et Animam Animumque* (ψυχὴν καὶ νοῦν) *unum idemque* esse." Hic est sensus hujus loci, in quo ceterum aliquid labis inest. Cum igitur hinc manifestum certumque sit, rationalem irrationalemque partem, unam fuisse, secundum Democritum; haud scio an nulla fides habenda sit Scriptori de Placitis Phil. IV. 3. ubi ait: „*Democritus et Epicurus Animam bipertitam esse dicebant, rationalem et irrationalem: illam in pectore habitare, hanc per totam corporis compagem dispersam esse.* Nam primo, ipse sibi repugnat, quum proximi capitis initio dicit: „*Plato et Democritus principem Animae partem in toto capite posuerunt.*" Deinde fuit quidem Epicuri haec opinio, *Animam per totum corpus diffusam esse, sed principem ejus partem in pectore ha-*

habitare; ut constat ex Lucretio III. 136. At ab hac opinione alienum fuisse Democritum, constat ex eodem Lucretio ib. v. 371. Sect. III. Eleatici. Democritus.

Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque Animi primordia singula primis
Apposita alternis variare ac nectere membra.

Porro Epicurus Animum, s. *νοῦν*, et Animam, *ψυχὴν*, non unam eandemque rem esse voluit, sed conjunctas inter se partes, ut unam rem constituant: vid. Lucretius ibid. v. 397—440. Sed, ut de hoc non adeo laborandum est, utrum idem senserit Democritus atque Epicurus, nec ne; ita hoc in primis quaerere convenit, quae fuerit ejus opinio de Animae post hanc vitam conditione. Atqui ex iis ejus placitis, quae hactenus exposuimus, efficiebatur *Animam morte Corporis exstingui.* Quod cum statuisse, non est quod dubitemus. Scriptor de Placitis Philos. IV. 7. Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, Φθαρτὴν, τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην· i. e. „*Democritus et Epicurus Animam statuerunt corrumpi et simul cum Corpore interire.*" Hoc uno testimonio fretus hanc opinionem Democrito tribuit Bruckerus Hist. Crit. Phil. T. I. p. 1195. Verum, ut mox videbimus, sunt quaedam, falsae illae quidem, sed tamen rationes, quibus quis in eam opinionem induci possit, *remanere aliquem sensum post mortem* placuisse Democrito. Quare Pseudo-Plutarchi testimonium

Sect. III. Eleatici. Democritus.

confirmandum est consensu aliorum Auctorum. Itaque Cicero Tusc. I. 11. ubi Veterum opiniones de Animâ ejusque immortalitate recenset, ita de Democrito loquitur, ut nullum in eo praesidium immortalitatis ponat: „ *Nisi quae me forte fugiunt, hae sunt fere omnium de Animo sententiae. Democritum enim, magnum quidem illum virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem Animum concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil enim apud istos est, quod non atomorum turba conficiat.*" Huic addatur Lucianus in Philopseude, §. 32. T. III. p. 59.: „*Firmiter credebat Democritus, Animas nihil amplius esse, posteaquam a corpore discessissent.*" Quod autem dixi, rationes esse, quibus quis in eam inducatur opinionem, Democrito placuisse *sensum in animo remanere post mortem*, hoc ejusmodi est. Cicero Tusc. I. 34 talem Democriti facit mentionem. „ *Fac enim, sic Animum interire ut Corpus. Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in Corpore est? Nemo id quidem dicit: etsi Democritum insimulat Epicurus, Democritici negant. Ne in Animo quidem igitur sensus remanet: ipse enim nusquam est.*" Ergo si quid ejusmodi dixit Democritus, de Corpore hoc intelligendum est, non de Animo. Caussam vero hujus opinionis ipse praebuit placito eo, quod memorat Scriptor de Placit. Phil. IV. 4. „ *Democritus autem dicit, omnes res participes esse cujusdam Animae, ipsa eti-*

etiam mortua corpora; propterea quod semper retineant aliquid caloris atque adeo facultatis sentiendi, quum jam major hujus caloris pars dispersa fuerit." Quod ita est accipiendum: Si nonnullae rotundae Atomi, et nonnihil caloris in corpore mortuo remaneat; consequi, ut etiam quaedam obscura vestigia facultatis sentiendi exstent: non autem, ut ipsa sentiendi actio et ipse Animus supersit, quippe qui dissolutione compagis Atomorum ipse dissolutus sit. Scripsit vero Democritus libros περὶ τοῦ ᾅδου, i. e. *de Inferis*, quibus etiam eorum historiam tractavit, qui ex morte ad vitam rediisse dicerentur; quibus quidem libris non illud egisse videtur, ut Animis immortalitatem vindicaret, sed ut pervulgatam de Inferis superstitionem confutaret, atque ostenderet quomodo tales reviviscentes, quum jam vita defecisset, denuo vivere coepissent; nimirum caussis naturalibus, vel medicis, vel physiologicis, redeunte ad eandem compagem eodem numero earundem Atomorum rotundarum. Sed de his Democriti libris Fabricius Bibl. Graec. T. I. p. 804. et Wyttenbachius ad Plutarchum de Sera Numinis Vindicta p. 89. seq. Ex his libris fuit ea pars de reviviscendi promisso, quam memorat Plinius Hist. Nat. VII. 55: a cujus reprehensione eum recte vindicat Bruckerus T. I. p. 1195. Ceterum finem faciamus huic disputationi de Democrito, commemorandâ ipsius sententiâ, quam servavit Stobaeus Serm. CXIX. p. 603.

Sect. III. Eleatici, Democritus.

Sect. III. Eleatici. Summa sententiae Democriti.

„ *Quidam ignorantes dissolutionem naturae mortalis* (id est Animi), *conscientiâ vitae male actae, vitam in terroribus ac timoribus misere transigunt, mendacia sibi fingentes de futuro post mortem tempore.*" Sententia igitur Democriti haec fuit: „ *Animam constare compage Atomorum rotundarum fortuito concursu coëuntium; hanc compagem morte solvi, itaque Animum interire, nec extra Corpus subsistere posse: non tamen naturae rerum repugnare, ut eaedem Atomi eâdem compage in aliquod Corpus redeant, atque adeo Animus reviviscat.*

Protagoras.

Ejus fuit discipulus PROTAGORAS, Abderites, magnus Sophista, quem, verisimile est, magistri opinionem secutum esse; si quidem teste Diogene Laertio IX. 51. statuit „ *Animam nihil aliud esse nisi sensus.*"

Hippon.

His denique subjungo HIPPONEM, Rheginum, qui a nonnullis in Atheis numeratur. Hic, secundum alios, duo rerum principia statuit, Aquam et Ignem; secundum alios unum, Aquam. Certe Animam voluit esse semen genitale et ex principio Aquae existere, ut est apud Aristotelem de Animâ Lib. I. Cap. II. §. 26. Aliorum testimonia retulit Fabricius ad Sextum Empiricum Pyrrhon. III. 30. et Bibl. Graec. T. I. p. 819: ex quibus fere sua habet Bruckerus. Hippon, quid de Animae immortalitate senserit, non quidem diserte proditum reperio: *negasse eam potius quam statuisse videtur*, si quidem ex illis, quae di-

dixi, et aliis ejus placitis conjectura facienda est. Sect. III. Eleatici. Heraclitus.

Memorandus est quoque hoc loco HERACLITUS, Ephesius, non quidem ille quod ex successoribus scholae Eleaticae fuerit, sed quod cum eâ et tempore et quibusdam placitis conjunctus est; quippe qui magistros Hippasum et Xenophanem habuit. Liber ejus *de Naturâ rerum* valde obscurus dudum periit: sententiae tamen ex eo desumtae exstant apud Veteres, unde Viri doctrina colligatur. Voluit igitur: „ *Rerum principium esse Ignem: minimas esse corporum particulas, easque igneas: ex quibus alia elementa deinceps nasci: Simplicem hunc et principem Ignem esse Deum ac Fatum, quo Mundus animetur ac regatur. Igitur Mundos esse duos: alterum, Ignem illum principem, ac Deum: alterum, hanc adspectabilem Universitatem ex Igne principe confectam: illum aeternum esse, nec initium nec finem habere, et per adspectabilem Universitatem diffusum esse, ut Mentem: hunc mortalem, et crebris incendiis mutatum iri.*" Et haec quidem, ut fundamenta et praecipua ejus doctrinae capita, generatim notavimus, ut peculiariter quaereremus, quomodo ex iis de Animâ statuerit. Primum igitur statuit: *Omnia esse plena Daemonum et Animarum*, vid. Diog. Laert. IX. 7. quae fere sententia erat eorum, qui Mentem Divinam per Mundum extensam esse volebant; veluti Thaletis, Pythagorae, et aliorum. *Animae Naturam nullâ viâ pervestigari posse*, ibidem.

Sect. III. Eleatici. Heraclitus.

dem. Et tamen multa de Animâ statuit. Nam *Animam exhalatione oriri*, ut est apud Aristotelem de Anim. L. I. Cap. II. 24: *aliter quidem Animam Mundi, aliter Animos animalium*, ut refert Pseudo-Plutarchus de Plac. Phil. IV. 3. *Anima igitur, quo magis ad Naturam ignis accedit et quo siccior est, eo est intelligentior:* quod hoc dicto enunciavit, Ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη, *Sicca Anima est sapientissima;* de quo docta est disputatio P. Wesselingii, Viri egregii, in Observat. Misc. Belg. Volum. V. T. III. Porro *Anima per se ipsa non est immortalis, sed quoad illam siccitatem servat;* nam Animae humore contracto pereunt: caussa est elementorum inter se conversio, quorum aliud ex alio fit: quod ex Orpheo sumtum esse monet Clemens Alexandrinus Strom. VI. p. 624. C. 'Ηράκλειτος ἐκ τούτων συνιστάμενος τοὺς λόγους, ὧδέ πως γράφει· Ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γενέσθαι· ὕδατι δὲ θάνατος, γῆν γενέσθαι· ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή· i. e. *Ex his Orphicis Heraclitus suam ipse sententiam composuit, quum ita dixit: Animabus mors est, aquam fieri: aquae autem mors est fieri terram: ex terrâ vero fit aqua, et ex aquâ Anima."* Porphyrius in libello de Antro Nympharum memorat Numenii disputationem, qua dicitur Heraclitus non θάνατον sed τέρψιν scripsisse: vid. Cap. X. Quod mihi quidem a Numenio magis ad Philosophicam correctionem, quam ad Grammaticam auctoritatem, dictum videtur. Nam apud alios Auctores eandem le-

lectionem exstare meminimus: quorum nonnullos nominat H. Stephanus in Poesi Philos. p. 131. Igitur *Anima mori et renasci denuo potest:* vid. Plutarchus T. II. p. 392. C. Et ut omnium rerum est continuus fluxus et vicissitudo, ita *aliud ex alio continuo fit, ex vitâ mors, et ex morte vita:* vid. Plutarchus T. II. p. 106. E. et Clemens Alex Strom. IV. p. 530. D. *Haec vero vita, in quâ nunc degimus, mors est:* quam sententiam variis modis expressit: velut apud Eustathium ad Iliad. A. p. 31. τῷ οὖν βίῳ ὄνομα μὲν βίος, ἔργον δὲ θάνατος. „ *Vita quidem ita vocatur, sed re verâ mors est.*" Quod Euripides imitatus est, monente Cel. Valckenario ad Phoeniss. v. 1168, quocum conferendus Davisius ad Cic. Tusc. I. 31. Alius in eandem sententiam locus exstat apud Clementem Alexandr Strom. III. p. 434. A. Ἡράκλειτος θάνατον τὴν γένεσιν καλεῖ — ἐν οἷς Φησὶ· Θάνατός ἐστιν ὅκοσα ἐγερθέντες ὁρέομεν, ὅκοσα δὲ εὕδοντες ὕπνος, i. e. „ *Heraclitus ait, Generationem esse mortem, quum ita dicit, mors est quaecumque experrecti videmus, quaecumque autem dormientes, somnus.*" Similiter apud eundem Strom. V. p. 600. A. ὕπνον δὲ καὶ θάνατον, τὴν εἰς τὸ σῶμα κάθοδον τῆς ψυχῆς, κατὰ ταὐτὰ Ἡρακλείτῳ· i. e. „ *prouti Heraclitus, Animae descensum in Corpus somnum et mortem vocavit.*" Itaque homines ita cum Diis, seu Daemonibus, comparavit, ut *Deorum mors esset hominum vita, hominum vero vita esset mors Deorum;* id est, ut

Dii

Sect III.
Eleatici.
Heraclitus.

Sect. III. Eleatici. Heraclitus.

Dii mortui in eam conditionem abirent, qualis esset hominum vita; Homines autem morientes in eam conditionem abirent, qualis esset Deorum vita: quod Heracliti dictum memoravit Heraclides de Allegoriis Homeri p. 443. Edit. Galei: Θεοὶ, θνητοὶ τ' ἄνθρωποι, ἀθάνατοι, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον, θνήσκοντες τὴν ἐκείνων ζωήν· cui addendi sunt, qui eandem sententiam Heraclito tribuunt: Porphyrius de Antro Nymphar. Cap. X. et Hierocles Commentario in Aurea Carmina. p. 248. Ergo *hominibus alius post hanc vitam status superest, cujus bona si nossent, nemo lubens in hac vitâ maneret:* sic in loco Plutarchi dicitur, quem ad calcem libri de Serâ Num. Vindictâ edidit Wyttenbachius p. 147. τήνγε πεισθεῖσαν ὅσα ἀνθρώπους περιμένει τελευτήσαντας, καθ' Ἡράκλειτον, οὐδὲν ἂν κατάσχοι· i. e. „ *Anima, quae quidem certo sciat, qui status defunctis paratus sit, nullâ vi retinetur in vitâ.* Huc respexit etiam Clemens Alexandr. Strom. IV. p. 532. B. et Theodoretus, quem unum hujus Heraclitеae sententiae auctorem habet H. Stephanus in Poesi Philos. p. 134. *Neque vero Animas omnes felix manet status: sunt enim quoque, quae igne puniantur ac purgentur:* ita idem Clemens Alex. Strom. V. p. 549. D. cujus verba Latine referamus: „ *Quin etiam mendaciorum fabros ac testes Iustitia corripiet, ut inquit Ephesius* (scil. Heraclitus); *nam hic etiam ex barbarâ Philosophiâ cognoverat, eos qui male vixissent expurgari igne: quam postea Stoi-*

ci

ci ἐκπύρωσιν vocarunt: quo Auctore etiam statuunt, unumquemque singularibus suis qualitatibus resuscitatum iri." Ita vertendus est hic locus, cujus sensum interpres pervertit. Eandem sententiam idem protulit Adhortat. ad Gentes p. 13. D. „*Hos post mortem manent ea, quae nec sperant nec exspectant: quibus Heraclitus Ephesius, utpote Magis, Sacrificulis vanis, et Incantatoribus, ignem vaticinatur.*" Ceterum de modo, quo Animae extra corpus res externas percipiant, ita sensisse videtur Heraclitus, ut *reliquis sensibus exstinctis, unus remaneat Odoratus:* quod haud obscure significat Plutarchus in libro de Facie in Orbe Lunae. T. II. p. 943. D. καλῶς Ἡράκλειτος εἶπεν, ὅτι αἱ ψυχαὶ ὀσμῶνται καθ' ᾅδην· i. e. „*Bene Heraclitus dixit, Animas odorari in orco.*" Heracliti quidem libri, de Orco, Zoroaster, de Physicis Difficultatibus, qui memorantur a Plutarcho T. II. p. 1115. A, non sunt hujus antiqui, sed recentioris Peripatetici Heracliti; ut recte contra Menagium monuit Fabricius Bibl. Graec. T. I. p. 801. Antiquus non scripsit nisi unum librum, et obscurum, nec ad multorum intelligentiam vulgatum; ut eo minus dubitari possit, quin omnia in eo tradita ex animi sententiâ et propriâ doctrinâ, id est Esoterica, fuerint. Igitur Heraclitus statuit: *esse vitam quandam Animae, Corpore mortuo, eamque multo evidentiorem et efficaciorem sensu et rerum perceptione; adeo ut praesens vita mortis instar sit. Esse poenas et prae-*

Sect. III. Eleatici. Heraclitus.

Summa sententiae Heracliti.

Sect. III. Eleatici. Heraclitus. *praemia.* Mortem Animarum, quam vocavit, non aliam nisi hanc vitam significasse videtur. An quasdam Animas penitus exstingui, sive humore, sive conflagratione mundi, quod Stoicis postea placuit, judicaverit; in tantâ Veterum librorum jacturâ, statuere non possumus. Cum vero statueret, totam rerum Naturam continuo fluere et mutari, inductus est quoque in eam sententiam, ut *Animas modo mori, id est corporibus inditas esse, modo vivere, id est extra corpora degere ac vigere*, censeret.

Hippocrates. Et quandoquidem Heraclitum commemoravimus, ne praetermittamus ejus, in Philosophiâ, discipulum, eundemque medicorum principem HIPPOCRATEM, Coum. Qui quidem de Animorum immortalitate non prodidit, et in eam partem statuit, in quam fere plerique medici procliviores fuerunt, ut Animum corporeae concretionis esse diceret. Quamquam eum diversam a corpore naturam substantiamque esse, nec oriri aut interire, sed ut reliquas res omnes augeri et minui vicissim, voluit. Referamus ipsius viri verba Latine, quae exstant libro primo de Diaeta p. 342. „*Omnia constant Igne et Aquâ: et ignis quidem habet calorem et siccitatem; Aqua vero humorem et frigus. Haec quum vario motu semper agitentur, necesse est, varias formas viresque animalium nasci. Neque eorum quidquam oritur e nihilo, aut abit in nihilum; sed dissolvitur et componitur. Homines vero perperam loquuntur, quum nasci di-*

dicunt illud, quod eousque auctum est, ut sub sensuum perceptionem cadat: et interire illud, quod eousque imminutum est, ut a sensuum perceptione fugiat. Sed isti quidem oculis potius quam rationi fidem habent. Ego vero haec ratione ductus pronuncio: Nil moritur, nec mori potest, quod vivit, nisi si omnia simul in nihilum abeant: Neque enim nasci quid potest, nisi aliud sit ex quo nascatur. — Ceterum, augetur majus a minore, cum alia omnia, tum Anima, et Corpus quod ab eâ gubernatur; nam similia similibus se adjungunt. Et Anima in corpus irrepit, illudque occupat, et se cum eo conjungit, concretione partium. Est quippe ipsa Anima composita ex Igne et Aquâ, prouti Corpus." Sect. III. Eleatici. Hippocrates.

Ex his igitur dictis in neutram partem de Hippocratis opinione concludi potest. Neque enim impedit, Animam esse immortalem, etiamsi sit ex Igne et Aquâ composita. Et licet non in nihilum abeat, tamen, secundum eandem sententiam, eousque minui ac debilitari possit, ut ejus conditio ab omni fere actione vacet, neque multum differat a morte.

SECT. IV.

De Socrate.

Venio ad eum virum, qui Philosophiam ad meliorem ac saniorem rationem redegit, et, cum suis Sect. IV.

ipse

Sect. IV. ipse sermonibus, tum discipulorum studiis, per universam Graeciam proseminavit, ut jure parens Philosophiae diceretur: SOCRATEM dico, Atheniensem. Cujus reliquae res et doctrina quum in vulgus celebratae sint, de hac unâ parte videamus, quae ad Animorum Immortalitatem pertinet. Quum Philosophi, quos hactenus commemoravi, fere omnes in Philosophiâ tractandâ deflexissent ab illâ simplici naturae viâ, quae ad Animi perfectionem felicitatemque ducit: cumque vel adhaesissent ad physicam partem et elementorum indagationem, veluti Ionici, vel mysticam quandam ac fanaticam rationem sequerentur, veluti plerique Pythagorei: Socrates Philosophiam revocavit ad moralem partem, a contemplatione ad actionem, a rerum vanarum indagatione ad cognitionem studiumque rerum humanarum ac necessariarum. Sed ex magno discipulorum numero, qui magistri dicta factaque scripto consignarunt, duo soli ad hanc aetatem servati sunt, Plato et Xenophon; quum ipse nullum librum scripsisset Socrates. Nam Aeschinis Dialogi, Cebetis Tabula, et Socraticorum Epistolae, feruntur quidem hodieque; sed, quin falso nominibus illorum inscribantur, non est dubitandum. Atqui Socratem egregie de Animorum Immortalitate sensisse, et ita mortuum esse, ut non ad Inferos sed ad Deos immortales abire videretur, et Plato tradit, et omnis Antiquitas consentit. Neque tamen nobis hoc uno testimonio defungi licet: et praesertim in ejusmodi disputatio-

Socrates.

tione, quae ad Vos, doctissimos Judices, fit, res accuratius repetenda et ab omni reprehensione vindicanda est. Igitur, Plato frequenter Socratem facit disputantem de iis rebus, quas non tractaverat: velut in Timaeo, de Mundi Ortu: in Parmenide, de Ideis. Et omnino, solet fere Plato sub Socratis personâ suam ipse sententiam proferre. Contra, Xenophon ita inducit Socratem, ut non nisi de iis rebus disserat, quas, tamquam Philosophiae argumentum, a Socrate probatas fuisse, modo dixi. Iam vero apud Xenophontem obscurius et rarissime de Animorum Immortalitate loquitur Socrates: apud Platonem, frequenter et copiose. Et vero, in judicio de factis placitisque Socratis, major est Xenophontis quam Platonis auctoritas: certe cavendum est, ne ita temere omnia Socrati tribuamus, quae in Platonis ei tribuuntur Dialogis. Quare sint fortasse qui contendant, Socratem Philosophiae partem eam, quae est de Animorum Immortalitate, intactam reliquisse, et quidquid de hoc argumento disputasse perhibeatur, id omne Platonis ingenio deberi. Hoc ergo si qui dicant, dicant profecto aliquid quod primo obtutu magnam veri speciem habere videatur. Ego tamen quo minus iis assentiar, multae sunt gravissimaeque rationes. Et primo quidem, non est credibile, Philosophum, qui totam Philosophiae disciplinam ad morum ac Virtutis studium revocasset, hoc ejus fundamentum, quod positum est in Animorum Immortalitate, negle-

Sect. IV. Socrates.

Sect. IV. Socrates.

xisse. Nam disciplina morum, quaeso, qualis tandem esse potest, quae non curet, utrum Animus cum Corpore intereat nec ne? Deinde sunt apud Xenophontem ejusmodi Socratis dicta, quae, nisi disertam Immortalitatis affirmationem contineant, tamen eo valeant: veluti de Providentiâ Divinâ, de Animi humani excellentiâ et similitudine cum Divinâ naturâ: quae profecto ita dicta sunt, ut plane abhorreant ab ejus personâ, qui nil post hanc vitam superesse statuat. Porro, Xenophontis silentium fortasse repetendum est ex ejus cum Platone simultate et aemulatione: quâ, ut factum est, ut alias quoque Socratis res diverse traderent, ita fieri potuit, ut Xenophon Socratem raro et obscure de Immortalitate dicentem faceret; quod Plato in Phaedone Dialogo sub Socratis personâ ita de hoc argumento disputasset, ut omnium consensu monumentum aere perennius exegisse judicaretur. Denique, quum multos, apud posteros, reprehensores nacti sint et Socrates et Plato; nemo tamen, quod sciam, inventus est, qui, aut Socratem de Animorum Immortalitate tacuisse, aut Platonem ei illam sententiam falso tribuisse, contenderet: Neque vero reliqui Socratici, quorum scripta perierunt, levem, ut Xenophon, hujus sententiae mentionem fecisse videntur; quippe eam et Cicero et omnes Veteres, qui Socraticorum scripta habebant et de his rebus judicare poterant, diserte Socrati tribuerunt, nec ullam dubitationis suspicionem inje-

jecerunt. Quare, ut facile concedo, Platonem in Phaedone multas tribuisse Socrati argumentorum conclusiones, quae a Socratis ingenio abhorrerent, veluti eas, quae a Metempsychosi et ab Idearum aeternitate ductae sunt: ita minime iis assentior, qui omnia in illo Dialogo ficta, nil ejusmodi a Socrate ultimo vitae die disputatum esse, putant. Sed tamen, ne reprehensioni locum relinquamus, age, colligamus Socratis sententiam in primis ex Xenophonte: nec a Platone quid assumamus nisi Apologiam, qua Socratem ad judices loquentem facit eo quidem modo, qui modus maxime et personae Socratis et veritati consentaneus sit, ut Cicero non dubitaverit hac in parte auctoritatem sequi Platonis. Igitur apud Xenophontem, ubi Socrates diserte de Animorum Immortalitate statuat, nullum locum; ubi ea dicat, quae valeant ad Immortalitatem, duos tantum locos, reperi. Alter est in Memorabilibus Socratis Lib. I. Cap. IV. ubi de Divinâ Providentiâ et Humani Animi praestantiâ disseritur: § 8 et 9 docetur, ita nostrum Animum ex quâdam Animâ Mundi ortum esse, prouti Corpus suas partes habeat ex materiâ Mundi: Σὺ δὲ σαυτὸν φρόνιμόν τι δοκεῖς ἔχειν· ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ οὐδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι· καὶ ταῦτα εἰδὼς ὅτι γῆς τε μικρὸν μέρος ἐν τῷ σώματι, πολλῆς οὔσης, ἔχεις, καὶ ὑγροῦ βραχὺ πολλοῦ ὄντος, καὶ τῶν ἄλλων δήπου μεγάλων ὄντων ἑκάστου μικρὸν μέρος λαβόντι τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι· νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σὲ εὐ-

Sect. IV. Socrates.

εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι, καὶ τάδε ὑπερμεγέθη καὶ πλῆθος ἄπειρα δι' ἀφροσύνην τινὰ οὕτως οἴει εὐτάκτως ἔχειν· i. e. „*Tune vero putas, te quidem habere aliquid prudentiae, alibi vero nil quidquam esse prudentiae: quum tamen probe scias, te ex magnâ illâ terrae mole parvam particulam in tuo corpore habere, et ex magna illa copiâ humoris et reliquorum elementorum maximorum parvam accepisse partem, ex quâ corpus tuum compositum est. Mentem vero scilicet solam, quum nusquam in rerum naturâ sit, putas te casu quodam corripuisse? et haec magna et infinita numero opera putesne sine prudenti caussâ tam bene ordinata esse?*" Huic loco adjungenda est pars ejusdem disputationis in eodem capite §. 17. κατάμαθε, ὅτι καὶ ὁ σὸς νοῦς ἐνὼν τὸ σὸν σῶμα, ὅπως βούλεται, μεταχειρίζεται· οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν παντὶ φρόνησιν τὰ πάντα, ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ, οὕτω τίθεσθαι· i. e. „*Disce igitur et animadverte, quod Animus tuus, qui in te est, Corpus tuum gubernet, ut ipse vult: igitur existimandum est, prudentiam, quae in Universo est, res omnes ad suam voluntatem gubernare.*" Alter locus est in eodem Opere, Memorabilium Socratis. Lib. IV. Cap. III. §. 14. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχὴ, εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων, τοῦ θείου μετέχει· ὅτι μὲν γὰρ βασιλεύει ἐν ἡμῖν, φανερὸν, ὁρᾶται δ' οὐδ' αὐτή· i. e. „*Atqui hominis Anima, si quae alia rerum humanarum, Divinitatis particeps est: manifestum enim est,*

est, ab eâ Corpus gubernari, neque tamen ipsa conspicitur." Ex his colligitur ejusmodi sententia: *Esse quandam in rerum Naturâ Mentem summâ prudentiâ et efficiendi potestate praeditam; quae Mens Mundum ita regat et gubernet, prouti hominis Anima suum quaeque Corpus. Atque, ut Corpus constat ex partibus materiae, quae in hoc Mundo est: ita Animam ductam et profectam, tamquam particulam Mentis illius, quae Mundum regat, atque adeo participem esse Divinitatis."* Ergo si quaeramus, utrum huic sententiae consequens sit ex duobus, Animamne cum Corpore exstingui, an ei superesse? eam superesse, profecto, omnibus partibus probabilius est, quam eam interire. Et verisimile est, eum hoc in placito magistrum Anaxagoram et Ionicos secutum esse. Porro Cicero, qui non ex Platone et Xenophonte solum, sed ex reliquorum scriptis, de Socrate judicare poterat, ita pronunciat, ut ejus auctoritas omni exceptione major habenda sit: De Amicitia Cap. IV. *Plus apud me Antiquorum valet auctoritas, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt — vel eius (Socratis) qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus: qui non tum hoc tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, Animos hominum esse Divinos, iisque, cum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimo et justissimo cuique expeditissimum."* Cumque apud Platonem in Apologiâ de futurâ

Sect. IV. Socrates.

Sect IV. Socrates. Animae conditione ad judices disseruisset Socrates, et in fine illud adjecisset: „ *Sed tempus est jam hinc abire: me, ut moriar: Vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, Dí immortales sciunt: hominem quidem scire arbitror neminem.*" Huic igitur dictioni hoc subjungit judicium Cicero Tusc. I. 42. „ *Etsi, quod praeter Deos negat scire quemquam, id scit ipse utrum sit melius: nam dixit ante: sed suum illud, nihil ut adfirmet, tenet ad extremum.*" Sed age, audiamus hanc partem Socraticae Apologiae, quae est apud Platonem p. 368, ex versione Ciceronis Tusc. I. 41. „ *Magna me spes tenet, Iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus; ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam sine visis somniorum placatissimam quietem adferi; Dí boni! quid lucri est emori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur: cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vitâ excesserunt, incolunt; id multo jam beatius est. Te·c, cum ab his, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire qui vere judices appellentur, Minoëm, Rhadamantum, Aeacum, Triptolemum? convenireque eos, qui juste et*

et cum fide vixerint? Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo, liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem; ut ea, quae dico, liceret mihi invenire. Quantâ delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios judicio iniquo circumventos convenirem. Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, et Ulixi Sisyphique prudentiam. Nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, Iudices, hi qui me absolvistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quid evenire potest, nec vivo, nec mortuo. Nec umquam ejus res a Diis Immortalibus negliguntur: nec mihi ipsi hoc accidit fortuito." Haec Socrates in Apologia. Alium de illo locum apud eundem Ciceronem Tusc. I. 29, 30. lubens praetereo quippe ex Platonis Phaedone sumtum. Omitto etiam Xenophontis locum in fine Operis de Cyro Majore, quippe non e Socratis sed Cyri personâ pronunciatum. Ex his igitur, quae exposuimus, quaeque omnium consensu Socrati vindicanda sunt, apparet, eum subtiliora illa argumenta Immortalitatis non attigisse: hoc unum ex Anaxagorae disciplinâ tenuisse: *Animam humanam esse divinitatis participem et quasi ortam ex Mente, quae totum mundum gubernat Et quamquam in morte, si quidem sit cum interitu Animae con-*

Sect. IV. Socrates.

Summa sententiae Socratis.

Sect. IV. Socrates. *juncta, nil sit mali; tamen multo esse probabilius Animas ad Deum ac Mentem Universi, unde natae essent, redituras, maxime quidem justorum Animas; nam res humanas a Divinâ Mente gubernari, quae in primis bonorum hominum et vivorum et mortuorum curam gerat. Itaque, sive quaedam sit societas mortuorum et habitatio in aliis regionibus, ut erat vulgaris opinio a Poetis et Theologis tradita: sive quaecumque Animi esset vita et conditio: bono viro male esse non posse, nec eum umquam a Deo negligi."*

Socratici. Magnâ floruit Socrates frequentiâ discipulorum, qui ejus philosophiam per totam Graeciam propagarent, eamque ad suum quisque ingenium conformarent; unde multae exstiterunt sectae philosophorum, Academicorum, Peripateticorum, Cynicorum, Stoicorum, aliorum, qui omnes se SOCRATICOS dici haberique voluerunt. Sed proprie tamen Socraticorum nomine appellati sunt illi, qui, cum ipsum audivissent, ejus quoque doctrinam integre sincereque tradiderunt: veluti *Xenophon*, *Aeschines*, *Phaedon*, *Euclides*, *Criton*, *Simon*, *Glaucon*, *Simmias*, *Cebes*. Horum multi exstiterunt Dialogi, qui omnes, exceptis Xenophonteis, perierunt. Nam *Cebetis* Tabulam, quae hodieque sub ejus nomine fertur, falso ad illum auctorem referri, cum alia produnt, tum ratio disserendi et oratio, quae non germanum habent Socraticum colorem. *Aeschinis* autem duo priores Dialogi, manifesto ex Platone compilati

sunt,

sunt, a recentiore quodam homine: Axiochus vero, qui ex nonnullis fragmentis cognoscitur, abhorret ipse quoque a Socratis consuetudine; huc accedit quod quaedam ejus partes a Veteribus Grammaticis memoratae, in eo, qui nunc est, Axiocho, non exstant; ut minime dubitandum sit, quin diu postea ex Sophistae cujusdam officinâ prodierit: quod partim notatum a Fabricio Bibl. Gr. T. II. p. 29, non negligendum erat a Bruckero T. I. p. 576, qui horum Dialogorum auctoritatem bonâ fide secutus est. Quare nos unum excitemus XENOPHONTEM; cujus locum, in oratione Cyri morientis, modo significavimus, quemque ex ipsâ Xenophontis sententiâ pronunciatum esse, non dubito. Equidem haud ignoro, ultimam hanc partem Cyropaediae a quibusdam Xenophonti abjudicari; quod ita de Animi naturâ et Immortalitate disseratur, ut argumenta proferantur quae abhorreant a Xenophontis ingenio, nimisque subtilia videantur. Quod mihi quidem aliter se habere videtur. Nam primo, nil est in iis alienum ab iis sententiis, quas supra ex Xenophontis libro Memorabilium retulimus. Deinde ipsa stili orationisque forma plane Xenophontea est. Denique non dubitavit Cicero, cujus gravis est auctoritas, totam illam Cyri adhortationem Xenophonti tribuere, de Senectute Cap. XXII. Non nego, illa argumenta non satis cum Cyri personâ convenire; sed ea cum Xenophontis sententiâ convenire, id vero teneo et affirmo;

Sect. IV. Socratici.

Xenophon.

Sect. IV. Xenophon.

mo; quandoquidem tota Cyropaedia ad Socraticam disciplinam composita est. Sed videamus locum Xenophontis. Cyrop. L. VIII. Cap. VII. §. 19.— οὐδὲ τοῦτο πώποτε ἐπείσθην, ὡς ἡ ψυχὴ, ἕως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ· ὅταν δὲ τούτου ἀπαλλαγῇ, τέθνηκεν· Ὁρῶ γὰρ ὅτι καὶ τὰ θνητὰ σώματα, ὅσον ἂν ἐν αὐτοῖς χρόνον ᾖ ἡ ψυχὴ, ζῶντα παρέχεται· Οὐδέγε ὅπως ἄφρων ἔσται ἡ ψυχὴ, ἐπειδὰν τοῦ ἄφρονος σώματος δίχα γένηται, οὐδὲ τοῦτο πέπεισμαι· ἀλλ' ὅταν ἄκρατος καὶ καθαρὸς ὁ νοῦς ἐκκριθῇ, τότε καὶ φρονιμώτατον εἰκὸς αὐτὸν εἶναι· Διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου δῆλά ἐστιν ἕκαστα ἀπιόντα πρὸς τὸ ὁμόφυλον πλὴν τῆς ψυχῆς· αὕτη δὲ μόνη οὔτε παροῦσα οὔτε ἀπιοῦσα ὁρᾶται· Quae ita vertit Cicero. „*Mihi quidem numquam persuaderi potuit, Animos, dum in Corporibus essent mortalibus, vivere: cum exissent ex iis, emori: nec vero tum Animum esse insipientem, cum ex insipienti Corpore evasisset: sed, cum omni admixtione Corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est, quò quaeque discedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: Animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet.*" Haec hactenus. Iam vero in reliquâ hujus loci parte, Socraticam illam bipertitam argumentationem, et mortis cum somno comparationem, quoque exstare deprehendemus. Quam partem ex ejusdem Ciceronis interpretatione referamus. „*Iam vero videtis, nihil*

es-

esse morti tam simile quam somnum. Atqui dormientium Animi declarant Divinitatem suam. Multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane Corporis vinculis relaxaverint. Quare si haec ita sunt, sic me colitote ut Deum. Sin unâ est interiturus Animus cum Corpore, Vos tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis." Sect. IV. Xenophon.

S E C T. V.

De Platone.

Omnium, qui ex Socratis scholâ prodierunt, plurimum in Philosophiâ excelluit, plurimumque famae et auctoritatis nactus est PLATO, Atheniensis. De quo Viro uberius copiosiusque exponendum est, propter duas caussas. Primum enim, hic est Plato, qui ex omnibus Philosophis maximum studium in Animorum Immortalitate demonstrandâ illustrandâque posuit. Deinde ipsius scripta ad nostram venerunt aetatem, ut de Doctrinâ placitisque ejus eo plura certioraque documenta proferre possimus. Quod quidem secus fuit in iis, quos hactenus memoravimus, Philosophis; quippe quorum, exceptis paucis imorum, scripta perierunt; ut eorum sententiae non nisi ex Sect. V. Plato.

ra-

Sect. V. Plato.

raris vestigiis ac reliquiis, multo labore collectis et digestis, verisimiliter constitui possent. Sed videamus summatim doctrinae principia, a quibus ad Animorum Immortalitatem profectus est. „ Tria sunt rerum principia eaque aeterna, *Deus Ideae*, *Materia:* Materiam vago et incerto motu fluctuantem, Deus in ordinem redegit, ad Idearum exemplum conformavit, et Mundum ex eâ composuit; Mundo *Animam* (ψυχὴν) Animaeque *Mentem* (νοῦν), indidit: vid. Timaeo p. 527. A. B. Haec Anima mixta est ex Materiâ duplici; alterâ, *simplici et immutabili:* alterâ, *corporeâ, dividuâ, et mutabili:* est etiam per totum Mundum extensa, et, quamvis creata a summo Deo, tamen intelligens ac Divina, et quasi secundus Deus: vid. ib. p. 528. Porro, summus Deus opifex Deos coelestes creavit, qui sunt astra ignea (p. 530. C. D.): immortales, non quidem suâ naturâ, sed summi Dei voluntate. Deinceps, summus Deus effecit Animas Animalium, eâdem ratione quâ effecerat Animam Mundi, non tamen ita perfectas ut Deos coelestes, sed secundo ac deteriori gradu; quippe quae minorem partem haberent Materiae illius simplicis et immutabilis: vid. p. 531. A. B. seq. Has Animalium Animas idem summus opifex Deus Diis coelestibus distribuit, ut ipsi illis Corpora fabricarentur, iisque corporibus illas includerent: in quibus si bene vixissent, redirent quaeque in naturale suum astrum: sin minus bene vixissent,

ite-

iterum in generationem abirent, viri in muliebria Corpora; post mille annorum spatium redirent, et ipsae sibi vitas eligerent; ubi fit, ut humana quoque Anima in bruti Corpus immigret, atque in brutorum genere per multas deinceps generationes maneat, donec pravitatem, quae ei ex corporeâ contagione, ignis, aquae, aëris, et terrae, adhaeserit, penitus effugerit, atque ita in primum statum, in quo fuerat quum ex summi Dei officinâ prodiret, restituatur: vid. ibid. p. 531. seq." Sectio V. Plato.

Haec ex Dialogo, Timaei nomine inscripto, ubi Plato sententiam suam de rerum principiis et ortu explicat. Videamus jam peculiares de Immortalitate disputationes, ita quidem ut eas a Fabulis distinguamus. Nam tribus Dialogis, Gorgiae, libro ultimo de Republicâ, et Phaedoni, Plato ejusmodi epilogos adjecit, ubi de conditione Animarum apud Inferos ex populari opinione et poetarum Fabulis exponeret. Quos locos nil attinet referre; et si quid habent ex propriâ et interiore Philosophi doctrinâ, hoc postea notabimus. Illud et in primis et maxime quaerendum, quibus rationibus et argumentis Plato Animorum Immortalitatem conficere ac demonstrare studuerit. Quae quidem argumenta in pluribus prodita sunt Dialogis, Timaeo, Menone, Phaedro, decimo de Republicâ, et maxime in Phaedone.

Et in Timaeo quae exstant, modo protulimus. Arg. ex Timaeo.

Sunt

Sect. V. Plato.

Sunt vero illa non conclusionibus demonstrata, sed probabili explicatione ad Doctrinam de rerum principiis et ortu accommodata. Quare progrediamur continuo ad reliqua.

Arg. ex Menone.

In Menone ostenditur: omnem disciplinam esse recordationem, homines nil novi discere, sed vetera recordari; nam, si quis de rebus incognitis recte interrogetur, eum ita respondere ut appareat, se harum rerum notionem in Mente involutam tenuisse; sed hanc notionem quum in praesenti vitâ numquam acceperit, necesse esse ut eam in priori quadam vitâ acceperit. Igitur effici, Animos nostros, anteaquam in hanc vitam venirent, in aliâ vitâ degisse, ex eâque rerum notionem attulisse, quae nunc ratione disciplinae, id est, recto interrogandi modo instaurentur. Sed Animi, ut ante hanc vitam fuerunt, ita post eam quoque erunt: quod in Phaedone demonstrare conatur Plato. Vid. Menon. p. 16. et Cicero Tusc. I. 24.

Arg. ex Phaedro.

In Phaedro, quem juvenis scripsit, ingenio veluti luxurianti obsecutus, miram quandam Animi informat imaginem; quum dicit „eum similem esse aurigae jugum equorum regenti: alis quoque instructum, cum Diis per totum coelum vehi; amissis alis, in terram labi, corpori includi: ita deinceps nasci, et hanc migrationem tribus millenorum annorum intervallis absolvere." In quibus quidem figmentis, si quid latet veri et philosophicae sententiae, hoc postea explicabimus.

mus. Nunc exordium illius loci referendum est, quod demonstrationem Immortalitatis habet. Hoc igitur ejusmodi est p. 344. „ *Oportet primum de naturâ Animae cum divinae tum humanae, ejus actionibus passionibusque veram notionem consequi. Initium autem demonstrationis hoc est: Omnis Anima est Immortalis. Nam, quod se ipsum movet, Immortale est: quod autem non modo aliam rem movet, sed ipsum quoque ab aliâ re movetur, quia movendi finem habet, finem etiam habet vitae. Solum vero illud quod se ipsum movet, quia se ipsum non relinquit, numquam desinit moveri: sed omnibus reliquis rebus, quae moventur, fons et principium movendi est. Principii autem nulla est origo. Nam omne, quod fit, a principio debet nasci, ipsum autem principium ex nullâ re aliâ potest nasci; principium quippe omnino non esset, si ipsum ex aliâ re natum esset. Sed quandoquidem principium nullam habet originem, consequitur, ut nec interitum habeat. Nam principio exstincto, nec ipsum aliunde, nec ex ipso alia res amplius oriri poterit; si quidem omnia a principio debent oriri. Ergo motûs principium est in eâ re quae se ipsa movet: haec vero nec interire nec oriri potest; hoc enim si accideret, consequeretur ut coelum ac terra collaberentur et a motû cessarent, nec ullâ ratione ad motum redigi possent. Igitur quum appareat, Immortale esse illud quod se ipsum moveat, minime a verâ ratione aberraverit, qui* Sect. V. Plato.

hanc

Sect. V. Plato.

hanc essentiam et naturam Animae esse dixerit. Omne enim Corpus, quod extrinsecus movetur, inanimatum est: quod autem intrinsecus ex se ipsum movetur, animatum: quia in hoc proprio motu posita est Animae natura. Atqui, cum ita se res habeat, ut nulla res, exceptâ Animâ, se ipsa movere possit; necessariò consequitur, ut Anima nec ortum nec interitum habeat. Hoc est celebratum illud Immortalitatis argumentum, quod inde a Thalete cognitum quidem, neque tamen accuratius explicitum erat: quod, Platonis auctoritate, secuti sunt plerique postea Veteres, in primis Cicero: qui illud egregiâ laude ornavit et vertit, Tusc. I. 23. Quod si hanc argumentationem ad Dialecticam brevitatem revocemus, reperiemus, eam his fere Syllogismis constare: „*Quod se ipsum movet, non habet initium: Anima se ipsa movet: Ergo Anima non habet initium.*" Assumtionem, quà dicitur *Animam se ipsam movere*, nemo facile in dubium vocaverit, qui quidem libertatem agendi tueri voluerit. Ergo propositio, quà dicitur, *quod se ipsum moveat, non habere initium*, probanda est. Quod ita probat Plato: „*Quod se ipsum movet, Principium est: Anima se ipsa movet: Ergo Anima est Principium.* Pergit: *Principium non habet originem: Anima est Principium: Ergo Anima non habet originem.*" Concludit denique argumentationem ita: „*Quod originem non habet, illud nec interitum habet: Anima non habet originem:*

nem: Ergo Anima nec interitum habet." Sed, ut brevius etiam demonstrationis connexionem complectamur, tribus illa continetur his Enunciationibus: „ *Anima est principium, quia se ipsa movet: Principium nec originem nec interitum habet: Ergo, Anima semper fuit et semper erit.*" Equidem et ipse miror, et alios miraturos arbitror, quae sit necessitas, ut illud, quod seipsum movet, semper fuerit. Nam qui acerrime Animi libertatem defendunt, eamque in propriâ internâque agendi facultate, id est, ut Veteres loquuntur, in *facultate se ipsam movendi*, ponunt; idcirco minime negant Animam a Deo esse creatam. Forte sint quoque, qui Platonem hoc nomine reprehendant, quod sibi ipse repugnet, quum in Timaeo pronunciaverit Animas a Deo creatas esse. Sed haec quidem reprehensio ita dilui potest, ut dicamus *Animas hominum ex eâdem substantiâ compositas esse atque Animam Mundi, eam vero substantiam ab omni aeternitate semper in motu fuisse:* vid. Tim. p. 327. A. 328. et 331. A. Neque necesse est eam adhibere machinam, qua usi sunt nonnulli Platonicorum, qui contenderunt, Mundum, secundum Platonem, non esse in tempore, seu a quodam initio, a Deo factam: de qua opinione eorum consulatur Cudworthus et ad eum Moshemius System. Intell. T. I. p. 368. Quare, si quis hoc teneat, Animae substantiam semper et fuisse et in motu fuisse, eamque â Deo non ex nihilo creatam, sed tantummo-

Sect V. Plato.

Sect. V. Plato. do conformatam esse, is haud aegre Platonem a repugnantiae crimine absolvet. Ergo apparet, totam hanc in Phaedro expositam demonstrationem parum habere firmitatis, nisi si cum aliis placitis in Timaeo expositis conjungatur. Atque haud scio an Plato ipse postea de hujus argumenti firmitate dubitaverit; quippe illud non assumsit ad disputationem in Phaedone consignatam, quâ rationes, quae ad stabiliendam Immortalitatem valere viderentur, diligenter expromsit. Ceterum poterat aliâ ratione, ex illâ proprietate et facultate Animae se ipsam movendi, argumentum duci minime contemnendum, quo efficeretur, Animam non esse corporeae naturae, igitur corruptione dissolutioneque partium non interire. Nam quum in Corporibus mutationes existant certis legibus ponderis ac motûs, et fere necessitate machinae; Anima, si quidem sit corporea, quam partem libertatis habeat, intelligi nequit.

Arg. ex Rep. X. Decimum de Republicâ librum Plato concludit narratione fabulae de Here quodam Armenio, qui ex morte in vitam rediisset, ac de praemiis poenisque defunctorum retulisset. Sed antequam ad fabulam accedit, praemittit gravissimam disputationem, quâ Animae Immortalitatem demonstrare studet. Quare fabulam nunc quidem praetermittamus, demonstrationem vero consideremus: eamque, quandoquidem longiuscula est, non ipsis Philosophi verbis referamus, sed summatim exhibeamus, ut ejus tamen vis et consecutio appareat.

Haec

Haec igitur summa est disputationis quae habetur p. 516. et 517. „ In rerum naturâ sunt res vel bonae, vel malae, vel indifferentes. Bonae sunt quae eas res, quibus insunt, servant: Malae, quae eas destruunt: Indifferentes, quae neutrum faciunt. Ita corporibus animantium malum est morbus, frugibus aerugo, ligno putredo, ferro rubigo, aliis alia; quibus malis res affectae pereunt. Atqui Animae malum est Injustitia, Intemperantia, Timiditas, Insipientia: de quibus nullo pacto ostendi potest, ea talem vim habere, ut Animae mortem adferant. Porro res omnes, quae non interno suo morbo et malo, sed externâ vi, pereunt, non tamen ita pereunt, ut externa caussa sola sufficiat ad interitum: sed fons et origo interitus est in malo interno, quod ansam praebet atque cedit vi externae. Sed Animae malum non ejusmodi est, ut vel ipsum solum Animae mortem adferat, vel ab externâ vi ad Animae interitum converti possit. Ergo Anima nec ab internâ nec ab externâ caussâ ad interitum deduci potest. Praeterea illud animadvertendum est: Animarum numerum nec augeri nec minui. Nam nec pereunt, ut vidimus: nec plures fiunt, quia ex naturâ mortali numerus earum augendus esset, et ita paulatim omnia mortalia ad Immortalitatem traducerentur. Anima quoque, si quidem est aeterna, ut profecto est, ita debet constituta esse, ut nullus sit partium ejus dissensus, sed maximus consensus," Hactenus pertinet hoc argumentum. Ejus Sect. V. Plato.

Sect. V. Plato. duae partes postremae, de numero Animarum nec augendo nec minuendo, et de partium ipsius consensu, adjectae sunt veluti ex abundanti: et uberius explicantur in Phaedone, ut mox videbimus. Prior vero pars omnino acuminis laudem habet, et ad magnam verisimilitudinem explicari potest; si quidem ex comparatione rerum corporearum ostenditur, non habere Animam in se ejusmodi Malum, neque extrinsecus accipere posse, quò exstinguatur ipsa et pereat.

Arg. ex Dialog. Phaedon. Videamus jam de Phaedone; qui ab omni antiquitate is habitus est liber, in quo rationes Immortalitatis Animorum gravissime luculentissimeque expositae essent. Quae quidem libro laus et auctoritas conciliata est, non tam firmitate argumentorum, quam eloquentiâ Platonis. Habetur enim disputatio ex personâ Socratis, qui ultimo vitae die in carcere ad amicos disserit, tantâ animi tranquillitate ac magnitudine, tantâ fide ac persuasione futurae felicitatis, ut, non ad mortem, sed ad Deorum Immortalium domicilium abire videatur. Quare, quod dico, si quid est in ipsâ argumentatione vel erroris vel obscuritatis, hoc apud legentes cogitatione et veluti conspectu Socratis, atque orationis Platonicae gravitate ac suavitate obruebatur. Ceterum, quum ipsa Platonis disputatio haud parum habeat difficultatis ad intelligendum; operam dedi, ut eam in compendium redigerem et argumentorum summis breviter ac perspicue exhiberem.

Pr-

Primum igitur hoc est (p. 377): „ Mortis tempus exspectandum est; nec cuiquam licet se ipsum interficere. Homines enim, tamquam servi, a Diis, tamquam Dominis, in hac vitâ collocati sunt: nec abeundum est, nisi si Dii ipsi nos ex hac veluti custodiâ liberent. Itaque et ego mortem aequo animo fero: Dii enim me jam ex hac custodiâ revocant. Ac spero me ad meliores homines venturum: certe, ad optimos dominos, nimirum Deos, me perventurum, hoc vero, si quid aliud, summâ asseveratione affirmo." Hoc deinceps demonstratur. Sect. V. Plato.

Pergit (p. 378 — 380. fin.) „ Philosophia est commentatio ac studium mortis. Philosophi enim munus in eo positum est, ut Animum a rebus corporeis et fluxis avocet, et ad res intelligibiles ipsamque puram ac sinceram veritatem eum convertat. Atqui quam diu in hac vitâ et in Corpore degimus, huic muneri satisfieri nequit. Animus enim tum maxime viget cogitando, quum se maxime a Corpore segregaverit et in se ipsum collegerit: unde apparet, eum ad cogitandi vim ac praestantiam adeo non opus habere Corpore, ut potius illius vinculis solutus et per mortem liberatus, naturae suae perfectionem obtineat. Corpus nos avocat a purae sinceraeque veritatis indagatione: sensus eorumque vicaria phantasia continuo Animi cogitationem turbant, eumque in falsas opiniones erroresque inducunt. Corpus inimicum et contrarium est Virtuti. In Corpore fons Arg. I.

Sect. V. Plato. est omnis labis et corruptelae. Corporis nutrimento et voluptati servire cogitur Animus: illiusque sollicitatione ad vitia et scelera abducitur. Igitur verisimile est, Animum, post Corporis mortem, Veri cognitionem pleniorem consecuturum, et cum Diis habitaturum; si quidem jam in hac vitâ se, quoad ejus fieri potuit, a Corporis contagione purgaverit commentatione veritatis et studio Sapientiae, Iustitiae, ac Fortitudinis."

Arg. II. „ Ne vero quis objiciat, Animum extra Corpus non subsistere posse, his moneatur argumentis, Animum jam fuisse anteaquam in Corpus veniret, p. 380 — 384. In totâ naturâ rerum haec dominatur lex, ut, quidquid fit, id ex sui contrario fiat. Veluti, quod majus fit, id ex minori fit majus, velox fit ex tardo, firmum ex infirmo, calor ex frigore: ita quoque contra, ex majore fit minus, ex firmo infirmum, ex veloci tardum, ex calore frigus. Eadem necessitate conjunctae sunt vita et mors: atque, ut ex vivo fit mortuus, ita ex mortuo fit vivus. Nisi forte putemus, hac unâ in parte naturam deficere, et ex omnibus rebus duas ab hujus legis vi exemtas esse, vitam et mortem. Quod argumentum ut accuratius etiam percipiatur, animadvertendum est, omnem mutationem triplici contineri statu. Primus est, ex quo res mutata discedit; secundus, quem permeat res mutata: tertius, ad quem pervenit res mutata. Veluti, si quis dormit, is ex vigiliâ in somnum

num transit: duo sunt status: primus *vigiliae*, tertius *somni:* inter hos medius interjectus est secundus status et transitus a primo ad tertium, nimirum *obdormiscere*. Ita si quis a somno ad vigiliam redit, is interjectum permeat statum, quem vocamus *expergisci*. Quare, ut quis vivat, necesse est eum permeet statum, quem vocamus *nasci:* et ut quis mortuus sit, necesse est eum permeet statum, quem vocamus *mori*. Ergo moriundo non exstinguitur Animus, sed in alium transit statum." Sect. V. Plato.

„ Porro, si generatio haberet viam directam, non in orbem: id est, si omnes vivi continuo in mortem abirent, neque flexu viae ex morte in vitam redirent; tota paulatim natura moriundo consumeretur, et somno veternoque opprimeretur multo graviore quam ille in fabulâ Endymion. At vero natura sui ipsa est conservatrix. Igitur se non consumit pariundo, sed instaurat ex morte vitam, producit ex mortuis vivos. Ex his argumentis efficitur, post hanc vitam aliam fore vitam, quâ bonis melius, malis pejus futurum sit." Arg. III.

„ Deinde, Animum fuisse antequam in Corpus veniret, magis etiam apparebit, si ad originem notionum nostrarum attenderimus. Nam quod *discere* vocamus, nihil aliud est quam recordari; quippe, qui rectâ ratione de rebus incognitis interrogantur, ita respondent, ut perspicuum sit se rerum earum notiones jam antea Animo involutas te- Arg. IV.

Sect. V. Ratio.

tenuisse. Quod facile patebit, si animadverterimus, quid fiat recordatione et judicio rerum. Itaque nimirum quotidie experimur, nos in unius ex alterius rei cogitationem deferri. Veluti si quis videt Cebetem, is quoque in Simmiae cogitationem incidat: et si quem videmus hominem similem Cebeti, eum cogitando comparamus cum Cebete, et judicamus tacite, quam prope vel accedat ad ejus similitudinem, vel ab eâ deficiat. Neque hoc in iis tantum fit rebus, quas Corporis sensu percipimus: sed in iis etiam, quae sunt intelligibiles (i. e. abstractae) et a corporeâ naturâ remotae. Nam, ut hoc utar, si rem pulchram videmus, unde oritur illa cogitatio, *rem esse pulchram?* Non aliunde profecto nisi hinc, quod illam rem tacite cum ipsâ pulchritudinis ideâ comparamus, et judicamus quam prope illa res ad hujus ideae exemplum accedat. Ita, si quod factum judicamus esse pium vel impium, hoc factum sensu Corporis perceptum referimus ad ideas universales pietatis vel impietatis. Iam vero unde hausimus ideas universales? Non quidem, ut nonnulli volunt, sensibus Corporis. Nam his quidem haurimus ideas rerum singularium, quas ad ideas rerum universalium exigimus et dijudicamus. Et vero, nisi prius habeamus ideas universales, ne intelligere quidem possimus ideas singulares. Nil enim haberemus ad quod, tamquam ad exemplum, eas referremus, et ex quo eas agnosceremus. Unde efficitur, non per sensus Corporis primum no-

tis-

titias rerum in Animum inferri; sed in eo jam antea fuisse: igitur Animum prius viguisse ac vixisse quam Corpus nasceretur." Sect. V. Plato.

„ Sed quandoquidem plerisque alte hic scrupulus infixus est, ut putent Animum morte Corporis dissolvi, et sub discessum ex Corpore evanescere ac veluti vento dispergi, videndum est quid sit illud *dissolvi*, et in quam naturam cadere possit (p. 384—387). Atqui *dissolvi* nil aliud est, quam partibus suis ita privari, ut hae discedant a se invicem, et ut illud totum, quod his partibus constabat, non amplius sit. Igitur dissolvi nil potest, nisi quod ex partibus constat. Porro animadvertamus, rerum omnium duo esse genera: horum alterum ex partibus est compositum, continuo mutationum turbine agitatur, nec umquam eodem statu manet: alterum simplex, quod nullis constat partibus, neque propterea tantis mutationibus subjectum est, sed suum statum obtinet. Compositum contrectatur Corporis sensibus: simplex sub nullum cadit Corporis sensum, sed sola Animi cogitatione intelligitur. Iam Animus ipse quin ad simplicium rerum genus pertineat, non est quod dubitemus. Animus enim nullo Corporis sensu contrectatur, sed sui ipse actione et cogitatione sibi innotescit: Animus, quantumvis Corpus continuo mutetur, ipse idem manet: Animus, quamvis Corpus mutiletur et sensibus eorumque instrumentis corporeis privetur, ipse tamen cogitandi vim non amittit. Animus notitiam Arg. V.

Sect. V. Plato. simplicis et immutabilis naturae consequitur: Corpus non nisi fluxarum et mutabilium rerum notiones haurit. Animus puram sinceramque veritatem tum maxime assequitur, quum se maxime in se collegerit et a Corpore avocaverit; atque ita in sui similem naturam concedit, ac pascitur certâ veritatis contemplatione. Animus imperat, Corpus obedit: hoc servi, ille domini, partes tenet; ut hinc etiam intelligi possit, quae sit divinior hominis pars, Animusne an Corpus. Atqui contrariarum rerum contraria sunt attributa; itaque consequitur, Animum esse indissolubilem, si quidem Corpus dissolubile est. Ergo, ut post mortem partes Corporis dissolvuntur, ita Animus subsistit atque in purum et invisibilem locum abit, ad sapientem Deum: ad quem ita quisque certius citiusque perveniet, ut se in hâc vitâ maxime purum castumque servaverit a Corporis voluptatibus. Qui vero in hâc vitâ Corpori servierunt ejusque contagione affecti sunt, hi post mortem alia quaerunt Corpora in quibus denuo nascantur."

Arg. VI. „ Quod si vero quis hanc opinionem tueri velit, *Animum esse harmoniam*, et cogitandi vim esse Corporis qualitatem, quae oriatur ex justo temperamento humoris et siccitatis, caloris et frigoris; huic ita occurritur (p. 390 — 392.), ut ostendatur, tali temperamento sanitatem quidem Corporis effici; cogitatio autem quomodo hinc efficiatur, intelligi non posse. Repugnare quoque communi experientiae, cogitationem consistere in ta-

tali temperamento et harmoniâ; quippe in plurimorum hominum cogitatione potius discrepantiam quam harmoniam inesse." Sect. V. Plato.

„ Denique animadvertendum est, Animi eandem esse naturam ac rerum intelligibilium, id est, Idearum atque Essentiarum (p. 394 — 396). Nam, ut res quaedam sit pulchra, requiritur pulchritudinis praesentia: ut calida sit res, requiritur caloris praesentia: ut animata sit res et vivat, requiritur Animi praesentia: atque ita in omnibus aliis rebus est. Iam vero res, verbi caussâ, calida potest frigida fieri; ipse calor numquam potest frigus fieri. Res pulchra potest turpis fieri: ipsa pulchritudo numquam potest fieri turpitudo. Nam superveniente frigore, calor abit, nec ipse in frigus mutatur: superveniente turpitudine, pulchritudo abit, nec ipsa in turpitudinem mutatur. Ita superveniente morte, Animus abit, nec ipse in mortem mutatur; nam Animi praesentiâ Corpus fit animatum et vivum; et est Animi natura eadem atque Idearum Essentiarumque, quae semper subsistunt, nec umquam a suâ vi secedunt. Ergo Animus est Immortalis." Arg. VII.

Haec est argumentorum in Phaedone explicitorum summa, brevi et perspicuo, quoad ejus fieri potuit, compendio designata. Sed de singulis deinceps verbo monendum est. Argumentorum dijudicatio.

Primum nititur Providentiâ Divinâ et reprehensione Corporis. „ Animus in Corpore non potest consequi Veritatem et Virtutem. Atqui res huma-

manae gubernantur a Divinâ Providentiâ, quae in primis curam ac tutelam eorum gerit, qui in hâc vitâ Veritati ac Virtuti studuerunt. Qui quidem haec bona post Corporis mortem consequentur." Habet omnino Argumentatio magnam verisimilitudinem.

Secundi Argumenti haec est vis, ut ex comparatione omnium, quae in naturâ fiunt, ostendatur, mortem non esse transitum in nihilum, sed transitum in alium statum. Hujus rationis efficaciam egregie perspexit atque explicuit Mendelsohnus, elegantissimus philosophus, in libello de Immortalitate, Phaedonis nomine appellato. Nam quum omnis in rerum naturâ mutatio fiat paulatim et successione graduum; mutatio quidem ea, quae fit ex vitâ in mortem, id est, ex *re* in *nihilum*, non fit successione graduum: et quantumvis rem minuas, semper eodem intervallo a nihilo distabit. Igitur Animus naturae viribus exstingui nequit.

Tertium superstructum est duobus fundamentis, certo et incerto. Certum est et a Philosophis cum Veteribus tum Recentioribus probatum, in naturâ nil novum oriri nec interire quidquam: interitum et ortum non fieri ex nihilo et in nihilum, sed compositione ac dissolutione partium. Incertum est, Animos omnes jam antea fuisse quam in Corpora venirent, nec vel ab ipso Deo creari novos Animos, nec existere quadam compositione materiae. Sed Animos, si quidem a Deo creentur con-

ti-

tinuo, non interire cum Corporibus, consequitur cum ex reliquâ Platonis doctrinâ, tum ex eâ ejus parte, quae est de Providentiâ. Igitur, ut hoc fundamentum ex incerto certum fiat, demonstrandum est, Animi vim cogitandi non posse oriri ex compositione partium materiae. Quod sexto Argumento conficere studet Plato. Sect. V. Plato.

Quartum eo valet, ut ostendatur, Animos jam antequam in Corpora venirent, notiones rerum universales habuisse: quod quidem ejusmodi est, ut vehementer dubitem an recentiores idearum innatarum patroni acutius quid et subtilius ad hanc caussam obtinendam excogitaverint. Nam de fonte et initio notionum duae sunt eaeque contrariae Philosophorum sententiae: altera Aristotelis et Lockii, qui statuunt cognitionis initium positum esse in sensibus Corporis, per quos primum notiones rerum externarum inferri in Animum nudum et vacuum ab omni notione: altera est Platonis, qui tuetur fuisse jam notiones in Animo antequam in Corpus veniret: quippe qui non possit suscipere et veluti agnoscere imagines rerum externarum sensibus oblatarum, nisi alias prius habeat notiones, ad quas illas imagines extrinsecus oblatas referat atque exigat. Haec est Platonici argumenti vis, quam vulgo non satis perceperunt Interpretes. Platonis sententiam secutus est Leibnitius, eamque sub nomine *doctrinae de Ideis innatis* celebravit. Sed Plato quidem conficere hinc voluit, Animum antea in aliis Corporibus fuisse. Leibnitio hoc unum satis

Sect. V. Plato.

tis fuit, Animum notiones habuisse antequam in Corpus veniret.

Quinti argumenti efficacia repetenda est ex universâ Platonis distributione, quâ omnem rerum substantiam in duo contraria genera dividit, *Simplex* et *Compositum:* quorum, hoc dissolvitur et continuo mutatur, illud dissolvi nequit et sibi semper constat. Hujus divisionis veritatem negant quidem Stoici, Epicurei, et ex recentioribus qui vocantur *Materialistae.* Sed, si hoc concedatur Platoni, nulla erit ratio quare non concedatur illud quod inde sequitur, Animum esse simplicem nec morte Corporis dissolvi. Hoc enim Plato diligenti comparatione Animi cum Corpore conficit. Revocat denique hoc Argumentum ad Divinam Providentiam, ut doceat Animos ad Veritatem ac Virtutem factos esse a Deo: igitur, ut quisque in hâc vitâ Divinae huic legi paruerit, ita cujusque futurum statum fore. Nam qui Veritati ac Virtuti studuissent, eos ad Deum perventuros auctorem Veritatis et Virtutis: qui vero Corporis voluptatibus serviissent, eos denuo Corpus quaerere in eoque nasci.

Sextum Argumentum pertinet ad confutandam eorum opinionem, qui Animum in quâdam Corporis affectione, et humoris calorisque, siccitatis ac frigoris, temperamento posuerunt; veluti Parmenides, Zeno, et alii. In hoc Argumento magna est vis, quam uberius explicuerunt posteriores, qui Platonis vestigia persecuti sunt, atque egregiam

giam nobis demonstrationem pepererunt, quâ effi- Sect. V. Plato.
citur, *Cogitandi vim non posse inesse Corpori, quippe cujus omnes actiones passionesque contineantur partium mutatione ac motu.*

Septimum Argumentum equidem probare non possum, ac verbo notandum est. Hoc eo debet valere: „ Essentias rerum esse constantes et immutabiles: atqui, Animi Essentiam positam esse in cogitatione; ergo fieri non posse, ut Animus umquam cogitationem amittat. Itaque effici, Animum esse Immortalem." Haec, inquam, argumenti conclusio mihi non probatur. Nam, ut nil dicam de aliis partibus quae reprehendi possint, Plato confundit genus rerum *existentium* cum genere rerum *possibilium*. Etenim, ut res, quae movetur, non potest intelligi nisi ita, ut locum suum mutet: nulla tamen hinc necessitas consequitur, ut res illa semper moveatur, aut semper existat. Itaque concedo, Animum non posse intelligi, nisi ita, ut vivat: neque tamen propterea concedo, hinc necessario consequi, ut Animus semper vivat aut semper existat. Sed nimirum Plato in hanc opinionem suis ipse initiis obsecutus venit. Nam, quum statueret, Ideas existere et aeternas esse, quumque Animos ad Idearum naturam retulisset; consequens erat, ut statueret, Animos non magis vitâ posse privari, quam, v. c. triangulum tribus lateribus privari, et tamen triangulum manere.

Vidimus de Philosophicâ hujus loci parte, quâ de-

Sect. V. Plato.

demonstratur, *Animos esse Immortales.* Altera pars, quâ ostenditur, *qualis sit ille post hanc vitam status*, fabulose ac poetice a Platone tractata est; ut eam totam referre alienum sit ab hujus disputationis consilio. Sunt vero quatuor loci ubi Plato, hunc quasi fingendi campum nactus, in eo excurrit, eumque poeticâ facultate exornat: in Phaedro, Phaedone, Gorgiâ, et decimo de Republicâ. Ne vero mihi quis objiciat, Platonem has narrationes non ut fabulas, sed ut veras res, retulisse; quippe ipsum in Gorgia p. 312. E. et Rep. X. p. 518. F. has narrationes ordiri ejusmodi introitu, quo dicat, se non fabulam sed verum referre. Nam primo quidem, haec non serio, sed ex Socraticâ ironiâ dicta esse, facile quivis unus non alienus a Platonis consuetudine intelligit. Deinde in eâ narratione de regionibus apud Superos et Inferos, quae est in fine Phaedonis, Socrates diserte pronunciat p. 401. A. „*Statum vero Animi post mortem eo modo se reverâ habere, quo ego narravi, non decet affirmare sanae mentis virum: cum autem vel talem vel similem debere esse, quandoquidem Animi nostri Immortales sunt, hoc decet et affirmare et huic persuasioni fidere.*" Quare videamus, quid in his fabulis insit, quod ipse Plato probare potuerit, et cum ejus Philosophicâ sententiâ conveniat.

Ex Gorgiâ igitur haec sunt: „Anima post mortem ad Inferos abiens judicatur nuda, ut nil possit impedire quominus eam judices interius inspi-

spiciant. Nam Animae peccatis ac sceleribus in hac vitâ commissis ulcera et vibices contrahunt. Iudices, perspectâ ulcerum ratione, judicant, utrum sint sanabiles Animae, nec ne. Sanabiles corriguntur ac purgantur multis doloribus. Insanabiles puniuntur in aeternum vehementissimis cruciatibus, quibus ipsae nullam utilitatem percipiunt, sed aliis in exemplum proponuntur." Sect. V. Plato.

Ex Phaedone: „ Unaquaeque Anima suum habet ductorem Genium: hic eam ex Corpore discedentem ducit ad Inferos; prudentem quidem voluntariam, stultam et Corpori deditam vero invitam. A Geniis in certum locum conductae, ibi judicantur. Qui mediocriter se in vitâ gesserunt, malefactorum poenas ita dant, ut simul purgentur ac sanitati restituantur, benefactorum autem praemia accipiunt. Qui majora sed sanabilia tamen peccata commiserint, veluti homicidae et parentum violatores, gravioribus suppliciis vexantur: a quibus non antea liberantur, quam iis, quos injuriâ affecerint, satisfecerint ac persuaserint. Qui vero insanabilia peccaverint, multis et injustis caedibus patrandis, hi in Tartarum conjiciuntur, ex quo numquam liberantur. Denique ii, qui sancte vixerunt, veniunt in coelestem regionem: et in primis ii, qui vere philosophati sunt, semper ibi habitant, nec umquam in Corpora redeunt. Ceterum haec beatorum habitatio est quidem in ipsâ hac terrâ, sed in sublimi ac coelesti loco. Nam quod nobis aqua

Sect. V. Plato.

est, hoc ipsis est aër: quod vero nobis aër est, hoc ipsis est aether: ibi omnia sunt puriora, dilucidiora, ac subtiliora: acutioribus sensibus sunt praediti, majore intelligentiâ valent, et propiore Deorum consuetudine fruuntur. Nos vero, tamquam pisces in profundo mari, ita in infimo aëre degimus: pauci caput efferunt in puriorem aetherem; omnia apud nos crassa ac terrena sunt, hebetes sensus, tarda intelligentia, nil vere sincereque bonum."

Ex Rep. X. „Duo sunt in terrâ, iisque e regione oppositi duo in coelo, hiatus, per quos Animae adscendunt ac descendunt. In horum medio sedent Iudices, qui de Animabus judicant, iisque signa addunt bene vel male factorum: pias ad dexteram sursum, impias ad sinistram deorsum ablegant. Circuitus Animarum fit mille annis: quae mala commiserunt, centenis quibusque annis puniuntur; ut malefacta decies luant, si in alios caede injustitiâque saevierint: eadem ratione boni benefactorum praemia decies accipiunt. Sed sunt insanabiles quoque malefici, quorum poena mille annorum circuitu non absolvitur, sed deinceps instauratur, veluti sacrilegi, tyranni, et similes. Ceterum, expletis mille annis, Animae ducuntur ad sortitionem novarum vitarum: ubi maxime opus est prudenti consilio, ne specie deceptae pejorem vitam meliori anteponant: pleraeque tamen studia prioris vitae sequuntur in electione novae vitae. Posteaquam vitas elegerunt, ab-

abducuntur a suo quaeque Genio in Corpora, prius permeant Lethes campum ac fluvium, ex quo ut magis minusve biberunt, ita rerum ante actarum memoriam amittunt. Nec vero tantum hominum vitas sibi eligunt Animae, sed brutorum quoque. Genius autem suus cuique permanet, custos et effector earum rerum, quae in novâ vitâ constituta sunt." Sect. V. Plato.

Ex Phaedro: „ Anima similis est naturae alatae, quae constat aurigâ et duobus equis, meliore ac pejore. (Hae sunt tres ejus partes; auriga, *τὸ λογικὸν*, *pars rationalis:* equi, *pars irrationalis*, *τὸ ἄλογον* · melior, *θυμὸς* · pejor, *ἐπιθυμία.*) Quaelibet Anima pertinet ad choram ac tutelam unius ex undecim Diis, qui in coelo versantur. Nam Vesta domi manet. Animae, quae in cujusque Dei choro sunt, non possunt omnes Deum suum aequali modo sequi. Quae quidem sequi potest, extulit caput supra coeli verticem, et conspexit ibi sinceram aeternamque veritatem, atque incolumis manet usque ad secundum Deorum circuitum; in quo, si iterum bene Deum suum secuta fuerit, et si idem sequentibus circuitibus semper fecerit, semper incolumis manet. Nam in domicilio illo sincerae aeternaeque veritatis nutriuntur alae et corroborantur. Sed Animae, quarum equi aurigam turbarunt, in terram delabuntur fluentibus fractisque alis, et in Corpora ingrediuntur, non quidem brutorum primo, sed hominum; ceterum in varia ingrediuntur Corpora,

Sect. V. Plato.

pro vario gradu modoque sapientiae quâ praeditae sunt Optima et quae plurimum viderit in sincerae aeternaeque veritatis domicilio, venit in Corpus Philosophi: quae minus vidit, in Corpus inferioris generis venit. In eundem statum, in quo primo fuerunt, non redeunt ante expletum decem mille annorum tempus; nam hoc intervallo redeunt iis alae. Eae solae, quae vere philosophatae fuerint tribus deinceps generationibus, trium mille annorum spatio alas recipiunt, et in primum statum abeunt. Reliquae Animae, finitâ primâ vitâ, judicantur; et partim poenas daturae mittuntur sub terram, partim praemia accepturae tolluntur in coelestem locum. Mille annis praeterlapsis, utraeque redeunt ad electionem secundae vitae, quam sibi quaeque libero judicio eligit. Ubi fit, ut humana saepius Anima in bruti Corpus ingrediatur, et ex bruto in humanum Corpus Anima quae ab initio fuit humana."

Haec fere sunt, quae ex his fabulis ad philosophicam sententiam revocari possint, omissis pluribus figmentis et nominibus poeticis, veluti Minöis, Rhadamanti, Stygis, Acherontis, et similibus. Ceterum, si quis ea, quae exhibuimus, conferat cum iis, quae Plato disputat in Timaeo p. 531, is verisimiliter hanc sententiam Philosopho de statu post hanc vitam tribuat. „ Animas, ut antea fuerunt, ita postea futuras. Post mortem Corporis, judicium earum fieri apud Inferos, poenas et praemia constitui. Poenas proprie in medicinae locum iis adhiberi, exceptis insanabilibus,

Summa sententiae Platonis.

quae

quae semper in Tartaro manent in exemplum, quo aliae a sceleribus absterreantur. Quae Animae in hâc vitâ Philosophiam vere tractarunt, seque in veritatis contemplatione exercuerunt, et a corporearum voluptatum contagione puras castasque servaverunt, hae igitur manent apud Deos, nec in Corpora redeunt. Quae vero magis affectae fuerunt peccatis et voluptatum contagione, hae purgantur primum et poenas dant; praemia tamen quoque accipiunt, si quid bene fecerint in hâc vitâ: sed post longum annorum circuitum ad nova Corpora redeunt, ita ut optio cuique detur quodnam vitae genus eligere velit. Hanc vitam prouti vel cum virtute vel cum vitiis degerit, ita denuo post Corporis mortem ei fiet. In primum et antiquum felicitatis statum nulla redit Anima, nisi quae per Philosophiam se ab omni rerum corporearum contagione purgaverit." Sect. V. Plato.

De numero annorum, quo circuitus Animarum absolvatur, Plato sibi non constat; nam aliis mille, aliis tria millia, aliis decem millia tribuit; ut facile appareat, eum de numero nil certi constituisse. Rationes autem quibus Metempsychosin confirmavit, intelliguntur cum ex totâ doctrinâ et systemate Platonis, tum ex peculiaribus locis. Neque enim ita nude et simpliciter posuit illam sententiam, prouti Pythagorici: sed ejus caussas ex ipsâ naturâ Animi explicare studuit. „Nam Anima, prioris vitae consuetudine ad voluptatum cupiditatem adstricta, sponte quaerit ejusmodi Cor-

Sect. V. Plato.

pus, quod maxime accommodatum sit ad cupiditates illas explendas: fallitur etiam ignorantiâ boni, ut, in electione novae vitae, meliori pejus anteponat." Atque ita Platonis sententiam posteriores acceperunt: ut monuit Wyttenbachius ad Plutarchi librum de Serâ Num. Vind. p. 113.

Ergo vidimus Platonem egregie meritum esse de doctrinâ Immortalitatis, eamque non tantum eloquentiâ ad plurimorum assensum celebrasse, sed argumentis quoque confirmasse: quorum argumentorum, nonnulla sunt valde probabilia, nonnulla obscuriora, sed quae tamen quasi semina contineant, quibus excolendis posteriores Philosophi huic doctrinae majorem firmitatem adjunxerunt. Ceterum qualis esset ille post hanc vitam status, ab eâ quidem parte probabiliter significavit, ut intelligatur, bonis bene, malis male, futurum esse: felicitatem consistere in Veritate et Virtute, in earum contrario positam esse infelicitatem: quae vero peculiariter praeterea de hoc statu prodidit, ea quamquam ad verisimilitudinem adducere studuit, valde tamen et incerta sunt et obscura.

Academici.

Sequitur, ut de Platonis successoribus dicam. Igitur ex ejus discipulis duo praecipui doctores exstiterunt. Alter Speusippus, quem heredem doctrinae in Academiâ reliquit. Alter Aristoteles, qui a magistro dissentiens novam ipse scholam in Lyceo constituit. Sed Academiae doctores non om-

omnes in eadem sententiâ permanserunt, unde variae numerantur ac nominantur Academiae. Prima fuit a Speusippo ad Crantorem, qui in Platonis doctrinâ floruerunt, eamque tenuerunt. Secunda exstitit auctore Arcesilâ; tertia, auctore Carneade; qui omnino nil statuerunt, sed contra omnia disputarunt, omnisque cognitionis fundamenta dubiis labefactarunt. Carneadem audivit Clitomachus: Clitomachum Philo, Ciceronis magister, qui multum ex illâ dubitatione remisit, propiusque ad antiquam Platonis rationem accessit; unde quarta numeratur ab eo Academia. Denique fuit Antiochus, qui multis partibus Stoicos secutus est; unde quintae Academiae auctor perhibetur. Sed horum omnium scripta quum perierint; breviter notabimus, quod fuerit de Animorum Immortalitate placitum Primae Academiae. Nam de hac unâ ex quibusdam aliorum mentionibus conjicere licet. Sect. V. Academici.

S p e u s i p p u s in Platonis doctrinâ permansit, et scripsit quoque de Animâ; ut est apud Diogenem Laertium IV, 1. et 4. Speusippus.

Hunc doctrinae laude superavit successor x e n o c r a t e s, qui Platonis sententiam scriptis illustravit multis, in quibus fuit unum *de Animâ*, ut refert Diogenes Laert. IV. 13. Fuit quoque liber ejus *de Morte*; ut est apud eundem IV. 12. Hunc Marsilius Ficinus, et post eum alii, eundem esse voluerunt atque *Axiochum*, qui hodie- Xenocrates.

Sect. V. Academici. Xenocrates.

que sub Aeschinis nomine fertur. Perperam. Nam potius Sophistae stilum redolet, nec cum Xenocratis sententia satis convenit. Hic quidem, Pythagoreorum more, *Animam dixit esse numerum, qui se ipse moveat:* eamque ab omni figurâ et corporeâ concretione remotam esse statuebat: ut refert Cicero Tusc. I. 10. ubi plura dedit Io. Davisius: cum quo conjungendus est Plutarchus, de Animi Procreatione secundum Platonem in Timaeo, T. II p. 1012. D. De naturâ Daemonum et Animalium quoque Pythagoreos secutus est; ut constat ex Clemente Alex. Strom. V. p. 590. C. cui addatur Bruckerus T. I. p. 739.

Crantor.

Magnam in Philosophiâ auctoritatem habuit CRANTOR, cum ob reliquam rerum scientiam, tum ob editum librum plane egregium de Consolatione, quem Veteres frequenter et laudarunt et imitati sunt, veluti Cicero, Seneca, Plutarchus, et alii: qui dubitare nos non sinunt, quin plurimae consolandi rationes ab Animorum Immortalitate repetitae fuerint. Sententiam ejus de substantiâ Animae, quam ex sensibili et intelligibili parte constare voluit, ut ante eum Plato, refert Plutarchus l. cit. T. II. p. 1012. D. F. Fragmentum ex Consolatione exstat apud eundem Plutarchum T. II. p. 104. C: quo hac etiam in parte cum Platone consentit, ut Animorum corruptionem ex corporeorum seminum contagione oriri dicat.

Sed, ut dixi, horum omnium libris perditis, cum

cum eorum, tum Philonis sententiam ex Cicerone plenius intelligemus: de quo infra peculiariter dicendum erit. Sect. V. Academici.

S E C T. VI.

De Aristotele.

Proximus Platoni aetate atque auctoritate fuit ARISTOTELES; qui utrum Animam immortalem an mortalem statuerit, acerrimae antiquitus fuerunt Philosophorum dissensiones. Quod si verum esset, quod pluribus locis dixit Cicero, nil differentiae fuisse inter Veteres Academicos et Peripateticos (Academ. I. 9. Offic. III. 4.); non erat quod hanc quaestionem moraremur. Nunc Ciceronis judicium valet tantummodo de methodo et quibusdam capitibus utriusque sectae. Neque negari potest, Aristotelem a Platone dissensisse, cum aliis multis locis, tum de Animae naturâ. Utrum de Immortalitate quoque ab eo dissenserit, jam nobis videndum est. Equidem hac quaestione ita defungi poteram, ut secundum eos pronunciarem, qui novissimâ aetate eam tetigerunt, vel secundum Cudworthum ejusque interpretem Moshemium Syst. Intell. T. I. p. 88., vel secundum eum, qui melius in hac re versatus est, Bruckerum Hist. Crit. Phil T. I. p. 824. Verum enim in ejusmodi Disputatione, quae ad Vos fit, Doctissimos Judices, hoc a me postulari arbitror, Sect. VI. Aristoteles.

Sect. VI. Aristoteles.

non ut Vobis reponam dicta dudum ab aliis ac pervulgata, sed ut rem ab ipsis principiis ac Veterum fontibus repetam. Et spero, me hac ratione aliquid allaturum, quod Vestris judiciis probem.

Ergo Aristotelem de Immortalitate cum Platone consentire contendunt, Hierocles de Provid. et Fato, apud Photium Biblioth. Cod. CCXIV: Anonymus de Vitâ Pythagor. Sect. XIV. Edit. Kusteri: disertius etiam, nec verbis tantum, sed rationibus, Simplicius ad Aristotel. de Anim. L. III. p. 69. Fuit hoc Alexandrinorum plerorumque, qui etiam Iuniores Platonici et Eclectici appellantur, studium, ut Aristotelem cum Platone in concordiam redigerent. Nec tamen omnes hoc egerunt: quippe Plotinus ac Porphyrius Aristotelis opinionem, de Animae substantiâ in Entelechiâ positâ, reprehenderunt, apud Eusebium Praep. Evang. XV. 10, 11: Iamblichus item, aliâ de caussâ, apud Stobaeum Eclog. Phys. I. p. 107. Pro Immortalitate quoque facere videtur Scriptor de Placitis Phil. V. 25, qui prodit hanc Aristotelis opinionem: „Mortem pertinere ad Corpus, non ad Animam; nam Animae nullum esse interitum." Sed hic locus omittitur apud compilatorem ejusdem operis, qui falsô Galeni nomine fertur; ut hanc dubitem assentiri Corsino, statuenti, eum temere in Pseudo-Plutarchi contextum irrepsisse.

Medium quoddam tenere voluit Pseudo-Origines

in

in Philosophumenis Cap. XX. cujus hic est locus: „ *Plato Animam statuit Immortalem; Aristoteles vero putat, eam quidem remanere post Corporis mortem: sed postea tamen evanescere in quintum elementum, quod praeter quatuor reliqua esse vult, subtilius illud aëre et veluti spiritum.*" Nec dissimilis est huic sententiae ea, quam propit Pseudo - Plutarchus de Placit. Phil. V. 1. „ *Aristoteles et Dicaearchus dicunt, Somnium divinationem habere propter Enthusiasmum; quippe putant, Animam, non quidem Immortalem, sed tamen Divinam esse.*" Consentit hac in parte Sextus Empiricus Advers. Mathem. IX. 20. ubi dicit. „ Homines Dei notionem per Somnia quoque accepisse, atque eo inductos esse, ut putarent, Deos Animae nostrae similes esse." Sect. VI. Aristoteles.

Mortalem Animam ex Aristotelis sententiâ esse, diserte prodidit Alexander Aphrodisiensis, cujus auctoritatem posteriores plerique secuti sunt, ut recte monent Moshemius et Bruckerus locis memoratis. Iam Iustinus Martyr. Cohort. ad Gentes p. 7. E. in notandâ Platonis et Aristotelis discrepantiâ ait: „ *Et Plato quidem diserte pronunciat, omnem Animam esse Immortalem. Aristoteles vero, Entelechiam eam vocans, non immortalem, sed mortalem esse vult. Plato eam semper moverî dicit: Aristoteles immobilem, sed omni motuî praeire vult.*" Huic adjungendus est Atticus, doctissimus Platonicus, cujus locum servavit Eusebius in Praepar. Evang. XV. 9: qui non quidem

Sect. VI. Aristoteles.

dem affirmat, Aristotelem diserte pronunciasse Animam esse mortalem; sed tamen contendit, hoc ex reliquis Philosophi placitis consequi.

Ceterum haec quaestio, de verâ sententiâ Aristotelis, Ciceronis quidem aetate nondum agitata fuisse videtur. Hic enim ita illius sententiam de naturâ Animae memorat, ut non dubitet eam in confirmationem Immortalitatis assumere. Tusc. I. 10. „*Aristoteles longe omnibus, Platonem semper excipio, praestans et ingenio et diligentiâ, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse e quâ sit mens. Cogitare enim et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari; haec et similia eorum in horum quatuor generum inesse nullo putat. Quintum genus adhibet vacans nomine, et sic ipsum Animum appellat, ἐντελέχειαν, novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem.*" Porro eodem libro Cap. 27. hinc concludit, eandem esse Deorum et Animorum naturam; ubi ait: „*sin autem est quinta quaedam natura, ab Aristotele inducta primum, haec et Deorum est et Animorum.*" Deinde, Aristoxeni opinionem reprehendens, qui Animum Harmoniam et proinde mortalem volebat esse, haec addit: „*Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli: canere ipse doceat.*" Conf.

Fragm.

Fragm. Ed. Ern. p. 1097. Ex his profecto apparet, Ciceronem judicasse, Aristotelis sententiam valere ad Animorum Immortalitatem stabiliendam. Sect. VI. Aristoteles.

Longa et fuit et etiamnunc est quaestio, quid proprie Aristoteles significaverit voce illâ ἐντελεχείας· eaque conjuncta est cum reliquâ Viri doctrinâ, ita quidem, ut, si ea explananda sit, magna pars totius Aristotelicae Philosophiae explicari debeat. Quod quum longius sit quam pro hujus disputationis finibus; illud agam, quod propius ad nostrum consilium pertinet, ut ostendere studeam, quae fuerit sententia Aristotelis de vitâ et statu Animae post Corporis mortem.

Et primum quidem, quum scripta Philosophi haud pauca ad nostram aetatem venerint, ex his potius quam aliunde ipsius sententiam indagemus. Fuit autem duplex genus librorum Aristotelis, *Esotericum* et *Exotericum.* Ex *Esoterico* genere sunt plerique omnes ii, qui hodieque exstant; certe ii, in quibus de Animae naturâ et qualitatibus proditum est. *Exotericus* fuit Eudemus, Dialogus de Animâ, qui periit. Et perierunt omnes fere Exoterici libri, magno literarum damno; quod hic error vulgo invaluisset, in solis Esotericis veram Aristotelis sententiam consignatam esse. De hâc differentiâ si cogitassent ii, qui de Philosophi sententiâ in argumento Immortalitatis disputarunt, certiorem disputationis exitum invenissent. Iam vero in Opere *de Animâ*, et in aliis, qui supersunt, libris, fere nullam facit

men-

Sect. VI. Aristoteles.

mentionem Immortalitatis Animorum; sed in Dialogis perditis hoc peculiariter egerat. Luculentum est testimonium Procli, cujus aetate Dialogi Aristotelis nondum perierant. Sic igitur ille in Commentario in Tim. Plat. Lib. V. p. 338: nam satis est locum Latine reddidisse: „*Aristoteles in opere de Animâ, physice, (id est, ex naturae observatione,) hoc argumentum tractans, nil dixit de Animae in Corpus descensu, nec de ejus sorte ac statu: nam de hac parte praeparationis caussâ disputaverat in Dialogis.*" Eudemum Dialogum Veteres bene multi memorarunt: ut monet Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 190. Ex eoque elegantissimum locum servavit Plutarchus T. II. p. 115: ubi graviter pronunciatur, *Mortuos divinâ quadam sorte frui ac felices beatosque esse.*

Sequitur ut videamus, an forte in Esotericis, iis quae ad nostram aetatem venerunt, ejusmodi prodiderit principia, ex quibus Immortalitas Animorum consequatur. Voluit igitur Animam tribus facultatibus constare, *vegetabili*, *sentiente*, *intelligente.* Hanc postremam Νοῦν, *Mentem* seu *Animum*, appellat, et si quid, ex Aristotelis sententiâ, in homine est Immortale, hoc in Mente solâ esse potest. Atqui Νοῦν in solis hominibus inesse dicit, et si quae forte sint Animalia homine praestantiora, de Anim. Lib. II. Cap. III. Porro Νοῦν *non cum Corpore permixtum esse* affirmat Lib. III. Cap. V. Mox Cap. VI. Νοῦν agentem

Sect. VI. Aristoteles.

tem a Nῷ patiente distinguit: dicit quoque „*Eum segregabilem esse a Corpore, Purum, ejusque essentiam positam esse in actione: segregatum vero a Corpore, eum solum esse illud quod est, et solum esse ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, immortalem et aeternum: non autem recordari nos, propterea quod recordatio in solum patientem νοῦν cadat, qui perit, et sine hoc nil cogitat.*" Hic locus, ut verbis luculentus, ita re obscurus est; unde non satis ad eum attenderunt ii, qui de Aristotelis sententiâ scripserunt. Ego non video quare non sequar doctissimos interpretes, Themistium p. 88 — 92, et Simplicium p. 69. seq. quorum huc redit sententia: „unam Animae humanae partem, νοῦν πρακτικὸν, esse aeternam et Immortalem: nec tamen illam reminisci earum rerum, quae ei obtigerint in priori vitâ; quippe solutam a νῷ παθητικῷ, in quo solo versetur recordatio, quia est passio. Simplicius quidem non male Aristotelicum hoc argumentum e Platonico de Animi propriâ movendi facultate repetit: ceterum νοῦν πρακτικὸν non interire, sed cum νῷ παθητικῷ conjungi in eumque abire, contendit; credo, ut ita magis Aristotelem cum Platone conciliet. Themistius vero hunc locum cum alio ex eodem opere Lib. I. 4. confert, unde efficit, νοῦν πρακτικὸν solum relictum vacare ab omni passione, memoria, voluptate, dolore, et omnino cogitatione eâ, quae posita sit in patiendo. Videatur etiam Ammonius in Arist. de Interpret. haud procul ab initio.

Ac-

Sect. VI. Aristoteles.

Accedunt ex aliis Aristotelis libris alia testimonia. De Animal. Generatione Lib. III. Cap. III. quum de ortu partium Animae exposuisset, addit: „*Ergo patet, solum* Νοῦν *extrinsecus in hominem ingredi, eumque solum esse divinum.*" Hunc locum non reprehendere debebat Moshemius adferendâ parte proximâ, ubi dicit Aristoteles, „omnem Animae facultatem praestantioris esse naturae, quam naturam quatuor elementorum: et spiritum vitalem, qui in semine latet, esse similem elemento astrorum." Hoc enim cum dicit Aristoteles, nil dicit quod Animi Immortalitatem tollat. Nam primo quidem, quamquam omnem Animae facultatem ex illo quinto elemento esse vult, tamen, ut vidimus, solum Νοῦν, praestantioris etiam naturae, Divinum et Immortalem esse statuit. Et Astrorum natura, secundum Peripateticos, praestans ac Divina est. Denique in aliis libris ejusmodi exstant sententiae, quae Immortalitatem confirmare videantur: Metaphys. Lib. XII. Cap. IX. in disputatione valde obscurâ, illud tamen perspicue dicitur, „*mentem hominis* (Νοῦν), *non dividi posse nec materiam habere:*" Physic. Auscult. Lib. VI. Cap. III. „*omne quod mutatur, dividi potest.*" Ibid. Lib. VII. Cap. IV. §. 14. „*Mutatio non fit nisi in sentiente parte Animae.*" Haec igitur dicta, si ad justam interpretationem exigantur, efficiunt ejusmodi conclusionem, quâ statuatur Animus Immortalis esse; ut, etiamsi non di-

diserte dictum esset ab Aristotele, tamen haec inde sententia consequatur. Sect VI. Aristoteles.

Ut omnis Esoterica Aristotelis doctrina obscurius tradita est, ita magis etiam loci de Animâ ac Deo. Itaque jam antiquitus caussam reprehensioni praebuit, ac si de Deo, Providentiâ, et Animorum Immortalitate, non satis magnifice sensisset. Sed tamen acerrimi etiam reprehensores non eum hoc nomine accusarunt, quasi omnino negasset illarum rerum veritatem, sed quod obscurius ac levius de iis pronunciasset. Itaque Atticus apud Eusebium Praep. Evang. XV. 9. hoc quidem concedit, „ *Aristotelem* Νοῦν *Immortalem statuisse:* sed addit, *haec Immortalitas, quomodo menti* (νῷ) *tribui possit, quis etiam ejus sit post mortem status, omnino ab Aristotele non explicitum esse.*"

Ergo Aristoteles, ut obscure, sed tamen statuit Animum esse Immortalem, ita de conditione vitae futurae nil diserte dixit: ceterum, ut videtur, Animo vitam quidem Immortalem tribuit, sed eam vacuam a rerum singularium cogitatione, memoriâ, appetitu, voluptate, dolore. Summa sententiae Aristotelis.

Aristoteli successit THEOPHRASTUS, cujus ex multis scriptis quaedam servata sunt, nec tamen ea, in quibus de Animâ prodiderat, veluti Θέσις περὶ ψυχῆς, quam memorat Diogenes Laertius V. 26. Eum vero in loco de Animâ non dissensisse ab Aristotele, colligitur cum inde, quod nulla apud Antiquos hujus dissensionis men- Theophrastus

Sect. VI. Aristotelici. Theophrastus.

tio facta est, tum quod nonnulli etiam diserte produnt, eum magistri sententiam secutum esse eamque adeo explicuisse: veluti Themistius in Paraphrasi Aristot. de Animâ L. III. p. 91. A. et Stobaeus Eclog. Phys. L. I. p. 108. fin.

Strato.

Theophrasti successor fuit STRATO, qui magistri doctrinam multis partibus innovavit, et fere sola Physica tractavit, unde *Physicus* cognominatus est. Hic, quum Democritum sequeretur, omnemque in naturâ actionem ex Corporum affectionibus, gravitate, pondere, ac motu, repeteret, de Animae Immortalitate non magnifice sensisse videtur. Scripta quidem ejus, ut reliquorum omnium, qui a Theophrasto ad Ciceronem fuerunt, omnia perierunt. Exstant tamen quaedam apud Veteres indicia, unde sententia ejus colligatur. Sextus Empiricus Adv. Mathem. VII. 350. *οἱ μὲν διαφέρειν αὐτὴν τῶν αἰσθήσεων, ὡς οἱ πλείους· οἱ δὲ αὐτὴν εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν· ἧς στάσεως ἦρξε Στράτων τε ὁ Φυσικὸς καὶ Αἰνεσίδημος·* i. e. „*Alii quidem putant, ut plerique, Animam differre a sensibus: alii autem statuunt, ipsam Animam esse sensus, et per sensuum instrumenta, tamquam per foramina, se proferre. Cujus sectae auctor fuit Strato Physicus et Aenesidemus.*" Locum descripsi, quo magis de verâ ejus significatione existimari posset. Et patet, eum nullo modo aliter accipi posse, nisi ut haec fuerit Stratonis opinio, *Animam nil aliud esse quam sen-*

Sect. VI. Aristotelici. Strato.

sensus. Atqui doctissimus Bruckerus T. I. p. 850, Sexti Empirici verba in eam sententiam pervertere voluit, ut Strato Animam a sensibus distinxerit. In quem errorem, nisi me omnia fallunt, potissime inductus est duobus locis, quos a Fabricio allatos viderat. Alter est Lucretii, reprehendentis eos, qui statuunt, oculos nil videre, sed Animam per oculos videre: quae quidem reprehensio non pertinet ad Stratonem, sed potius ad Epicharmum et similes, ut supra observavimus. Alter est Tertulliani de Animâ, ubi Strato iis opponitur, qui cum Dicaearcho et aliis *ita abstulerunt principale, dum in Animo ipso voluerunt esse sensus*. Sed primo quidem, major in referendis Philosophorum sententiis est auctoritas Sexti quam Tertulliani. Deinde vero, possunt Stratonis et Dicaearchi opiniones ita sibi invicem opponi, ut ille dixerit, *Animam nil aliud esse quam ipsos sensus*, hic putaverit, *non sensus, sed Animam esse eam partem quae in nobis sentiat*. Sed de hoc, utcumque accipiatur, non magnopere laboramus. Illud in primis animadvertendum, Sexti, cujus haud contemnenda est auctoritas, verba nullam aliam admittere significationem nisi hanc, *Animam ipsam esse sensus*. Huc accedit, quod Strato in primis Democritum secutus est, qui Animam mortalem statuebat, cujusque discipulus Protagoras, ut supra vidimus, hoc ipsum volebat, Animam nil aliud esse nisi sensus. Pertinet quoque ad Stratonis opinionem quod tradit

Sect. VI. Aristotelici. Strato.

Plutarchus ille, ut habetur, Scriptor de Placitis Philos. IV. 5: „ *cum Animae domicilium posuisse ἐν μεσοφρύῳ, id est, eâ capitis parte interiore, quae superciliis interjecta est.*" Atque ex his omnibus mihi probabile videtur, Immortalitatem Animorum a Stratone negatam fuisse.

Iam, qui deinceps in hac Lycei successione floruerunt, Lycon, Ariston, Critolaus, Diodorus, propius denuo ad Aristotelis ac Theophrasti doctrinam accesserunt; ut, quoad quidem in tantâ Veterum monumentorum jacturâ conjicere licet, non videantur in doctrinâ etiam de Animorum Immortalitate discrepasse ab auctoribus hujus scholae.

Fuerunt praeter hos alii, non quidem in Lyceo successores, sed tamen Aristotelicae Philosophiae magistri, celebres ingenii doctrinaeque laude. Primus est HERACLIDES, Ponticus, doctus profecto vir, sed idem valde superstitiosus, qui primum Platonem, postea Aristotelem audivit. Vitam ejus, more suo, prodidit Diogenes Laertius V. 86, et sequentibus: qui eum Pythagoricis quoque operam dedisse perhibet. Hujus quoque scripta, quae multa fuerunt, omnia perierunt. Nam libellus de Allegoriis Homeri, qui Heraclidis Pontici nomine fertur, alium habet auctorem. Enimvero, quum reputo, eum et Pythagoreos et Platonem audivisse, haud dubitem, quin uberius etiam quam Aristoteles de Animorum Immortalitate prodiderit. Scripsit duo opera *de Animâ*, ut

Heraclides.

ut refert Diogenes Laert. V. 87. Denique, ne quis de nostrâ conjecturâ dubitet, statuit etiam de Animarum post mortem migratione, quas, antequam in Corpora redeant, in Viâ Lacteâ coeli habitare dixit: ut refert Iamblichus in deperdito libro de Animâ, unde partes quasdam protulit Stobaeus Eclog. Phys. L. I. p. 113. Sect. VI. Aristotelici. Heraclides.

Ab Heraclide multum dissensit DICAEARCHUS, cujus fuit singularis quaedam doctrinae copia et elegantia, ut eum Cicero delicias suas appellaret. Hic vero diserte etiam Immortalitatem Animorum impugnavit. Audiamus Ciceronem Tusc. I. 31. „*Acerrime autem, deliciae meae, Dicaearchus contra hanc Immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis sermo habetur, in quibus vult efficere Animos esse mortales.*" Idem ib. Cap. 11. „*Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino Animum dicat esse?* Idem ib. Cap. 18. inquit, „*Dicaearchum ne condoluisse quidem umquam videri, qui Animum se habere non sentiat.*" Sextus Empiricus Adv. Math. VIII. 349. *Dicaearchus nil esse vult Animam nisi quandam affectionem et qualitatem Corporis.*" Atticus apud Eusebium Praep. Evang. XV. 9. p. 810. A. inquit: „*Dicaearchus totam substantiam Animae sustulit.*" Scripsit quoque *Descensum in Antrum Trophonii*, quo libro opinionem Immortalitatis ad vulgi superstitionem amandasse videtur. Sed non est quod plura dicamus, post Fabricium Dicaearchus.

Sect. VI. Aristotelici.

Bibl. Graec. T. I. p. 796. seq. et Bruckerum Hist. Crit. Philos. T. I. p. 854.

Aristoxenus.

Hujus fuit aequalis et amicus ARISTOXENUS, qui Animam non peculiarem substantiam, sed Corporis qualitatem et harmoniam esse statuit. Cicero Tusc. I. 10. inquit: „*Aristoxenus Musicus, idemque Philosophus, ipsius Corporis intentionem quandam, Animam esse dixit, velut in cantu et fidibus, quae harmonia dicitur: sic ex Corporis totius naturâ et figurâ, varios motus cieri, tamquam in cantu sonos.*" Conferatur idem Cap. 18. Hanc tamen opinionem non modo confutaverat Plato in Phaedone, sed ipse Aristoxeni magister Aristoteles de Anim. L. I. Cap. IV. Hinc vero consequi, ut Anima cum Corpore moriatur, et sponte intelligitur, et monuit Cicero, libro memorato Tusc. I. 11.

De reliquis Peripateticis, qui floruerunt usque ad Ciceronem, veluti *Clearcho*, *Demetrio Phalereo*, *Hieronymo Rhodio*, *Phania Eresio*, *Andronico Rhodio*, *Boëtho Sidonio*, *Cratippo*, quid de Immortalitate quisque statuerit, non proditum est in iis, quae supersunt, Veterum libris.

Ergo Aristoteles quum in Esotericis libris, in quibus doctrinae Philosophicae principia accuratius explicantur, rarissime et obscurius de Animi Immortalitate statuisset, factum est ut ejus studiosi vel ipsi negarent Immortalitatem, vel simul ab ipso Aristotele eam negatam fuisse pronunciarent. Huc accedebat cogitatio differentiae, quae in-

Summa sententiae Aristotelicae.

inter Platonis et Aristotelis doctrinas intercedit. Illius unum gravissimum ac firmissimum fundamentum est Immortalitas. In hac vero Immortalitas non nisi locum habet consectarii, et ejusmodi quidem, quod et obscurius positum sit, quoque negato reliquae tamen doctrinae nexus non turbari videatur. Porro, Moralem Philosophiae partem praecipue placito Immortalitatis superstruxit Plato; non item Aristoteles. Deinde, hic negavit quaedam fundamenta Immortalitatis, quibus ille usus erat: veluti, quum Plato statueret *Animam se ipsam movere*, hic voluit *Animam omnino non moveri*: de qua disputatione videndus est etiam Macrobius in Somn. Scipion. L. II. Cap. XIII—XVI. Plato et νοῦν et ψυχὴν volebat esse Immortales, easque duas naturas numquam separari: Aristoteles eas separari, et solum νοῦν Immortalem, dixit. Denique, de duabus rebus magnopere cum Immortalitate conjunctis, de Divinâ naturâ et Providentiâ, non satis perspicue pronunciaverat Aristoteles. Enimvero, quum statuisset, Deum esse Naturam (i. e. substantiam) intelligentem et Immortalem, eamque omnis motûs esse principium, quamquam ipsa motu careat: cumque eadem attributa tribueret menti humanae; non profecto ponendus est in eorum numero, qui Animorum Immortalitatem negarunt. Sect. VI. Aristotelici.

SECT. VII.

De Cynicis.

Sect. VII. Cynici. Antisthenes.

Ex Socratis discipulis fuit etiam ANTISTHENES, qui praecipue partem Socraticae doctrinae eam est amplexus, quae ad duritiem et voluptatum contemtum pertinet, atque Cynicorum sectae auctor exstitit. Et Cynici quidem ex tribus, in quas Antiqui Philosophiam distribuebant, partibus solam Moralem sequebantur, Dialecticam et Physicam repudiabant; ut recte prodit Diogenes Laertius VI. 103. Sed hoc, ut alia, postea demum in Cynicâ ratione constituta sunt. Nam Antisthenes quidem ipse omnes tres partes tractavit, ut intelligitur ex scriptis ejus, quorum indicem prodidit idem Diog. Laert. VI. 15—18. Ac fuerunt omnino in his scriptis nonnulla, in quibus de futuro Animae statu pronunciare debuerit: veluti libri, *de Moriundo*, *de Vitâ et Morte*, *de Inferis.* Ceterum, quid statuerit de his rebus, in tantâ monumentorum jacturâ affirmare non licet. Unam reperi sententiam ejus memoratam ab Eustathio ad Homer. Iliad. Ψ. p. 1288. Ed. Rom. ἐντεῦθεν ὁ Ἀντισθένης κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἑρμηνεῖς, ὁμοιοσχήμονας ἐδόξασεν εἶναι τὰς ψυχάς· i. e. *hinc, secundum Veteres, profectus Antisthenes Animas Corporis figuram habere arbitratus est.*" Hoc igitur quum eo loco dicatur, ubi sententiae quaedam Philosophorum de Animae post hanc vitam ha-

habitu recensentur, intelligitur Antisthenem statuisse, Animam Corpori superstitem esse. Huc accedit, quod nemo Veterum prodidit, eum hac in parte a Socrate dissensisse. Quod argumentum a silentio desumtum non est nullius momenti; quippe plerumque Veteres, qui supersunt, Historiae Philosophicae Scriptores, diligentes fuerunt in memorandis placitis, quibus a magistris dissensere discipuli.

Sect. VII. Cynici. Antisthenes.

Antisthenem ita secutus est DIOGENES, Sinopensis, ut relictâ Physicâ et Dialecticâ Philosophiae parte, solam Moralem retineret, eamque ad victûs duritiem, patientiam, veram Animi libertatem, voluptatum opinionumque contemtum, referret. De hoc viro quum multa mirabilia, nec tamen omnia certâ fide, memorentur dicta et facta, nil tamen ejusmodi proditum exstat, unde certâ ratione colligatur, quae fuerit ejus sententia de Animorum futuro statu. Risit ille quidem superstitionem, quâ vulgo ferebatur, initiatos post mortem meliori fore conditione quam eos qui non essent initiati. vid. Diog. Laert. VI. 39. Nec tamen hinc efficitur, eum statuisse Animum cum Corpore exstingui. Si vere ita sensit, ut ejus dictum memoratur ab eodem Diogene Laert. VI. 68, *Interrogatus, an mors malum esset, respondit: Quomodo malum sit cujus praesentis nullus est sensus:*" hoc quamvis verbis quidem proxime videtur accedere ad eorum opinionem, qui Animum morte Corporis interire statuerent, re tamen

Diogenes.

Sect. VII. Cynici. Diogenes.

aliam capit interpretationem; si quidem de Corpore tantum sermo fit. Igitur fere redit eodem, quô aliud ejusdem dictum apud Ciceronem Tusc. I. 43, ubi moriens dixisse fertur, *nil suâ interesse utrum sepeliatur an a feris lanietur, quippe nil sentiri a mortuo.* Scripsit etiam librum *de Morte*, si vere tribuuntur ei scripta, quae recenset Diog. Laert. VI. 80. Fertur etiam hoc ejus dictum: „ *Omnia esse Deorum; Sapientes esse amicos Deorum; Amicorum omnia communia; E. omnia esse Sapientum.*" Haec igitur et similia haud minus ab eo possunt pronunciari, qui Animos mortales, quam ab eo, qui eos Immortales statuat. Nam et Stoici, a Cynicis profecti, multa magnifice et similiter de humanae naturae cum Diis conjunctione praedicabant, neque tamen hoc eos impediebat, quominus Animos mortales esse dicerent. Neque vero magis constat, quid alii Cynici de hac parte senserint. Nam quod de Menedemo prodidit Diogenes Laertius VI. 107, eum furiae habitu assumto circumiisse ac dixisse, se ex Inferno missum, ut hominum peccata cognosceret eaque Inferni Daemonibus nunciaret: hoc igitur facile apparet, non ex sectae sententiâ, sed ex vulgari opinione accipiendum esse. Et Menippus scripsit Νεκυΐαν, id est, *Descriptionem Inferni*, ut refert idem Diogenes Laert. VI. 101. quod scriptionis genus in primis feliciter imitatus est Lucianus. Nec tamen hinc sequitur, Menippo magis placuisse Animorum Immortalitatem quam

vel

vel Luciano, qui eam diserte negavit, vel cuivis alî, qui Mortuorum Colloquia finxit. Sect. VII. Cynici.

S E C T. V I I I.

De Stoicis.

Diogenis Cynici discipulum Cratetem audivit ZENO, Citticus, auctor Stoicae sectae: qui cum magistro in ea quidem parte consensit, ut finem Philosophiae poneret in verâ libertate ac virtute Animi: ceterum ab eo ita dissensit, ut hunc finem non solâ voluntatis inductione et exercitio, quod fere Cynicis placebat, sed ratione quoque et rerum doctrinâ consequendum esse statueret. Igitur et de Morali parte subtilius disputavit, et duas reliquas partes Dialecticam et Physicam assumsit, easque ita explicare studuit, ut perfectum et omnibus numeris absolutum Philosophiae Corpus, s. Systema, constitueret. Et de hujus quidem doctrinae laudibus vitiisve uberius exponere, et longum, nec hujus loci, est. Quare veniamus in rem praesentem. Sect. VIII. Stoici.

Constat inter omnes, hanc fuisse Stoicorum sententiam, *Animas esse mortales.* Quam sententiam licet alii aliâ ratione alioque modo secuti sunt, omnes tamen in eo consenserunt, *Animos non esse sempiternos.* Atque hoc eo magis mirandum est in Stoicis, qui summum bonum in Virtute ponebant, Virtutem ipsam studio et labore compa-

ra-

Sect. VIII. Stoici.

rari statuebant, humanam naturam magnifice extollebant, et cum Divinâ fere naturâ aequiparabant. Illi vero ad stabilienda gravissima Philosophiae capita adeo non opus esse Immortalitate putabant, ut censerent summum bonum per se ipsum absolvi et compleri, non vero augeri tempore ac diuturnitate. Itaque hac utebantur similitudine: ut optimus esset tibicen non qui diutissime, sed qui maxime ex legibus artis cecinisset, ita optime vixisse non eum, qui diutissime, sed qui maxime convenienter cum vivendi legibus vixisset: ut histrio optimus esset, non qui diutissime, sed qui optime, egisset, ita in hoc quasi Mundi theatro unicuique tributam esse personam, nec referre utrum quis eam diu, sed an bene convenienterque, egisset. Sed de ipsâ conditione et duratione Animorum post hanc vitam non omnes idem senserunt: aliter Antiquiores, qui Animos aliquantum remanere volebant: aliter recentiores, qui fere in eam opinionem concesserant, ut Animos cum corpore exstingui putarent. Igitur quum scripta Antiquiorum omnium, qui ante Senecam fuerunt, veluti Zenonis, Chrysippi, Cleanthis, Posidonii, aliorumque perierint, nec nisi trium fere in hoc argumento libri Stoicorum supersint, Senecae, Epicteti, et Marci Antonini; operam dabimus, ut ne Antiquiorum Recentiorumque placita temere confundamus, nec Stoicis promiscue omnibus tribuamus omnia, quae a tribus illis, quorum scripta servata sunt, pronunciantur.

Pri-

Primum igitur Stoici ab Aristotele et Platone in eo dissenserunt, ut Animum corporeum esse statuerent; non quidem ut eum vim quandam et attributum Corporis animalis, sed, ut substantiam corpoream esse dicerent. Nam quum res omnes in *corporeas* et *incorporeas* distribuerent, incorporeas tantum quatuor faciebant: λεκτὸν (i. e. *terminum s. ideam*) *spatium*, *locum*, *tempus:* reliquas omnes Corpora esse volebant. Ergo, secundum eorum sententiam, pleraeque omnes res corporeae erant, quae hodie *Substantiae* et *Accidentia* vocantur, exceptis quatuor illis: vid. Sextus Empiricus Adv. Mathem. X. 718. Sed de ipsâ Animi naturâ non omnes idem sentiebant: alii ex aëre, alii ex igne, alii ex spiritu calido, confectum esse dicebant: vid. Diogenes Laert. VII. 156, 157. Cicero Acad. I. 12. Pseudo-Plutarchus de Placit. Phil. IV. 3. In hoc tamen convenerunt, ut Animum Divinitatis participem facerent, quippe Animalium Animos partes esse Animae Mundi; et tamen hanc Immortalem, illos mortales statuebant: vid. Diog. Laert. l. c. Nimirum ignis ille rerum opifex (πῦρ τεχνικὸν) qui est Deus et Anima Mundi, penetrat sanguinem, cujus spiritu et vapore constat Animus hominis. Ergo Animus initium habet vitae; quippe qui tum demum existit, quum sanguinis temperamentum in Animali nascente eam vim nactum est, ut a Divino igne penetretur. Et Zeno quidem semen virile particulam ab Animi facultatibus delibatam, unde in utero matris Animus infantis cum Corpore simul procresceret, esse pronun-

Sect. VIII. Stoici.

Sect. VIII. Stoici.

nunciavit: vid. Plutarch. T. II. p. 467. F. et Eusebius Praep. Evang. XV. 20. Chrysippus vero post Corporis nativitatem demum existere Animum affirmabat; ut refert idem Plutarchus T. II. p. 1053. D. Et omnino Chrysippus hac unâ in re similis fuit Epicuro, ut omnem operam daret, quomodo Animi actiones ex naturâ corporeâ duceret: quod prudenter observat praestantissimus scriptor Longinus apud Eusebium Praep. Evang. XV. 21.

Animos autem interire, commune Stoicorum erat decretum. Videamus Auctorum testimonia, ut intelligatur, quâ varietate consenserint tamen Stoici. Cicero Tusc. I. 32. „ *Stoici autem usuram nobis largiuntur tamquam cornicibus: diu mansuros ajunt animos: semper, negant.*" Diogenes Laertius VII. 156, 157. „ *Animam sensibilem esse Stoici perhibent, eamque esse nobis ingenitum spiritum: propterea corpoream esse, et remanere post mortem, quamquam possit interire. Zeno autem Cittieus, Antipater in libris de Animâ, et Posidonius, Animam spiritum calidum esse volunt; per hunc enim nos et spirare et moveri. Et Cleanthes quidem omnes Animas usque ad mundi exustionem perdurare, ait: Chrysippus vero solas sapientum Animas.*" His addatur gravissimus auctor Arius Didymus, ex cujus deperditis libris partem servavit Eusebius in Praepar. Evang. XV. 20. „ *Statuunt Stoici esse Animam in Universo, quam vocant Aetherem et Aërem, qui ambit terram*

ram et aquam, earumque exhalationes: huic vero Universi Animae adhaerere reliquas Animas, cum eas, quae sunt in Animalibus, tum eas, quae in circumfuso aëre sunt; nam et permanere mortuorum Animas. Quidam vero Stoicorum dicunt, Animam Universi quidem esse sempiternam, reliquas autem ita perire ut cum illâ commisceantur. — Porro, Animam et nasci et interire ajunt: non autem continuo post discessum ex Corpore perire, sed permanere per se ipsam aliquod tempus: sapientum quidem Animas usque ad illud tempus, quo omnes res igne dissolventur: stultorum vero Animas breviori spatio. Quod autem ajunt, Animas permanere, hoc ejusmodi habet sententiam: nos, quum solae et nudae Animae fuerimus, Corpore discedente et Animae substantiam minuente, permanere: stultorum vero et brutorum Animalium Animas cum ipsis Corporibus mori." Rationem addidit Panaetius, qui, ut refert Cicero Tusc. I. 37, *ceterum cum Platone consentiens, ejus hanc unam de Immortalitate Animorum sententiam non probabat. Vult enim, quod nemo negat, quidquid natum sit, interire: nasci autem Animos, quod declaret eorum similitudo qui procreentur: quae etiam in ingeniis, non solum in Corporibus appareat. Alteram autem adfert rationem: nihil esse quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem Animos, ergo etiam interire.*" Sect. VIII. Stoici.

Sa-

Sect. VIII. Stoici.

Satis est in his locis documenti, unde intelligatur, hanc fuisse Stoicorum sententiam, „*Animos non semper duraturos, et eos adeo, qui diutissime durarent, tamen fatali illâ Mundi combustione exstingui, ita quidem ut in Divinum ignem et Deum opificem abirent, et suam ipsi conscientiam cogitationemque, in quibus vita Animorum posita est, amitterent.*

Sequitur ut videamus, qualem statum hunc Animi a Corpore soluti informaverint. Ac, deperditis quidem Antiquiorum Stoicorum scriptis, difficile est de hac quaestione ita pronunciare, ut non recentiores veluti Senecam et reliquos consulamus. Sed tamen conandum est, si quid forte probabile adferre possimus. Lucanus, qui Stoicorum doctrinam secutus est, nobis primum commemoretur. Neque vero quis nos reprehendat, quod auctoritatem sequimur non satis firmam, quippe Poetae, et, quamvis Stoici, tamen recentioris. Nam videbimus, ejus auctoritatem consensu vetustiorum Stoicorum confirmari. Igitur Lucanus, sub initium libri IX. Pharsalicorum, ita depingit Animum Pompeji ex corpore in coelestes regiones abeuntem:

Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis.
Quâ niger astriferis connectitur axibus aër,
Quodque patet Terras inter Lunaeque meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus

Sect. VIII. Stoici.

Innocuos vitae patientes Aetheris imi
Fecit, et aeternos Animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perveniunt. Illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiae campos, et signa cruenti
Caesaris, ac sparsas volitavit in aequore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.

Non opus habet explicatione hic locus. Observabimus quô valeat, posteaquam aliorum dicta protulerimus. Prodeat igitur Cicero, cujus gravissima est auctoritas ad cognoscendam Antiquorum Stoicorum doctrinam. Hic igitur non dissimili modo pronunciat de Animis e Corpore discedentibus, Tusc. I. 17, 18: „*perspicuum debet esse, Animos, cum e Corpore excesserint, sive illi sint animales, id est spirabiles, sive ignei, sublime ferri: si vero aut numerus quidam sit Animus, quod subtiliter magis quam dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis quam non intellecta natura; multo etiam integriora ac puriora sunt. — Is autem Animus, qui, si est horum quatuor generum ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammatâ animâ* (i. e. πνεῦμα πυροειδὲς) *constat, ut potissimum videri video Panaetio, superiora capessat necesse est: nihil*

Sect. VIII. Stoici.

enim habent haec genera proni, et supera semper petunt. Ita sive dissipantur, procul a terris id evenit: sive permanent et conservant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferantur ad coelum et ab his perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aër, qui est terrae proximus; calidior est enim vel potius ardentior Animus, quam est hic aër, quem modo dixi crassum atque concretum: quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra terreno principiorum genere confecta ardore Animi concalescunt. Accedit, ut eo facilius Animus evadat ex hoc aëre, quem saepe jam appello, eumque perrumpat, quod nihil est Animâ velocius, nulla celeritas quae possit cum Animi celeritate contendere. Qui (Animus) si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne coelum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur: quod et humidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. Quam regionem cum superavit Animus, naturamque sui similem contigit et agnovit, junctis ex Anima tenui (λεπτομερὲς πνεῦμα) *et ex ardore Solis temperato ignibus insistit, et finaltius se efferendi facit. Tum enim sui similem et levitatem et calorem adeptus, tamquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, eaque ei demum naturalis est sedes, cum ad sui similem penetravit, in quo nullâ re egens aletur et sustentabitur iisdem rebus quibus astra sustentantur et aluntur.*" Haec igitur tota oratio

Sect. VIII. Stoici.

tio, forte quoque proxima, quae est de felicitate Animorum ab affectibus liberatorum et in contemplatione coelestis regionis versantium: haec igitur tota oratio, quin Stoica sit, non est quod dubitemus. Quamquam fuit aliquando cum dubitarem. Nam Iustus quidem Lipsius, Physiolog. Stoic. III. 14, ubi affirmat, illam sententiam a Cicerone ut Stoicam expressam esse, nulla ejus rei satis manifesta protulit indicia. Et recordabar, eundem Lipsium nonnumquam negligentem fuisse in suâ cuique sectae sententiâ tribuendâ, ut Stoicis addiceret aliena. Postea tamen cognovi, eum hac quidem in parte non errasse. Nam primum quidem, Cicero de Animi naturâ ita loquitur, ut appareat, eum ex Stoicorum doctrinâ loqui. Vocat eam *Animam*, id est spiritum, *Animam tenuem*, *inflammatam*, *ignem:* quae omnia Stoicorum sunt. Laudat quoque auctoritatem Panaetii, nobilissimi Stoici; quam non solum valere ad naturam Animi in *Animâ inflammatâ* positam, sed ad reliquam totam dictionem, aliunde intellexi. Nam hactenus quidem nondum satis habemus documenti, quare totam dictionem ad Stoicam doctrinam referamus, nec putemus ei aliquid vel Pythagorici vel Platonici admixtum esse. Ergo quod dico, ejusmodi est, ut omnem dubitationem tollat. Reperi enim apud Sextum Empiricum, doctissimum eundemque acutissimum Scriptorem, locum Ciceroniano plane similem ex Stoicorum libris depromtum, et quidem ex

Sect. VIII. Stoici.

Antiquiorum; quippe Sextus ubique de principibus ejus sectae agit. Sed hunc locum, ut longiorem, Latine potius quam Graece referam. Est igitur Adv. Mathem. IX. 71 — 74. „*Neque vero suspicari licet, Animas deorsum ferri. Nam quum sint subtiles, et non minus igneae quam aëreae, sua levitate potius in loca superiora feruntur. Quin etiam solae sine Corpore* (καθ' αὑτὰς) *permanent, nec, ut dixit Epicurus, solutae Corporibus disperguntur instar fumi: neque enim ante mortem Corpus eas servabat et continebat, sed ipsae Corpus continebant et servabant, et multo magis semet ipsas. Igitur extra Solem versantes, locum Lunae subjectum habitant, ibique per Aëris puritatem longius vitae tempus accipiunt: nam naturali et quasi domestico utuntur alimento, nimirum exhalationibus terrae: prouti reliqua astra: neque habent in eo loco caussas, quae sibi interitum afferant. Si ergo permanent Animae, fiunt ejusdem naturae, cujus sunt Daemones.*"

Ex horum igitur trium locorum comparatione, quam peculiariter explicare non opus est, apparet, Ciceronem, Lucanum, et Sextum, ex iisdem veterum Stoicorum fontibus hausisse. Permanent ergo Animi mortuorum in puriore aëre sub Lunam: neque tantum permanent, sed curant etiam res humanas: ut non magis poeticae licentiae quam Stoicis decretis obsecutus sit Lucanus, quum Pompeji Animum induxit Catoni et Bruto sti-

stimulos adhibentem ad puniendum Caesarem. Nam hanc fuisse Stoicorum sententiam, diserte refert Diogenes Laertius, VII. 151: *Φασὶ δὲ εἶναι καί τινας δαίμονας ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων, καὶ ἥρωας, τὰς ὑπολελειμμένας τῶν σπουδαίων ψυχάς·* i. e. „*Dicunt vero etiam esse quosdam Genios, qui communionem habeant cum hominibus, inspectores rerum humanarum, et heroës, permanentes post Corporis mortem sapientum Animas.*" Huic adjungendus est Scriptor de Placit. Phil. I. 8, qui tradit, communem hanc cum Thalete, Pythagora, et Platone fuisse Stoicorum sententiam, *δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς, εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων, καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας·* i. e. „*Genios esse substantias animales, heroës etiam esse Animas corporibus solutas, bonos quidem bonorum Animas, pravos pravorum.*" Sed, quod omnino est notandum, quamquam felicitatem sapientum post hanc vitam statuerunt, hanc tamen non in praemii sed naturalis consectarii loco ponebant. Ergo nec poenas improborum memoratas reperimus. Nam vulgares quidem de Inferis fabulas repudiabant. Ita Stoicus Balbus apud Ciceronem de Nat. Deor. II. 2. *Quis enim Hippocentaurum fuisse et Chimaeram putat? quaeve anus iam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur, apud Inferos portenta extimescat? Opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat.*"

 Et

Sect. VIII. Stoici. Et consentiunt recentiores Stoici: Seneca Consol. ad Marciam, Cap. XIX: et Epictetus Diss. XIII. Lib. III. „*Nullus*" inquit „*est Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegethon: sed omnia plena sunt Deorum et Geniorum.*" Neque tamen hoc uno argumento fretus, arbitror nil statuisse Stoicos de poenis post hanc vitam. Nam potest quis, spretis vulgi opinionibus, tamen rem ipsam saniore ratione tenere. Sed, quod dico, nec eas memoratas reperimus in Stoicorum monumentis, nec etiam ex reliquâ eorum doctrinâ consequuntur. Refert quidem Lactantius, Instit. Lib. VII. Cap. VII. §. 13. „*Esse Inferos Zeno Stoicus docuit, et sedes piorum ab inpiis esse discretas: et illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones; hos vero luere poenas tenebrosis locis atque in coeni voraginibus horrendis.*" Nec multum dissentit Tertullianus, Christianus doctor ex Stoâ profectus, de Anima Cap. 54. dicens, „*Stoicorum esse sententiam, impiorum Animas ad Inferos detrudi.*" Sed neutrius auctoritas probari potest, in reliquorum silentio. Et Lactantius quidem Zenonem manifestò confudit cum Platone: cujus hanc fuisse opinionem supra vidimus: et qui illud, *in coeni voraginibus versari impios*, diserte pronunciaverat dicto ab Orphicis desumto, in Phaedone p. 380. T. ὃς δ' ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾄδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται· Conferatur Orphicum fragmentum in editione Gesneri p. 409, et Spanhemius ad Aristophanis Ranas, vs. 145.

Ter-

Tertullianus vero vel suam ipse sententiam Stoicis tribuit, vel Stoicos quosdam ignotos secutus est, qui hac in parte a suae sectae placitis desciverant. Poteramus hoc loco alia monere: veluti opinionem Chrysippi, *Animos post Corporis mortem accipere figuram rotundam*, ut est apud Eustathium ad Homer. Il. Ψ. p. 1288. Sed quae diximus, satis esse putamus ad consilium quaestionis propositae. Sect. VIII. Stoici.

Apparet igitur, Stoicos statuisse, Animos non esse sempiternos; nam eos etiam, qui maxime essent longaevi, tamen fatali rerum combustione interire et in principium suum, nimirum Ignem opificem ac summum Deum, qui solus est sempiternus, resolvi, nec iterum vitam accipere novâ rerum instauratione a summo Deo factâ. Immortalitatem apud eos non locum necessarii fundamenti, ut apud Platonem, sed consectarii, habuisse; ita quidem, ut Animos longius breviusque permanere statuerent, longius bonos, brevius malos, et quidem circa Lunam, utpote locum eorum subtilitati maxime accommodatum. Feliciores ac diuturniores esse bonorum Animos; infeliciores et minoris aevi malorum, ex ipsâ Virtutis et Pravitatis naturâ volebant consequi; nec tamen hanc diversitatem praemii vel poenae vim habere. Summa sententiae Stoicorum.

SECTIO IX.

De aliis hac aetate Sectis.

Sect. IX. Aliae Sectae. Megarici. Antequam de Cicerone dicamus, monendum est breviter de aliis in hâc aetate sectis Philosophorum. Ab EUCLIDE igitur, Socratis discipulo, profecti sunt MEGARICI: horum sententia de naturâ Boni, quam eandem atque Deum, Mentem, ac Prudentiam esse volebant, memorata est a Cicerone Academ. II. 42. et Diogene Laert. II. 106. Quae attributa utrum etiam cum Animis hominum communicaverint, difficile est dictu. Ceterum, ut in Dialecticâ parte, ita in multis Physicae locis secuti sunt Parmenidem, Zenonem, et Eleaticos, cum quibus illud quoque placitum *de Bono* convenit.

Eliaci. Eretriaci. A PHAEDONE, Eliensi, Socratis discipulo, orta est secta ELIACA, ex eâque postea per Menedemum secta ERETRIACA. Et de Menedemo, ut nec de aliis, proditum nil reperimus quid de Immortalitate senserit. Ceterum, non abhorret à verisimilitudine, illum eam tenuisse; si quidem verum est, quod ex Heraclide refert Diogenes Laert. II. 135, illum Platonis placita retinuisse.

Cyrenaici. Ab ARISTIPPO, Cyrenaeo, item Socratis discipulo, profecta est secta CYRENAICA: cujus quae fuerit de Immortalitate opinio, non memoratum ab Antiquis reperi. Et, quum Aristippus

pus Physicam et Dialecticam Philosophiae partem repudiaverit, intelligitur quidem hinc, eum rationes Immortalitatis, quas Physica pars praebet, simul repudiasse. Nam, quod est apud Diogenem Laert. II. 97, hanc sectam statuisse, *satis esse praesidii, ad bene dicendum ac superstitionem metumque mortis fugiendum, in scientiâ bonorum et malorum, seu, in morali parte:* hoc igitur non minus ab eo dici potuit, qui Immortalitatem tuetur, quam ab eo qui illam negat. Profectus est ex eâdem disciplinâ HEGESIAS, *πεισιθάνατος* dictus, qui, vitae humanae molestiis et calamitatibus describendis, multos ad voluntariam adegit mortem: vid. Cicero Tusc. I. 34. Nec tamen hoc eo valet, ut putemus, eum in hac disputatione spem melioris futurae vitae adhibuisse. Nam Veteres hanc unam ejus memorant rationem, quae desumta erat ab humanae vitae calamitatibus. Prodiit ex eâdem disciplinâ THEODORUS, cognomine Atheus, a quo multum profecit Epicurus: vid. Diogenes Laert. II. 97; ut vel hinc intelligi possit, quae fuerit ejus de Immortalitate opinio. Proditum est hoc ejus dictum, ibidem, 98: *Non esse rationi consentaneum, ut sapiens pro patriâ mortem obeat: non enim decere suam prudentiam perdere, propter imprudentium utilitatem.*" Quod Graece acutius est: *ἀποβαλεῖν τὴν Φρόνησιν ἕνεκα τῆς τῶν ἀφρόνων ὠφελείας*. Igitur si quis statuat, morte *φρόνησιν* exstingui, hic quid de Animorum Immortalitate sentiat, faci-

Sect. IX. Aliae Sectae. Cyrenaici.

Sect. IX. Aliae Sectae. Cyrenaici.

cile est ad existimandum. Hujus fuit discipulus BION, Borysthenites, cujus feruntur acute quidem, sed impie, dicta multa: qui cum totam hanc Philosophiae partem, quae est de Divinâ naturâ et Animorum Immortalitate, acerbe exagitasset, ipse tamen morbo correptus ad anilem descendit superstitionem, nec fere ullum intentatum reliquit genus incantationis, quâ Deorum iram placaret. Vid. Diogenes Laert. IV. 46. seq.

Epicurei.

Igitur ex ejusmodi doctrinae fontibus fluxit EPICURUS, qui novam ipse condidit sectam, cujus maximam partem sumsit a Democrito, in Morali vero disciplinâ retinuit multa ab Aristippo et Theodoro Atheo. Hujus ergo sectae placitis Divina Providentia et Animorum Immortalitas penitus tollebatur atque explodebatur. Quare mihi eo minus dicendum est de Epicureorum Psychologiâ: cum, quia proposita quaestio refertur ad eos Philosophos, qui remanere aliquid post hanc vitam statuerunt; tum quia peculiaris disputationis argumentum est, rationes Epicureorum commemorare: tum denique, quia eorum placita adeo sunt in vulgus nota, ut nemo facile ab Antiquitatis cognitione ita sit remotus, ut ea ignoret. Ceterum, rationes, quibus Immortalitatem convellere studebant, complexus est Lucretius libro tertio.

SECT. X.

De Cicerone.

Iam de CICERONE videndum est, parente ut Eloquentiae ita Philosophiae Romanorum. De cujus Viri Philosophiâ, dici vix potest, quam iniqua falsaque sint plerorumque recentiorum judicia, quum dicunt, Ciceronem vel parum Philosophiae scientiâ valuisse, vel fluctuasse incertis opinionibus sibique ipsum repugnasse, vel ut Academicum nil certi statuisse et contra omnia disputasse. Quae quidem judicia, quod sine cujusquam invidiâ dictum velim, omnia profecta sunt ex ignoratione Academicae rationis et Ciceroniani instituti. Magnus hic aperitur disputationis campus: in quo nobis quidem nunc exspatiari non licet. Sed tamen, ut et brevitati et quaestioni propositae consulamus, cautiones significemus in primis observatu necessarias ad Ciceronis placita Philosophica recte intelligenda. Sect. X. Cicero.

I. Primum igitur haec placita non temere aliunde quam ex libris Philosophicis petenda sunt. Nam in Orationibus non suam ipse sententiam prodit, sed oratorie agit et caussae servit. Itaque Immortalitatem Animorum ab eo negatam esse, perperam quis evincere conetur ex Oratione Pro Cluentio, Cap. 61. „ *Nam nunc quidem, quid tandem mali illi mors attulit? nisi forte ineptiis*

et

Sect. X. Cicero. *et fabulis ducimur, ut existimemus illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ac plures illic invenisse inimicos quam hîc reliquisse: a socrûs, ab uxorum, a fratris, a liberûm poenis actum esse praecipitem in sceleratorum sedem atque regionem. Quae si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, praeter sensum doloris.*" Haec igitur ita dicuntur prouti in Caesaris Oratione apud Sallustium Catil. Cap. LI. §. 20, quum contenderet, conjuratos gravioribus poenis esse plectendos, non morte; quippe quae omni sensu careret: „ *De poenâ*" inquit „ *possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum, esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curae neque gaudio locum esse.*" Et Cicero quidem in eâdem Oratione Cap. 49, eos confutat, qui veram ipsius sententiam ex ipsius Orationibus arripere ac tenere studebant: „ *Sed*" inquit „ *errat vehementer, si quis in Orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae Orationes caussarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum.*"

II. Deinde, nec ex Epistolis promiscue omnibus argumenta placiti Philosophici repetenda sunt. Nam in Epistolis frequenter ita agitur, non ut interior de Philosophiae locis sententia aperiatur, sed ut proferatur aliquid quod accommodatum sit ad

ad personam et ingenium ejus, ad quem scribitur. Ergo in consolandis amicis Epicureis, rationibus utitur ex illâ scholâ ductis: veluti ad Torquatum Ad. Divers. VI. 3. „ *Sed haec consolatio levis est: illa gravior, quâ te uti spero, ego certe utor: nec enim, dum ero, angar ullâ re, cum omni vacem culpâ: et si non ero, sensu omnino carebo.*" Ita ad eundem, Epistolâ proximâ. Similiter ad Titium utitur notâ illâ disjunctâ conclusione, V. 16. — „ *saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, ex quâ si resideat sensus, Immortalitas illa potius quam mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur.*" Sect. X. Cicero.

III. Cum igitur Ciceronis sententia Philosophica ex scriptis ejus Philosophicis haurienda sit; ante omnia constare debet, quod consilium, quam sectam, secutus sit. Atqui eum fuisse Academicum, dubitari nequit. Igitur in hoc Academici nomen statim involant, et contendunt, Ciceronem nihil omnino de ullâ re statuisse. Enimvero, an hoc est omnium Academicorum commune, de omnibus rebus dubitare? Arcesilas, qui fuit acerrimus dubitator, contra Stoicos quidem ita disputabat ut nihil percipi posse diceret: solus tamen secum placita tenebat et cum discipulis communicabat: vid. Cicero Acad. II. 18, ibi Davis. et Fragment. apud Augustinum Contra Acad. III. 2: cui adjungatur Sextus Empir. Pyrrhon. Hypotyp. I. 33. Ab istâ dubitandi vehementiâ sequen-

Sect. X. Cicero. quentes Academici paulatim defecerunt: aliquantum Carneades: plus Clitomachus: plus etiam Philo Ciceronis magister, qui propius ad Platonis sententiam rediit. Porro Ciceronis Academica ratio in eo posita erat, ut libenter in utramque partem disputaret, non quod omnia aeque falsa ac vera esse putaret, sed quod ex sententiarum comparatione maxime elici putaret quod ad Verum proxime accederet. Itaque nec omnia negabat quae ab aliis sectis statuebantur, sed quae ab iis *certa* dicebantur, ille *verisimilia* vocavit: conf. De Offic. II. 2. Ipse Plato veritatem ex rebus corporeis et creatis tollebat, atque eam in solis Ideis ponebat: neque tamen minus egregie de Divinâ Providentiâ et Animorum Immortalitate pronunciavit. Itaque Cicero, quum et esset et haberi vellet Academicus, in Physicâ et Morali Philosophiae parte Platonem maxime secutus est. Hunc Philosophorum Deum appellat; hunc omnibus aliis anteponit; cum hoc errare, quam cum aliis verum dicere, mavult. Pleni sunt Ciceroniani libri similibus Platonis laudibus, quas propter ipsam frequentiam ac multitudinem suo quamque loco notare non est necesse. Satis est, quod videbimus, eum de Immortalitate quoque Platonis potissimum auctoritatem secutum esse.

IV. Neque vero ex ipsis Philosophicis libris promiscue et sine delectu petenda sunt testimonia. Diligenter enim animadvertendum, quid ex suâ, quid ex alienâ personâ pronunciet Cicero.

Igi-

Igitur non tribuenda sunt ipsi neque in ejus placi- Sect. X. Cicero.
citis numeranda, quae primo libro de Naturâ Deorum Vellejus Epicurus, nec quae secundo Balbus Stoicus, nec quae primo de Finibus Torquatus Epicureus, nec quae tertio Cato Stoicus disputant. Neque etiam ea omnia ei tribuenda sunt, quae ab Academicis in colloquium inductis disseruntur: veluti tertio de Natura Deorum a Cottâ, sub cujus personâ vulgo latere putatur Cicero; praesertim quum ipse sub finem tertii libri dicat, sibi Balbi quam Cottae orationem veri visam esse similiorem. Est omnino in hoc loco accuratâ crisi opus: de quâ ad nostrum quidem institutum satis est quod monuimus. Nam illa, profecto, placita, omnibus approbantibus, Ciceroni tribuenda sunt quae ipse ex suâ personâ pronunciat; veluti in Tusculanis Quaestionibus, libris de Officiis, de Legibus, et aliis: vel in iis scriptis, ubi diserte ipse significat, se sub ejus, qui loquens inducitur, personâ suam et propriam sententiam explicare, veluti de Senectute sub Catonis, et in fragmentis librorum de Republicâ sub Scipionis, et alibi sub aliorum, personâ. Quare age, Ciceronis sententiam de Immortalitate ex iis constituamus locis, quorum auctoritas omni exceptione sit major.

Praecipuus in hoc argumento liber est primus Tusculanarum Disputationum, ubi Cicero, et ipse, et graviter ac serio, loquitur. Propositum ei erat, ut efficeret *Mortem non esse malum:* idque con-

Sect. X. Cicero.

confecit disjunctâ argumentatione, seu Dilemmate; ut ostenderet, nil mali esse in Morte, sive per eam omnis Animi sensus exstinguatur, sive remaneat Animi sensus: quod si enim illud sit, nil mali nobis esse, quum ipsi jam nihil simus; quod si vero remaneat sensus, hunc Animi statum non posse infelicem esse. Igitur, recensitis Veterum sententiis, ita concludit, ut Platonis sententiam tamquam verisimillimam sequatur. Ceterum, quum infinitum sit, totam hanc disputationem referre, contenti sumus connexionem et quasi puncta argumentorum Ciceronianorum notasse. Primum adfert antiquitatem et frequentiam opinionis de Immortalitate Animorum, quae opinio ab omni aevo apud omnes gentes dominata sit; quare eam legis naturalis vim habere, quippe quae omnium gentium consensu stabilita sit: Cap. 12 — 15. Sed, ut in eo consentiunt gentes *permanere Animos post mortem*, ita dissentiunt *de conditione status futuri:* Cap. 16. Enimvero, cujuscumque substantiae sit Animus, non est terrenae vel humidae, sed potius vel aëreae vel igneae naturae, prouti Stoicis placuit; si quidem ex uno vel pluribus quatuor illorum elementorum constat. Igitur post discessum ex Corpore sursum fertur. Idem valet, si secundum Aristotelem, ex quinto quodam elemento constet. Nam idem quoque valere, si, ex Platonis sententiâ, ab omni corporeâ compositione remotus et simplex sit, per se intelligitur. Ergo sursum elatus pervenit in subtilioris aëris regiones, ibique felicitate fruitur. Quae felici-

citas duabus fere continetur partibus: alterâ, quiete ac vacuitate cupiditatum et perturbationum: alterâ, contemplatione rerum coelestium, quae quasi pabulum Animorum est: Conf. Cap. 17 — 20. Sect. X. Cicero.

Quamvis igitur sunt Philosophi qui contendant, Animum Corpore solutum omnino nihil esse ac subsistere non posse: horum sententia repudianda est. Nam si omnia ea, quorum nos rationem perspicere non possumus, neganda sint: negetur quoque Deum esse, negetur Corpus ab Animo gubernari, negentur plurima alia, quae sunt tamen, quamvis eorum rationes modumque non intelligamus. Sed Animos esse sempiternos, quia suâ nec alienâ vi moventur, Plato tam eleganter ac subtiliter explicuit, ut nil supra fieri possit: Conf. Cap. 21 — 23. Hoc est illud argumentum a Platone in Phaedro expositum: de quo in Sectione V. diximus.

Quod si porro consideremus facultates Animi humani, quae versantur in reminiscendo, judicando, inveniendo, artibus ac disciplinis; nullo modo concedi potest, Animum esse corporeum. Sed cujuscumque tandem est naturae, certe est divinus, et idcirco aeternus. Vid. Cap. 24 — 29.

Ergo, quae ex his initiis exstitit, Socratis sententia probabilis haberi debet: eos, qui hac in vitâ pie casteque degissent, ad Deos redire, eorumque consuetudine beatos fore: qui vero vitiis flagitiisque se inquinavissent, his devium esse iter seclusum a concilio Deorum. Stoici autem, ami-

ci nostri, non sibi constant, nec consequenter agunt, dum concedunt Animam post Corporis mortem permanere, sed tamen aliquando interire. Nam haec una est difficultas, quomodo Animi sine Corporibus degere ac vivere possint: sed hoc semel concesso, nulla caussa est, quare aliquando intereant: Vid. Cap. 30 — 33.

Ceterum illud firmiter manet, mortem non esse malum. Nam, quod diximus, si per eam Animus exstinguitur, status ille omnino nihil erit: ergo nec bonus nec malus: si vero Animus sensum ac vitam retinet, felix potius quam infelix erit ille status. Hoc Socrates apud Platonem in Apologiâ (vid. supra Sect. IV.) praedicat. Sed utrum ex duobus futurum sit, simus parati. Cumque mors nobis sit constituta, non eam in malis ducamus; quippe constitutam vel a Diis Immortalibus, vel a Naturâ parente omnium: — Conf. Cap. 33 — 49. „*Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus: sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum*": ibid. Cap. 49.

Haec est summa disputationis, quatenus pertinet ad sententiam ipsius Ciceronis de Animorum Immortalitate. Ne vero cui scrupulum injiciat, quod Cicero alterum illud dilemmatis disjunctum vehementer urget, et saepius monet, mortem non esse malum, etiam si cum exstinctione omnis sen-

sensûs conjuncta sit. Neque enim hoc eo valet, ut dubium relinquatur utrum permaneat nec ne Animus post mortem. Sed nimirum, cum ipse diserte pronunciasset, verisimillimam sibi videri Immortalitatem, debuit se tamen accommodare ad personam ejus, quocum disputabat; ut si ei de Immortalitate persuaderi non posset, illud tamen, quod propositum erat libri, efficeretur, mortem non esse malum. Quod ut magis etiam constet, argumenta proferamus ex duobus aliis operibus Ciceronis. Sect. X. Cicero.

In libro de Senectute, quamquam Cato dicens inducitur, tamen sub ejus personâ Cicero suam ipse exponit sententiam, ut ipse testatur in fine capitis primi. Et primum quidem, de *Contemtu mortis* disserit eodem dilemmate Cap. 19: „ *O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longâ aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit Animum: aut etiam optanda, si aliquô eum deducit, ubi sit futurus aeternus.*" Mox Cap. 21 et 22. diserte pronunciat, Animos mortuorum vivere et esse sempiternos: docet eorum originem esse divinam: rationes adfert Platonicas, Pythagoricas, et Cyri morientis e Xenophonte orationem. Quae quidem notasse sufficit, describere longum et supervacaneum est. Constat etiam, Ciceronem in libris de Republicâ, ingenti bonarum literarum damno deperditis, ex Scipionis personâ suam ac propriam sententiam declarasse. Hujus quoque Operis

Sect. X. Cicero.

ris ultimam particulam, quâ Somnium Scipionis continetur, eadem absumsisset fortunae iniquitas, nisi Macrobius eam Commentario illustrasset, qui ad nostram aetatem servatus est. Mihi quidem, cum in Tusculanâ primâ et de Senectute egregie ac divine hoc argumentum exornasse, tum in Somnio Scipionis se ipse superasse videtur Cicero. Nam quamvis nova Immortalitatis argumenta nulla protulit, tamen Antiquorum inventis ita usus est, ita humanae mentis ortum ac sortem exposuit, ita futuram piorum conditionem descripsit, ut inhumanus et plane ferreus sit qui libelli lectione non melior fiat, nec, spretis terrenis et fragilibus rebus, coelestia et divina consectetur. Quo difficilius est rationes illo libro expositas in compendium redigere. Huc accedit, quod plurima interjecta sunt ex Veterum Astronomiâ et Physicâ, quae ad sedes beatorum coelestes accommodantur. Quibus quidem omissis, quippe partim ad ornatum potius quam ex vero assumtis, partim longius a nostro instituto remotis, videamus tantum de iis, quae proxime ad statum Animorum post hanc vitam referuntur.

Hominum Animi ex sideribus, quae divinis animata sunt mentibus, a principe Deo, hujus Mundi gubernatore, in hanc terram collocati sunt. Hujus voluntati si obtemperaverint, abeunt post mortem in locum beatorum, qui est in orbe lacteo. Et illa demum vera est vita; nam ea, quam nunc degimus in corpore, mors est. Nil autem Deo gra-

gratius est, quam homines civitatibus ac jure contineri. Quare, qui de statu civili maxime meriti fuerint, his maxime reditus patet ad locos unde venerunt ac Deos. Conf. Cap. 3. Sect. X. Cicero.

Terra infimum eundemque medium Universi locum obtinet, in eamque suo nutu et pondere deferuntur omnia mortalia et caduca; superius, inde a Lunâ, omnia sunt divina. Et motu corporum coelestium oritur suavissimus concentus, qui ab hominibus exaudiri nequit; quippe quorum aures hoc ipso sonitu obsurduerunt: a beatis vero exauditur. Conf. Cap. 4 et 5.

Quum ergo terrena omnia sint caduca, illi homines qui in coelestes locos redire student, non se vulgi sermonibus dare debent, nec in praemiis humanis spem rerum suarum ponere: suis eos illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Conf. Cap. 7.

Animi hominum sunt divini. Nam, ut Deus ipse viget, sentit, meminit, providet, moderatur et movet hoc Mundi Corpus, ita hominis cujusque Animus viget, sentit, meminit, et suum Corpus moderatur ac movet. Hinc etiam consequitur, Animos hominum esse aeternos. Nam, quod se ipsum movet, semper in actione et vitâ est. Conf. Cap. 8 et 9. Hoc est argumentum ex Platonis Phaedro, quod in Tusculanâ primâ memoratur.

Igitur Animus jam in hâc vita optimis rebus exercendus est. Sunt autem optimae, curae de sa-

Sect. X. Cicero. salute patriae, quibus agitatus et exercitatus Animus velocius in hanc coelestem sedem et domum suam pervolabit: idque ocyus faciet, si, jam in Corpore degens, maxime se ab eo abstrahere et ad contemplationem rerum divinarum convertere studuerit. Eorum vero Animi, qui se Corporis voluptatibus dediderunt, et impulsu libidinum jura Deorum hominumque violaverunt, Corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur: nec hunc in locum coelestem, nisi multis exagitati seculis, revertuntur. Conf. Cap. 9.

Haec igitur sunt, quae ex hoc libello ad nostrum institutum pertinere vedeantur. Ceterum, ne quis forte harum sententiarum auctoritatem hoc nomine repudiet, quod tamquam *Somnio* continentur, animadvertendum est, earum auctoritati nil quidquam derogari nomine et narratione somnii. Nam et ipsa disputatio gravis ac seria est, et ejus partes consentiunt cum reliquis Ciceronis placitis, quae supra exposuimus. Et Cicero secutus est exemplum Platonis, qui decimum de Republicâ librum simili finivit somnio, in quo sub fabulae involucro plurimae verae rationes sententiaeque proditae sunt; ut suo loco monuimus. Quare non dubito, quin ea, quae ex Somnio Scipionis protulimus, serio et ex Animi sententiâ a Cicerone pronunciata sint.

Summa sententiae Ciceronis. Apparet igitur, Ciceronem de Immortalitate sententiam Platonis secutum esse; ita quidem, ut ex illius argumentis maxime uteretur iis, quae ab

ab Animi divinâ origine, Dei providentiâ, et Animorum propriâ vi agendi, ducuntur: adjumenta ab aliis Philosophis, veluti Peripateticis ac Stoicis, sumeret atque in eundem finem converteret: praemia poenasque probaret, illa in reditu ad Divinum locum poneret, has in absentiâ illius boni et commoratione circum terram, ita ut improbis tamen poenarum finis ac reditus ad Divinum locum aliquando concessus sit. Sect. X. Cicero.

S E C T. XI.

De aliis ante Senecam Philosophis.

Quamquam Philosophiae apud Romanos stator fuit Cicero, et ex iis, quorum scripta servata sunt, ei sit proximus aetate et auctoritate Seneca, fuerunt tamen et inter utrumque et ante illum haud pauci Philosophi, qui vel nomine ac sectâ memorandi sunt; ut intelligatur, quos qualesque patronos haec ipsa, de quâ agimus, Immortalitatis sententia habuerit. Sect. XI. de aliis Philos.

Igitur qui primi Romanorum philosophati sunt, fere Stoici fuerunt. Nam nobili illâ Atheniensium legatione, Olympiade CLVI. anno 2. s. A. U. C. 598, Romam missâ, cujus duces fuerunt tres trium sectarum principes, Diogenes Stoicus, Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus: his igitur Legatis Romae Philosophiam docentibus, C. Laelius in primis Diogenem Stoicum au-

Sect. XI. de aliis Philos.

divit, illiusque studium imitatus est amicissimus ejus P. Scipio Africanus; postea ambo familiariter usi sunt Panaetio, clarissimo Stoico. Itaque eandem secuti sunt disciplinam generi Laelii, C. Fannius, et Publ. Mucius Scaevola Augur, princeps Iurisprudentiae Romanae: Q. Tubero, Scipionis ex sorore nepos: P. Rutilius Rufus. Veteri autem Academiae deditus fuit L. Lucullus. Magis etiam Philosophia frequentari coepit aetate Ciceronis: ex cujus vel aequalibus vel amicis, Stoici fuerunt M. Cato Uticensis, Quintus Cicero, Lucilius Balbus, Ser. Sulpicius. Platonicus, Ciceronis exemplo, fuit M. Brutus. Peripateticus, M. Piso. Plurimi vero Epicurei fuerunt, veluti amicissimus Ciceronis Atticus, Trebatius, Torquatus, Vellejus, L. Calp. Piso, C. Cassius, Lucretius, Amafanius, Catius: Academici, Cotta et Varro: Pythagorici, Appius, Nigidius Figulus, Vatinius.

Augusti aetate plerosque Philosophos Epicureos fuisse, vulgo fertur; non satis vere. Valeat hoc de multis principibus viris et Augusti amicis, qui magis tamen voluptatum studio quam professione fuerunt Epicurei. Nam et aliarum sectarum multi secuti sunt placita: et ex ipsius Augusti in Philosophiâ magistris, Athenodorus fuit Stoicus, Areus Academicus, Nicolaus Damascenus Peripateticus.

Virgilius.

Poetarum princeps memoretur VIRGILIUS, qui de Immortalitate Animorum sexto Aeneidis li-

libro divine cecinit, ita tamen ut magis Poetae quam Philosophi officio fungeretur. Nam tractavit hunc locum, partim Homeri exemplo, qui similiter Ulissem ad Inferos deduxerat, partim quia materia erat accommodata Poetae consilio et opportuna ad fictionis ornatum. Atque, ut hoc in loco in primis Platonem secutus est, ita aliis locis alios: veluti Stoicos de Animâ Mundi, Georg. IV. 220: Epicureos in Cosmogoniâ, Eclog. VI. et Fati Inferorumque contemtu, Georg. II. 490. Ipse quoque fatetur, se Athenis Epicureorum scholas frequentasse, in Ciri. Igitur, non puto hujus esse disputationis, locum illum sexti Aeneidis libri exponere: cum quia fabulosus ac poeticus est, tum quia ejus Platonicae partes supra explicitae sunt, tum quia non ex ipsius Virgilii propriâ sententiâ accipiendus est. Neque vero HORATIUS ad certam sectam referri debet, minus etiam ad solam Epicuream: vid. Lib. I. Ep. I. Quin modo hanc modo illam sequitur sectam. Est adeo ubi de Animo ex Platonis et Stoicorum doctrinâ loquitur, eumque *divinae particulam Aurae* vocat, Lib. II. Sat. II. vs. 79.

Sect. XII. de aliis Philos. Virgilius. Horatius.

OVIDIUS item, dum in Opere Metamorphoseon, de Mundi hominisque opificio, et de Animorum Immortalitate canit, magis ut Poeta quam ut Philosophus audiendus est. Ejusmodi quid exstat in ipso fine Operis: *Parte tamen meliore mei super alta perennis astra ferar": quod fere*

Ovidius.

Sect. XI. de aliis Philos. Ovidius.

ad solam nominis perennitatem refertur. Ac libro eodem, ubi de Animorum Immortalitate atque migratione dicitur, non ex suâ sed Pythagorae personâ loquitur: cujus tamen sententiam non vere accurateque significavit. Neque enim hoc fuit Pythagorae placitum, nullos esse Inferos, et Animos semper in novis Corporibus oberrare nec unquam ad divinum fontem redire. Majorem auctoritatem habere videtur, quod ab initio libri primi, creationem Mundi Platonicâ Stoicâque ratione exponens, Animos humanos divino coelestive semine ortos et ad Deorum similitudinem conformatos esse pronunciat.

In Pythagoricâ doctrinâ clari exstiterunt, Moderatus Gaditanus, Sotion, Senecae magister, qui eam cum Stoicis placitis conjunxit. Duo in primis ex hac doctrinâ profecti eam artibus magicis ac praestigiis infamem reddiderunt: Anaxilaus Larissaeus, magiae caussâ ab Augusto Italiâ ejectus, et Apollonius Tyaneus, eodem fere, quo Servator, tempore, vel paulo post, natus. Qui, ut Animorum Immortalitatem tenuerunt, ita auctores fuerunt, ut sequentium aetatum Philosophia magicâ superstitione repleretur.

Praecipue tamen Stoicae doctrinae studium invaluit, ac per hoc et proximum saeculum dominatum est. Satis habeo nomina celebriorum, qui ante Senecam fuerunt, memorasse. Fuerunt igitur Iason, Posidonii ex filiâ nepos: Q. Sextius: Strabo, Geographus: Manilius, Poeta: C. Mu-

so-

Sonius, cujus egregia quaedam Moralia fragmenta servata sunt apud Stobaeum: Chaeremon, Neronis praeceptor: Canius Iulus, Caligulae jussu interfectus: Thraseas Paetus, singularis sanctitatis vir, a Nerone primum magno in honore habitus, postea occisus. Sect. XI. de aliis Philos.

Peripatetici, praeter supra memoratos, inclaruerunt Boëthus, Sosigenes, Andronicus, Xenarchus, Athenaeus, Adrastus, et Neronis praeceptor Alexander Aegeus: Platonici, in primis, Onosander, et Thrasyllus a Tiberio interfectus.

Haec igitur praemittenda videbantur, ut ne aetas, quae a Cicerone ad Senecam est, vacua relinqueretur: sed ex notatione sectarum, quarum fuerunt Philosophi, coniectura fieri posset, quae fuerit plerorumque sententia de Animorum futurâ conditione.

SECT. XII.

De Seneca.

Ergo sit mihi SENECA is, in quo hanc disputationem finiam. Fuit hic omnium, qui post Ciceronem Latine de Philosophiâ scripserunt, princeps cum eloquentiâ tum doctrinae copiâ. Constat, eum in primis Stoicos secutum esse; quamquam ipse nulli sectae nomen dedisset, et Platonica quoque placita assumsisset. Sed videamus Viri sententiam ex ipsius verbis. Sect. XII. Seneca.

Et

Sect. XII. Seneca.

Et primum quidem de ipsâ naturâ Animi, Quaest. Nat. VII. 24, varias Philosophorum opiniones memorat, easque inter se dissentientes: unde conficit, neminem dubitare quin Animus sit, sed, qualis sit, id vero ignorari. Quod quidem non eo valet, ut ipse de Naturâ Animi dubitet; sed ut appareat, magis constare de Animi existentiâ quam de ejus attributis. Nam Epist. L. breviter naturam Animi significat „ *Quid enim est aliud Animus, quam quodammodo se habens spiritus?*" Hoc ex Graecâ definitione expressum est, πνεῦμα πῶς ἔχον· i. e. Aërea substantia certis qualitatibus praedita. Porro affirmat Animos nostros esse partes et quasi membra Dei, Epist. XCII. „ *Quid est autem cur non existimes, in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est? Totum hoc, quo continemur, et unum est et Deus. Capax est noster Animus: perfertur illo, si vitia non deprimant. Socii sumus Dei ac membra.*" Haec igitur plane Stoica. Partim Stoica partim Platonica sunt, quae de Corpore tamquam Animi domicilio fragili dicuntur, Ep. CXX. „ *Habebat perfectum Animum, ad summam sui adductus, supra quam nihil est nisi mens Dei, ex quâ pars et in hoc pectus mortale defluxit; quod numquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, et scit, in hoc natum hominem, ut vitâ defungeretur: nec domum esse hoc Corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas.*"

Ex

Ex hac Animi naturâ consequitur, eum non interire Corporis morte. Ergo vani sunt ex Stoicis ii, qui putarunt, Corpore gravi pondere oppresso et exstincto, Animum quoque exstingui; Ep. LVII. Animus enim ipso igne subtilior est; et si superstes est Corpori nec perit, hoc eam habet vim, ut nulla exceptio locum habeat, qua cum Corpore exstinguatur. Ita locus hic difficilis exponendus videtur. Etiam in consensu gentium est argumentum Immortalitatis: Epist. CXVII. „ *Cum de Animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium Inferos, aut colentium.*" Nam, ut paulo ante dixerat, „ *Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam Deos, inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam adeo est extra leges projecta, ut non aliquos Deos credat.*" Ceterum ex solâ divinâ Animi origine ejus aeternitas colligitur, in Consolat. ad Helviam, Cap. XI. — „ *sincerus Animus, ac naturae suae memor, levis ipse et exsertus et quando emissus fuerit, emicaturus ad summa: interim quantum per moras membrorum et hanc circumfusam gravem sarcinam licet, celeri et volucri cogitatione divina perlustrat. Ideoque nec exulare umquam potest, liber, et diis cognatus, et omni aevo par. Nam cogitatio ejus circa omne coelum et in praeteritum futurumque tempus immittitur. Corpusculum hoc, custodia et vinculum Animi, huc atque il-*

Sect. XII. Seneca.

Sect. XII. Seneca. *illuc jactatur: in hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer et aeternus est, et cui non possunt injici manus.*" Ergo post hanc vitam demum clarâ luce fruetur, quum in coelum redierit Animus unde venerat: conf. Epist. LXXIX. Nam Corpore solutus tamen videt res terrenas, et intelligit quanto nunc ipse sit beatior: conf. Consolat. ad Marciam, Cap. XXVI. ubi Pater defunctus filiam ita alloquens inducitur: „ *Coimus in unum omnes, videmusque vos altâ nocte circumdari. Nihil apud vos, ut putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum, sed humilia cuncta, et gravia, et anxia: et quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam! nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus perstrepere dies perpetuos; nihil in obscuro, detectas mentes, et aperta praecordia, et in publico medioque vitam, et omnis aevi prospectum eventumque?*" Similiter in Consolat. ad Polybium, Cap. XXVIII. „ *ne itaque invideris fratri tuo: quiescit, tandem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. — Fruitur nunc aperto et libero coelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu: et nunc libere vagatur, omniaque rerum naturae bona cum summâ voluptate perspicit. Erras: non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. Omnibus illô nobis commu-*

mune est iter. Quid fata deflemus, non reliquit ille nos, sed antecessit." Sect. XII. Seneca.

Orcus vero et Inferi, quales vulgo putantur, nulli sunt: conf. Epist. XXIV. et Consolat. ad Marc. Cap. XIX. „ *Cogita, nullis defunctum malis affici, illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse: nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia et reos, et in illa libertate tam laxâ ullos tyrannos. Luserunt ista poetae et vanis nos agitavere terroribus.*" Ita quidem et Stoici et plerique omnes alii statuerunt Philosophi: quae vero subjungit Seneca, plane sunt Epicurea, et cum iis, quae supra ex eodem libro protulimus, repugnantia: „ *Mors omnium dolorum solutio est et finis, ultra quam mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in quâ, anteaquam nasceremur, jacuimus, reponit. — Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod autem ipsum nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. Mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est.*" Equidem neminem facile putem tam vel obliviosum vel imprudentem esse posse, ut in eodem libro prorsus contraria statuat, et primo dicat morte exstingui Animos, deinde eosdem affirmet post Corporis mortem vigere et beatos esse cogni-

tio-

Sect. XII. Seneca.

tione naturae. Ergo animadvertendum est, Senecae consilium non fuisse, ut philosophicam disputationem, sed ut Consolationem scriberet. Atqui is, qui consolatur alterum, se ad illius personam accommodat, quod supra notavimus exemplo Ciceronis. Itaque Seneca varias rationes Marciae admovet, ut illa, quamcunque tandem rationem sequatur, tamen intelligat non esse dolendum: atque expositâ Epicureorum ratione, finem Consolationi imponit ratione Stoicorum. Nam, licet ipse Stoicorum more statuerit, tamen illo saepius memorato Dilemmate, *mortem nil esse mali, sive remaneat Animus sive exstinguatur*, et uti potuit, et frequenter usus est: veluti Epistola XXIV, LXV, LXXI, CII. Consolat. ad Polybium, Cap. XXVII. Quare, si de Immortalitate fluctuavit nec sibi constitit Seneca, hoc non locis modo memoratis conficitur: sed ex aliis suspicio duci possit, de quibus jam videamus. Nam Stoica Platonicis miscet eodem libro Consolat. ad Marciam. Tale est Cap. XXV. „ *Integer ille nihilque in terris relinquens fugit, et totus excessit: paullumque supra nos commoratus, dum expurgatur et inhaerentia vitia situmque omnis mortalis aevi excutit, deinde in excelsa sublatus inter felices currit Animas, excipitque coetus sacer, Scipiones Catonesque, utique contemtores vitae, et mortis beneficio liberi. Parensque tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi novâ luce gaudentem,*

et

et vicinorum siderum meatus docet: nec ex coniecturis sed omnium ex vero peritus, in arcana naturae lubens ducit: cet." Haec igitur partim Stoica partim Platonica sunt. Quod vero in fine libri additur, Animum exstingui ἐκπυρώσει, seu fatali conflagratione Mundi, plane Stoicum est. „ *Et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus incurrent, et, omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices Animae et aeterna sortitae, cum Deo visum erit, iterum ista moliri, labentibus cunctis, et ipsae parva ruinae ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista jam novit!*" Eandem sententiam prodidit Epist. LXXI. *Quid enim mutationis periculo exceptum? Non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem; sed illum ex hoc cursu aliquis Dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, exstingui. Quaecunque vides supra nos currere, et haec quibus innixi et impositi sumus, veluti solidissimis, carpentur ac desinent. Nulli non senectus sua est. Inaequalibus ista spatiis eodem natura dimittit. Quidquid est, non erit: nec peribit, sed resolvetur. Nobis solvi, perire est.* Sect. XII. Seneca.

Hactenus ergo satis sibi constitit Seneca; neque enim is in placito ipso fluctuat, qui illud diver-

Sect. XII. Seneca. sarum sectarum rationibus accommodare et confirmare studet. Quod autem praecipue a multis objicitur Senecae tamquam desultoriae inconstantiae crimen, silentio praeterire nequeo. Epistolâ CII. ita de Animorum aeternitate disserit, ut eam pro somnio habuisse videatur. Scribit ad Lucilium: „ *Iuvabat de aeternitate Animarum quaerere, imo mehercule credere: credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis quam probantium. — cum subito experrectus sum Epistolâ tuâ acceptâ, et tam bellum somnium perdidi: quod repetam, si te dimisero, et redimam.*" At vero progressu ejusdem Epistolae multa egregie prorsus et graviter de statu post hanc vitam pronunciat: „ *Cum venerit ille dies, qui mixtum hoc divini humanique secernat, Corpus hoc, ubi inveni, relinquam, ipse me Diis reddam: nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor. Per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique praeluditur. — Aliquando naturae tibi arcana retegentur: discutietur ista caligo, et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum umbra turbabit. — Quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris?*" Quis non credat Senecam omnia illa egregie dicta ipso exordio confutasse? Enimvero ne simus adeo iniqui, ut eum indictâ caussâ condemnemus. Et primo quidem, ne quem *somni* no-

nomen moveat, cogitet quam graviter et serio in ejusdem nominis libello disputaverit Cicero: atque si diligenter totam Epistolae rationem indagemus, reperiemus Senecam cogitationem Immortalitatis somnium vocare potuisse, etiamsi eam non vanam et inanem reputaverit. Deinde, quum ait, viros magnos rem gratissimam promittere magis quam probare, non Stoicos suos significat, apud quos Immortalitas Animorum non fundamenti sed consectarii locum habebat, quique propterea in eâ demonstrandâ nullam fere operam ponebant: quod contra erat apud Platonicos, quos hoc loco significat Seneca: qui, quamquam sententiam Platonis de Animorum post hanc vitam statu subinde secutus, argumentis tamen ejusdem nusquam usus est. Quod idem etiam hinc intelligitur, quod in exordio Immortalitatem vocat non modo Aeternitatem, sed etiam *possessionem totius aevi:* in progressu vero Epistolae tantum *Aeternitatem* vocat, et Stoicorum more disserit. Iam vero Platonicorum Immortalitas est aeternitas quae nullum finem habeat et in omne aevum duret: Stoicorum vero Immortalitas, quamquam et ipsi eam Aeternitatis nomine appellent, non tamen ultra conflagrationem Mundi extenditur. Denique ipsis illis verbis, „*somnium perdidi quod redimam, si te dimisero, ac repetam*" diserte significat, se hac ipsâ Epistolâ hoc somnium non narrare. Unde manifesto conficitur, eum *Somnium* appellasse non descriptionem

Sect. XI. Seneca.

 Stoi-

Sect. XII. Seneca.

Stoicam status futuri, quae continetur sequente Epistolae parte, sed rationes ac descriptiones aliorum Philosophorum.

Summa sententiae Senecae.

Quod si ergo ea, quae ex Senecâ protulimus, comparentur cum iis quae Sect. VIII. exposuimus, apparebit, eum cum Stoicis veteribus consensisse. Nam et naturam Animi Stoice definivit, et eum usque ad conflagrationem Mundi perdurare statuit: porro Animum, post mortem Corporis, sursum ferri in purum lucidumque aetherem, ibique beatum degere aevum usque ad Mundi conflagrationem, cum consuetudine et societate piorum bonorumque, tum cognitione naturae. De malorum poenis nihil dicit. Nam Furiae quidem, Styx, Cerberus, et similia, sunt Poetarum commenta. Purgationem autem Animi esse, qua post mortem in superioribus aëris regionibus a vitiis et terrenarum rerum reliquiis liberatus in sublimem aetherem abeat: hoc igitur a Platonicis assumsit. Sed, ut reliqui Stoici, ita ipse, nullas protulit demonstrationes Immortalitatis peculiares; nec rationem attulit, quare Animi, quamquam extra Corpus diu perdurassent, tamen Mundi conflagratione perire et in antiquum suum elementum Ignis Divini resolvi debeant.

CON-

CONCLUSIO.

Igitur, Doctissimi Viri, apparuit verum esse quod ab initio dixi, Philosophos profecisse in eam quidem partem, ut efficeretur, Animum post Corporis mortem remanere; qualis autem sit status et conditio Animi a Corpore soluti, tentatum ab iis, non item ostensum, esse. Ex omnibus autem patronis Immortalitatis plurima protulit argumenta Plato: a quo secundus haberi debet Cicero, deperditis quidem scriptis Philosophorum reliquorum Veteris Academiae, veluti Xenocratis, Crantoris, et similium, qui Platonis sententiam uberius explicuerunt. Argumenta vero duplicis generis fuerunt: vel a praemiis et poenis post hanc vitam desumta, quae jam ante Thaletem fuerunt quidem, nec tamen perspicue, tractata: vel ex ipsâ naturâ Animi repetita, quae inde demum inventa sunt. Iam, ut de Platonis argumentis satis suo loco dictum est, universe notemus, omnes, qui Animum Corpori superesse statuerent, in his fere rationibus consensisse: eum esse vel participem Divinae naturae vel partem ipsius Dei, propterea quod cogitandi vi praeditus esset, et principium suarum actionum in se ipse haberet: igitur eum Corporis morte non destrui, sed vel semper manere, quod Pythagoricis

et Platonicis placebat, vel diu manere et tandem in divinam naturam tanquam suum elementum dissolvi, quod Stoicis videbatur. Animum vero Corpore solutum adhuc certo loco et domicilio uti et res externas percipere, statuebant quidem, sed nullis certis utebantur argumentis, et potius vel vulgaribus opinionibus vel imaginationis luxuriei obsequebantur.

In ipsâ disputatione operam dedi, ut me a conjecturae temeritate abstinerem, neque Philosopho cuiquam placitum tribuerem, quod non certâ niteretur auctoritate Veterum; quorum locos diserte vel notavi vel retuli. Dixi tantum de Graecis, et, qui ab iis profecti sunt, Latinis; cum, quod aliarum nationum, de quibus constat eas Animorum Immortalitatem tenuisse, veluti Aegyptiorum, Getarum, Thuscorum, Celtarum, philosophica monumenta nulla ad nostram aetatem venerunt: tum, quod Vos, Doctissimi Viri, hanc partem ab hujus disputationis spatio exclusistis.

Et, quamquam haec quaestio non pertinet ad nostrum propositum, tamen ex iis, quae exposita sunt, patet, in ipso Senecâ nihil esse, quod non ex prioribus Philosophis duci potuerit. Et omnino Christiana doctrina sero demum et diu post haec tempora aliquam vim in Philosophorum disciplinis nacta est. Ceterum, quo magis ego semper delectatus sum hac Philosophicâ Historiâ opinionum de statu post hanc vitam, eo majore

vo-

voluptate audivi, Societatem Eruditissimorum Virorum nuper Harlemi in Batavis constitutam, in hac mecum sententiâ convenire, et dignam censuisse illam quaestionem, quae ad disceptandum proponeretur. Quare cum libenter de hac quaestione dissererem, delectûs Vestri ratio et elegantia efficit, ut libentius etiam ad Vos Judices dissererem. Quibus ego si hanc scriptionem probavero, tum demum operae pretium fecisse mihi videbor.

FINIS ALTERIUS VOLUMINIS.

INDEX

UTRIUSQUE VOLUMINIS.

A.

AMYN-

ARI-

B.

C.

C.

D.

Do-

E.

EPI-

J.

For-

G.

H.

HOE-

I. J.

K.

L.

J.

MARK-

Me-

N.

N.

O.

ORI-

Pa-

PHI-

PHO-

PLU-

Q.

Q.

R.

Ruhnkenii; *Frontini* Oudendorpiani nova Editio, 1779, item adjuvante Ruhnkenio; eodem anno prodit *Vellejus Paterculus;* sequenti 1780 *Hymnos Homericos* duos, a Matthaeo acceptos, edit. 685—689. Brevem vitae suae notitiam ad Hakenium, veterem civem et aequalem mittit. 690 sqq. In dissensionibus civilibus quomodo se gesserit. 692—695. Altera editione, 1782, renovat *Hymnos Homericos* cum duabus *Epistolis Criticis;* mox florilegii Stobaeani insigni supplemento potitur. 696 sq. *Platonica* edere constituit, 1783; mox ad alia conventitur; Valckenarium collegam morte amittit, 1785; novum nanciscitur Te Waterum, cui Jablonskii Opuscula edenda committit; ex auctione Biblioth. Gronovianae maximam optimamque partem Lugduno-Batavae vindicat. 698—704. *Appuleji* Oudendorpiani pars, *Metamorphoses* continens, prodit cum praefatione Ruhnkenii, 1786; notitia et amicitia Spaldingii. 704—706. Dolor e civilium rerum, 1787, conversione: H. Hana, Gymnasio Amisfurtensi Rector praeficitur, Ruhnkenii commendatione. 707—710. *Timaei*, itemque *Elogii Hemsterhusiani* alteram editionem, tum *Mureti* Opera in lucem emittit, 1789. 711—713. Tardior ad unum et continuum opus libri edendi factus; promit 1791 *Scholiastam Platonis;* ab opere avocatur gravi filiae morbo et obitu Franc. Hemsterhusii; redit 1792 ad Scholiastam; Velleji alteram editionem facere instituit; ab ea avocatur nec opinato labore *Lexici Latini Scheileriani*, cujus editionem curat. 713—717. Dolor ex obitu H. A. Schultensii, 1793, et P. Nieuwlandii, 1794. 718 sqq. Reip. 1795 conversio, Literarum studiis noxia, rei familiaris difficultate incommoda. 723—726. — Ruhnkenii naturae, doctrinae,

CL.

Xe-

Συν-

T. Θ.

V. Υ.

W.

X.

Z.

ADDENDA ET EMENDANDA

IN Vol. I.

Pag. 12, vers. 8. *δρᾶν* *lege* *ὁρᾷν*
— 35, — 25. *Themisth.* — *Themist.*
— 66, — 9 *δέκοικας* — *δέδοικας*
— 135, — 2. T. III. — P. III.
— 251, — 27. Literam — Literarum
— 255, — 18. faciat — faciet. *Corrigatur idem vitium in Praef. Select. ex Ed.* 3. *p.* XXVIII. *vs.* 18., *unde in haec Opuscula fluxit.*

Pag. 255, vers. 24. adjiciemus *lege* abjiciemus
— 258, — 9. scholis — scholas
— 288, — 19. J. F. MATTHAEI — C. F. MATTHAEI.
— 303, — ult. *εἰδεῖειν* — *εἰδεῖεν*
— 304, — 27. Ἐπικτήτου — Ἐπικτήτῳ
— 310, — 2. *Scriptoribus laudatis addatur ex Bibl. Cr.* P. XII. p. 223:

DAMOPHILUS, ex Plutarcho multa retulit: ut apparet ex Juliano in Misopogono p. 358: Euagrio Hist. Eccles. VI. 1. Videatur et Suidas in voce: et Jonsius De Scriptor. Hist. Philos. III. 11. 2.

Pag. 322, vers. 5. ab *lege* ad.
— 325, — 22. *Supplendum ex Bibl. Cr.* P. XII. p. 224:

EUAGRIUS, Hist. Eccles. VI. 1. Plutarchum ex Damophilo citans: de quo modo diximus ad saeculi III. initium.

Pag. 336, vers. 25. *Appuleo* *lege* *Appulejo*
— 341, — 18. Petrarchamannis — Petrarcham annis

Pag.

Pag. 345, vers. 17. respiceins *lege* respiciens
— 450, — 9. non — nos
— 469, — 3. setur — versetur
— 554, — 17. penetus — penitus
— 565, — 3. progessuum — progressuum
— 567, — 13. quo — qui
— 576, — 6. *ipso* — *ipse*
— 589, — 22. Proviciam — Provinciam
— 603, — 2. hoc det eique, obsequatur. *lege* hoc det, eique obsequatur.
— 640, — 24. Aristidis *lege* Hermogenis] *cf. infra pag.* 794.
— 645, *in not.* in hoc libro prodidi] *infra pag* 715.
— 696, *in not.* In Elogio p. 65.] *cf. supra, horum Opusc. pag.* 452.
— 707, vers. 15. Hominis *lege* Homines
— 720, — 25. ab — ad
— 748, — 26. in Animadversionum Plutarchicarum praefatione] *supra, horum Opusc. p.* 454.

ADDENDA ET EMENDANDA

IN Vol. II.

Pag. 45, vers. 27. adhud *lege* adhuc
— 52, — 20. *Deleatur alterutrum* ista.
— 58, — 5. in otio literato] *Addidit V. Cl. Bibl. Cr.* P. XI, p. 178: ad hoc otium novissime accessit negotium publicum, optimo viro in senatum civitatis Leidensis allecto.
Pag. 60, vers. 10. indiscentium *lege* in discentium

Pag.

Pag. 92, vers. 16. ἔγω *lege* ἐγὼ

— 149, — 16. aliud — aliquid

— 150, — 3. Tiresias] *legendum* Achilles; *refertur ad Odyss.* Λ, 488. *monente ipso Wyttenbachio. B. Cr.* P. XII. p. 224.

Pag. 153, vers. 15. affiuere *lege* affluere

— 165, — 5. in Disputatione de Unitate Dei p. 63] *infra, horum Opusc. p.* 445.

— 173, — 22. simiter — similiter

— 175, — 27. ab — ad

— 192, — 6. viritatis — veritatis

— 211, — 3. vole — volo

— — — ult. quidem — ejusdem

— 214, — 6. Saxi — Saxii

— — — 7. superiore parte] XI. p. 154 sq.

— 226, — 5. Parte Undecima] p. 139.

— 263, — 25. Capite V, de Platone, p. XXXVI] *supra, horum Opusc. p.* 119.

Pag. 268, vers. 20. habit *lege* habet

— 326, — 8. *και* — *καὶ*

— 359, — 16. accebat — accedebat

— 380, — 18. *παντὰ τέτυκτα.* *lege* *πάντα τέτυκται.*

— 387, — 10. *δὲ* — *δέ*

— 398, — ult. *ἰδεας* — *ἰδέας*

— 422, — 7. Quid — Quod

— 425, — 16. *Φησιν* — *Φησὶν*

— 426, — 6. Atque — Atqui

— 428, — 12. *κἀνεῖνος* — *κἀκεῖνος*

— 458, — 26. res — re

— 463, — 17. discernibilium — indiscernibilium

— 475, — 22. *existentiae* — *existentia*

— 508, — 1. *εἶναι* — *εἶναι*

— 554, — 18. *Ψυχῆσι* — *Ψυχῆσι*

Pag.

Pag. 564, vers. 2. δι *lege* δι'
— 570, — 4. οὐδε — οὐδὲ
— 571. SECT. V. *De Platone.*] *Sectionem hanc editioni Phaedonis Platonici* (*supra*, *horum Opusc.* p. 96—127.) *ita adjecit V. Cl. ut eam corrigeret subinde et locupletaret: quod ipse testatus est supra*, p. 263, *et disertius exposuit in censura Phaedonis*, *Philom.* L. III. *p.* 44 *sq.*

Pag. 602, vers. 27. hanc *lege* haud
— 603, — 8. propit — prodit
— 607, — 19. passio. — passio."
— 626, — 23. *et fi-* — *et finem*
— 630, — 28. βορβόρω — βορβόρῳ

Reliquis minoris momenti mendis ignoscat benevolus Lector.

✿


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 07 12 04 010 3